



BIB. DOM.
ANDEGAV.
S.J.

38-H+

124 - 2000-7310

4/2/74



D 97
DE VIRIS ILLUSTRIBUS

IN CASTELLA VETERI

SOC. JESU INGRESSIS

ET IN ITALIA EXSTINCTIS

LIBER II.

A U C T O R E

JOANNE ANDREA NAVARRETE

P R E S B Y T E R O - H I S P A N O .



BONONIAE MDCCXCVII.

EX TYPOGRAPHIA SANCTI THOMÆ AQUINATIS
SUPERIORUM PERMISSU.

P R A E F A T I O.

Liber alter, quem promiseram, de Viris Illustribus Societatis serius in lucem prodit, quam pro quorundam votis, qui citius eum emitte voluissent. Apud quos ego non operis difficultatem, non longas Typographorum moras, non alia quæ intercesserint negotia; sed exiguae tantum ingenii, et corporis vires excusabo, quæ me lentius progrexi, vel etiam interdum cessare coegerunt. Non propterea in his vestigandis, et comprehendendis, quæ perscribenda fuerunt, minorem adhibui diligentiam; cum scirem, nihil huc nisi certum, et exploratum afferri oportere. Verumtamen, post literas in longinquā missas, post variis hac illac discursus, qui non parum ad retardandam absolutionem operis effecerunt, nonnulla competrere omnino non licuit, quæ et historiæ lumen haud modicum addidissent, et ad ubiorem insignium Virorum laudem plurimum deservirent. Omnes quidem, quorum facta in hoc libro recensentur, singularem virtutis opinionem apud eos, qui buscum vixerant, obtinuerunt: sed qui testes virtutum fuerant, eas potius suspicere, imitarique studuerunt, quam posterorum memoriarum diligentie narratione commendare. Ideo in quorundam rebus gestis exponendis brevior, quam oportaret, esse debui: non quod multa plura illi non fecerint, quæ digna

essent commemorari; sed quia iis morte præceptis; qui claris illis hominibus æqualess fuerant, atque adeo proprius eos inspexerant, multa de ipsorum præsertim adolescentia, et juventute necesse est ignorari. Sed cum iidem in proiecta ætate, ad quam eorum plerique devenerunt, quorum mores in hoc secundo libro describuntur, tot fere habuerint actionum testes, quot habebant exilii comites; non æque operosum fuit, quæ illi præclare in senectute gesserant, idoneis confirmare testimoniis. Atque id maxime optandum erat in hoc scripturæ genere, in quo præstantium Virorum laudes continentur: cum is demum laudari vere sit dignus, non qui bene cœperit, aut processerit, sed qui vitam cum laude consummaverit.

In primo hujus operis libro tam multa de tironibus dixi Villagarsiensibus, ut vereri subiret interdum, ne quibusdam prolixior illa narratio videretur. Eam tamen aliquis justo brevorem existimavit: multisque mecum egit, ut pro loci opportunitate superaddere non prætermitterem quod in ea nonnulli desiderabant. Cum autem illud maxime requiri contenderet, ut tironum nomina enuntiarentur, qui constantes in superandis oppugnationibus fuerunt, quod etiam exemplo præclari cuiusdam Historici confirmabat; id ego paucis hic expedire constitui, ne aut prudentis viri neglexisse consilium, aut aliquid videar de strenuorum adolescentium laudibus decerpisse.

Tirones ergo septuaginta quatuor, qui profecitionem in exilium coram Senatore ac testibus decreverant, et manu propria signaverant Villagarsiæ, cum inde Turremcrematam devenissent, multis per-

dies quindecim objecti fuerunt dimicationibus. Initio satis humaniter habebantur. Alter enim ex Duumviris , qui judicariam ibi potestatem exercebant (cognomen illi erat Arnuntio) præcepit incolis, ut tirones benigne haberent, decentem iisdem victum subministrarent, et lineas purgarent vestes, aliaque præstarent officia, quæ ad itinerantium juvenum commodum spectabant: nec dubitarent, quin justam essent laboris sui mercedem accepturi . Post quartum vero diem Arnuntii Collega cum populi Decurione ad tirones veniens , multa illis indixit, quæ ad cohimbendos eorum cœtus pertinebant, ne se invicem ad perseverantiam incitarent . Tres etiam religiosi viri , qui per eos dies in oppidum venerant concionaturi, ad profectionem tironibus disuadendam magna contentione sunt aggressi. Eorum quidam cursitare per domos , soliciteque rogare , anne novitii , qui manebant ibi , primum tirocinii annum explessent? Id si affirmabant: *Vobiscum ego*, ajebat, non ausim congredi : prorsusque ad alios præteribat. Audierat, credo, de votis , quæ tirones Societatis post primum probationis annum spontanæ devotionis impulsu soliti erant emittere: eosque proinde nolebat perturbare . Si vero negassent, ad illos ingressus, longa oratione persuadere nitebatur , nihil se melius honestiusque facturos, quam ut consilium abjicerent, quod inierant. Sed aliis novitios omnes nullo discrimine habebat: et eos , qui prædicta vota conceperant, nihilo præter quam talari tunica ab elementariis , vel e trivio pueris differre , fiderent asseverabat. Contendebat etiam , novitios ad id tantum ex vocatione sua teneri, ut Institutum Societatis in Hispania profiterentur:

cum autem Societas in Hispania jam esse desiisset ; liberos ab ea obligatione, et exauctoratos manere. Imo vero , respondebant tirones , vel in ipso Instituti nostri limine habemus, nostræ vocationis esse diversa loca peragrare , et vitam agere in quavis mundi plagi , ubi majus Dei obsequium , et animarum auxilium speratur . Ad perturbandos tamen quorumdam animos nihil eo fuit efficacius , quod aliquis e predictis Concionatoribus asserebat : Novitios , salva conscientia , in exilium abire non posse , reosque fore letalis culpæ , si proficiisci cum Patribus obstinarent . Non deerat inter ipsos , qui rigidum Censorem vel impugnando retunderet , vel compesceret objurgando : sed aliquorum animos dici vix potest , quantum hæc opinatio deterruerit . Tres inde , vel quatuor credibile est fuisse permotos , ut venirent ad Judices , ab eisque indumenta peterent secularia , in domos reddituri paternas . Quorum petitioni cum ignorarent Judices , quo pacto satisfacerent , Senatorem illum per literas consuluerunt , qui Villægarsiæ , post abactos inde Socios , recognoscendis Collegii rebus immorabatur . Is ad Judices scripsit , ut convocatis tironibus , sententiam exquirerent singulorum , et qui vellent ad patrias reverti domes , propriis cujusque vestibus induerentur : mittebat enim quascunque in tirocinio invenerat asservatas , donec tirones religiosa vota nuncupassent His acceptis literis , ac vestimentis , Judices in concilium tirones vocant : cujusque voluntatem nominatim explorant : et quos iteratæ multorum instigationes , atque injectus offendendi Numinis timor a priore sententia dimoverant , vestes jubent indutæ seculares .

Vix ea peracta fuerant , cum novæ afferuntur litteræ , in quibus Arandæ Comes Judicibus imperabat , ut quos deliberandi causa tirones apud se receperant , Palentiam deducerent e vestigio , eosque Palentino Judici traderent examinandos . Inde autem patuit , quæ Turrecremata cum tironibus acta fuerunt , sine imperio facta fuisse Comitis Arandensis , cui Rex negotium dederat expellendi homines Societatis . Ipsi adeo Judices , qui nonnullis privatas vestes concesserant , easdem postea deponere , denique religiosas induere coegerunt . Hoc modo sistuntur omnes coram Palentia Judice , qui eos ad Societatis vestem exuendam minaciter adegit . Talaris detracta veste , cum multis antiqua ipsorum indumenta deessent (nam quæ Villagarsia Turrecrematam , indeque Palentiam advecta sunt , pauca erant admodum pro numero novitiorum) plures vilissimis induiti pannis , et in mendiculorum habitu comparuerunt . His deinde accesserunt iteratæ quæstiones Judicis , suggestiones , instigationesque multotum , quibus flos tirocinii violenter concussus excidit . Quadragesima delectos juvenes illa dies abstulit Societati : quorum alios ingesta peccandi religio ; alios vestimentorum probrosa spoliatio ; nonnullos sparsus rumor , fore inter milites conscribendos qui paternas redire nollent in domos ; quosdam dissidentia deveniendi ad portum antequam Patres solverent in Italiam ; aliosque alia de concepta prius sententia dejecerunt .

De his ego , et aliis qui in Hispania remanserunt , multa veraciter possem dicere , quæ in egregiam ipsorum laudem redundarent . Novi enim eo-

rum aliquos in Religiosorum claustris , ad quæ postmodum confugerunt ; alios in Sacerdotali classe , ad quam post emensem studiorum cursum evecti sunt , et conspicuis in eadem munetibus decorati ; quosdam etiam in cælibatu , quem sequi statuerunt , tam exactam vivendi rationem instituisse , ut ab archetypo illo non discrepaverint , cui fuerant in tirocinio Societatis injecti . Nam et præclaro vitæ exemplo , et constanti animarum zelo , et libris editis , et eximia in pauperes misericordia , multam pro cujusque conditione operam contulerunt , ut salutis consulerent proximorum . Hos , inquam , expresso singulorum nomine , libentissime commemorarem , nisi me magnus illorum numerus , atque oritura inde præfationis hujus prolixitas deterret.

Reliqui trigiuta quatuor , qui tentationes , et terrores fortiter superaverant , cum ad atrium S. Dominici recessissent , graves ibi molestias a conferta plebis multitudine sustinuerunt . Sed illud longe fuit gravius , quod ibidem ab ipsorum gremio commilitones duo per fraudem avulsi sunt . Laurentius Alaguerus Vallisoletanus , egregiæ indolis adolescens , qui paucis in tirocinio mensibus multum in pietatis exercitatione processerat , constantiam suam jam ante demonstraverat Turrecremata . Ibi enim conatibus propinqui cujusdam viriliter obstitit , qui multis apud eum contendit , ut in patriam reverteretur : solumque ab eo impetrare potuit , ut literas ad Genitorem mitteret , in quibus ajebat inter alia , malle se sanguinem fundere , quam sponte sua deserere Societatem . Nunc vero ad eundem in atrio illo cum cæteris considentem duo accedunt viri ,

rogantque instanter, ut velit ea nocte ad propinquum domum divertere, postridie mane sine obstaculo redditurus ad socios. Laurentius, seu fraudem timeret aliquam, seu nollet a reliquis separari, modo pro oblato hospitio maximas gratias agere, modo illud aperte recusare, modo etiam profiteri, deliberatum sibi esse in exilium cum cæteris proficisci. Sed cum ab eis nihilominus urgeretur, necessariam causatus est Præfecti novitiorum facultatem: ab ipsorum enim Magistro designatus fuerat antiquior inter omnes, qui reliquis in separatione illa præcesset. Is, cum ad eum pro impetranda venia illi viri accessissent, satis caute respondit, reluctantem Alaguerum nolle se cogere, volentem ire, non prohibere. Responsum hoc oratorum iras accendit, qui nullum modo tironibus Moderatorem esse, inclamantes, Alaguerum abripiunt: cum eoque trahebant simul Rupertum Torrentem Bletissensem, qui minimus erat omnium, sed in retinendo susceptæ vitæ proposito vel cum maximis comparandus. Novitiorum Præfectorus, quoniam vim propulsare non poterat, raptores orat, ne quid violenter agant: tirones illos a se libere dimittendos, si tertium alium admittant, qui posset eos post cœnam in diversorium deducere, in quo cuncti pernoctare decreverant. Conditione libenter accepta, designatur a Præfecto Joannes de Villanova, quo nullus opportunior erat, ut Laurentium, et Rupertum ab injuria defendereret, si qua forte adversum eos intenderetur. Sed cum dolores agitur, parum et vires prosunt, et valet industria. Duo illi viri, postquam Laurentius, et Rupertus intra domum ingressi fuerant, ad Joannem im-

perioste conversi : *Tibi jam , irquiunt , nihil agendum
hic superest : præclusoque celeriter ostio , ab omni eum
aditu prohibuerunt.* Deinde Alaguerum decenter in-
dutum ad Patrem suum mittunt : Torrentem rhe-
dario tradunt , qui Salmanticam revertebatur , ut
eum , quamvis multa renitentem , devehendum Ble-
tissam curet. Sub idem tempus Franciscus Alvarus ,
qui tertium tantum diem in exercitiis primæ pro-
bationis exegerat , et tamen in iteratis contentioni-
bus veterani more certaverat , cum fortuito in E-
piscopi ædes introisset , ibidem detentus est , neque
ad tirones redire permissus propter invaletudinem ,
quam præcedenti die contraxerat . Alius denique ,
postquam tentamina cætera superaverat , cum au-
disset deinde , Socios e Sanctanderi solvisse portu ,
neque tirones ad eam venturos urbem , sed potius
in vincula conjiciendos , quoniam sine viatorio per-
gebant syngrapho ; penitus despondit animum , et re-
verti decrevit in patriam .

Supererant igitur triginta juvenes , quos nulli
adhuc adversi casus a complexu divellerant Socie-
tatis . Hi omnes Sanctanderum cogitabant , quam-
vis multi eos a profectione illa , quippe inutili , et
plena periculis , acerrime contenderent deterrere .
Sed illi ab incepto non recessuros affirmabant , nisi
prius tentarent omnia , ut in Italiam cum Patribus
navigarent : quod si , post adhibitam pro viribus di-
lignantiam , potiri optatis non possent , tunc certe
in proprias domos sine ulla ignaviæ conscientia re-
dituros . Ut autem certiores fierent , quo loco So-
ciorum res essent , Joannem de Villanova præmisse-
runt , qui per compendia properaret in portum , in-

xi

deque regrediens, omnia sibi renuntiaret, quæ ibidem explorasset. Interea ipsi per viam, quæ Palentia dicit Astudillum, et Vallegueram, venerunt Burgos, ubi nova eos certamina, novique manebant casus. Burgensis Prætor tam multa illis ad se vocatis de temeritate consilii, quod arripiebant, vehementi oratione dixit, ut firmiores quosque dejecisset, nisi animum contra objectas difficultates jam ante obfirmassent. Sed cum deinde ad consulendos prudentes viros ex Prætoris jussu accessissent, inter consiliarios inventus est unus, aut alter, qui profectionem in exilium a tironibus sine scelere iniiri non posse affirmaret. Id quatuor ipsorum a proposito avertit, quod hactenus secuti fuerant. Alii duo in eadem urbe detenti sunt in carbo, quorum solatio, et auxilio duo item alii remanserunt. In his erat Josephus Martinius, qui deinde Ferrolum adveniens, consensaque ibidem navi, cum sociis in exilium venit. Cæteri progressi sunt Sanctanderum: sed in eo itinere duos insuper cum ingenti dolore amiserunt comites, quorum erat utriusque probata virtus, et indoles amabilissima. Emmanueli Varroni, cum jam prope aberant a Keinosa, Pater eius occurrit, illumque, nullis aut filii precibus, aut aliorum permotus obtestationibus, secum reduxit in patrum. Paulo post Carolus Derna, qui multis jam partis victoriis Sanctanderum ingressus fucrat, delusus abducitur in parentum domum. Erat illi patria Colindres, non procul a Sanctandero, unde obviam ei processerat Patruus, qui tirones comiter salutatos, et in diversorio quodam liberaliter habitos, amice prosecutus est Sanctande-

rum . Postmodum ad nepotem rediens , qui ad pri-
vatam domum diverterat , multis apud eum insti-
tit , ut parentes , quoniam tam prope aberant , sa-
lutaret . Sed Carolus iteratis illius precibus id unum
constanter opposuit : Deliberatum sibi esse proficisci
cum Sociis , neque facturum , ut occasio cum eis ena-
vigandi propter salutandos parentes elaberetur . Tum
Patruus : Ne timeas , inquit : ego enim tibi recipio ,
postquam genitores inviseris , te iterum adducturum
in urbem . Hac accepta fide , roganti morem gessit ,
cum eoque venit in paternam domum , a qua deinde
nullam potuit evadendi viam invenire : quod semper
illi doluit intime , sicut etiam Sociis , quibus erat
desideratissimus . Non omisit tironum antiquior ,
postquam certo constituit , se quoque cum Patribus
conscensuros , de his ad Carolum scribere : admonuit-
que latorem epistolæ , quem unciali conduxit ar-
genteo , ut occasionem conveniendi sine arbitris Ca-
roolum rimaretur . Sed illius pater , qui nullum fi-
lli gressum non observabat , literas intercepit , de-
incepsque in eo custodiendo vigilantiam adauxit . Per
veredarios Praefectus idem ad illos etiam scripsit ,
qui nunquam fore credebant , ut tirones venirent
in portum , aut , si tandem illum tenerent , ascen-
dere navem permitterentur . Ad Varronem item scrip-
sit , cuius pater in discessu promiserat reducturum
se filium , si certior fieret de permissa tironibus na-
vigatione . Sed cum jam longe abisset , et insta-
ret solvendi tempus , sperari vix poterat , ut redi-
ret .

Hoc modo viginti solum tirones ad Collegium
Sanctanderense pervenerunt , ubi religiosis induiti ves-

tibus, inde alacres processerunt ad naves. Ex illis erant quatuordecim Scholastici, et sex Adjutores: quorum hic subjicio nomina eodem ordine, quo recepti fuerant in Societatem. Isidorus Arevalus ex oppido Cabezas del Pozo diœcesis Abulensis. Petrus Oterus Compostellanus. Emmanuel Cancela Pontevedrensis, ex diœcesi Compostellana. Emmanuel Camus, et Franciscus Xaverius Camus, uterque Montensis in diœcesi Sanctanderi. Gaspar Ferrerus Ontiniensis, ex diœcesi Valentina. Emmanuel Aciera Proazensis, ex diœcesi Ovetensi. Franciscus Descalzus Egelastensis, e diœcesi Conchensi. Dominicus Georgius ex oppido Santiago diœcesis Aurien sis. Josephus Oterus ex oppido S. Eulalia in diœcesi Lucensi. Franciscus Xaverius Bouzas, natus in oppido S. Stephani de Pedre diœcesis Compostellanæ. Vincentius Antonius Calvus ex Iglesiario in eadem diœcesi Compostellana. Joachimus Maestu Torralbensis, ex diœcesi Calagurritana. Julianus Mochales ex oppido Castejon in diœcesi Conchensi. Adjutores erant: Joannes de Villanova Naguicensis, ex diœcesi Pompelonensi. Martinus Firminus Ezcurra, et Emmanuel Gonzalius Pompelonenses. Andreas Martinius ex oppido Azuelo diœcesis Calagurritanae. Franciscus Losada Carudiensis, ex diœcesi Lucensi. Josephus Alfonsus Alloensis, ex diœcesi Pompelonensi. His merito adjungi debent tres alii Scholares novitii: Rudesindus a Castro Cubelensis, e diœcesi Lucensi: Joannes Ambrosius Fernandius Ovetensis: et Mathias Lopius Salzensis, ex diœcesi Zamorense. Qui Villagarsia, ubi per annum, aut eo amplius probati fuerant, profecti sunt Villaregium, hu-

manioribus ibi literis informandi , donec in Peru-
viam , ad quam designati erant , transmittendi tem-
pus appeteret . Sed navigationem Americanam , pro-
mulgato interim exilii decreto , cum Italica cō-
mutarunt . Rogati enim a Ministro regio , vellent-
ne in exilium ire , nullam a Rege pensionem ac-
cepturi? incunctanter affirmarunt : proindeque Vil-
laregio profecti sunt cum cæteris Sociis , ut Cartha-
ginem advenirent . Verum quod tironibus Villagarr-
siensibus Turrecremata contigit , idem his tribus
accidit Albaceti . Novo Aulæ decreto jussi sunt
ibi consistere , et quod abeundi consilium ceperant ,
majore insuper consideratione perpendere . Tres cir-
citer menses eo loco detenti , sæpissime interrogati
fuerunt a Judice , quid tandem sequi statuissent ?
Et cum in eadem illi sententia persisterent , demum
permissi sunt Carthaginem proficisci . Conscensa ibi
navi , qua Procuratores vchebantur , Adjacium in
Corsica deferuntur . Inde post non multos dies ve-
nerunt Calvum , ubi conserderant Castellani . Ab
his libenter excepti , cum tironibus , qui eodem ap-
pulsi fuerant , intermissum studiorum cursum ins-
taurarunt : et cum iisdem in arrepto vitæ proposi-
to , dum stetit Societas , fideliter permanerunt . At-
que hoc satis erit , opinor , ad eorum explenda vo-
ta , qui de novitiorum rebus pleniorem desiderant
narrationem .

Hoc etiam rogatu cuiusdam hic monitum ve-
lim . Corpus Augustini Cardaverazii , qui laudabili-
lem vitæ cursum laudabilem fine conclusit in op-
pido S. Joannis in Persiceto , milliario decimo a Bo-
noniæ uibe , conditum initio fuit iu sepulcro Sa-

xx

cerdotum Collegiatæ ac Parochialis ædis ejusdem oppidi , arce inclusum lignæ , quæ duabus obserata erat clavibus , ut in Vita dictum est Augustini . Deinde arca illa coram judice et idoneis testibus translata fuit anno 1794 , repositaque in privato loculo , qui ad eum finem structus est in eodem templo prope aram S. Francisci Xaverii , in qui etiam imago colitur Sanctissimi Cordis Jesu . Illi autem loculo impositus et lapis , in quo legitur hæc inscriptio : *P. Augustinus Cardaveraz Hispanus , Professus Soc. Jesu , innocentia vitae , animi candore , virtutibus heroi- cis , donisque coelestibus cumulatus , Obiit XV. Kal. No- vembris MDCCCLXX. Translatus pridie Idus Martii MDCCXCIV.* Hæc merito admonenda fuerunt , ut constaret de Sepulcro tam insignis Viri .



AUCTORIS PROTESTATIO.

Quacunque in hoc Libro referam de virtutibus , aut miraculis quorundam Virorum illustrium , ea me non alio sensu accipere , vel accipi ab ullo velle profiteor , nisi quo illa solent , qua humana duntaxat auctoritate nituntur , ut Urbani VIII. decretis obediāt , et S. R. Ecclesiæ , cuius est earum rerum iudicium , debitum præstem obsequium .

DE

I N D E X

VI R O R U M I L L U S T R I U M

Quorum Vitæ in hoc Libro continentur.



	<i>Pag.</i>
Emmanuel Pereira.	1
Josephus Joachimus Mendizabal.	23
Ignatius Osorius.	29
Clemens Recius.	69
Marcus Gordaliza.	86
Joannes Thomas a S. Christophoro.	95
Sebastianus Mendiburus.	112
Vincentius Iraola.	136
Eugenius Colmenares.	151
Gaspar Castillus.	178
Josephus Turrianus.	194
Franciscus Xaverius Idiaquezius.	201

Die 17 Maii 1797.

Vidit Joannes Baptista Morandi pro Eminentissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo.

30 Maggio 1797.

S I S T A M P I.

L. Ceccelli.

DE VIRIS ILLUSTRIBUS
 IN CASTELLA VETERI
 SOCIETATEM JESU INGRESSIS
 ET IN EXILIO EXSTINCTIS
 LIBER II.



EMMANUEL PEREIRA.

Illum ante alios Virum describere aggredior , cui priorem locum , si moriendi sors non dedisset , cæteri ob illius suavitatem morum , et perspectam in agendo prudentiam , facile concessissent . In hanc lucem prodiit Rubini , Gallæciæ opidulo , anno decimo supra millesimum septingentesimum , nono Kalendas Januarias . Cum pueritiam inter pietatis , et literarum studia exegisset , ad perfectiora vocanti Deo promptiorem aurem adhibuit . Ætatis annos sexdecim nondum expleverat , cum Societatem Jesu petiit , eamque obtinuit undevigesimo Augusti die , seculi decimi octavi anno vigesimo sexto . In tirocinio positus , ad religiosæ disciplinæ formam et animum , et corpus ita composuit , ut Superiorum vigilantiaz plene satisfecerit , et novitiorum , etiam acutissime intentum , oculos nunquam offenderit . Mitem , et ad pietatis opera propensam indolem jam tum exhibuit , et in cuncta tirocinii præscripta solicite intentus , præstantis tironis nomen apud omnes obtinuit , spemque fecit haud dubiam , in arrepto perfectionis cursu feliciter progressurum . Ibidem humanioribus excultus fuit literis : deindeque Philosophica studia Methymnæ , Theologica Vallisoleti cum magna ingenii , ac diligentiaz laude confecit . Nec assiduus in comparandis scientiis labor quidquam ei de contentione virtutum imminuit . Silentii amans , et solitudinis , atque ad omnes pudoris leges ubique compositus , pacatiorem gerebat animum ad pertrac-

tanda divina: quorum ex frequenti, attentoque usu ad virtutum studium, maximeque ad Dei amorem inflammabatur. Christum apud nos in aris commorantem singulari colebat affectu, quem iteratis, et humillimis adorationibus, aliisque grati animi significationibus expromebat. Fortuito inventum est autographum ejus scriptum, Vallisoleti, dum theologicis operam dabat, confectum; in quo magnis amoris, ac fiduciae affectibus se, suaque omnia Jesu Cordi devovet, votaque concipit ardentissima injurias compensandi, quæ illi ab hominibus inferuntur. Eamque devotionem, quo firmior, et constantior esset, incisi sui pectoris sanguine confirmavit.

Confectis literarum spatiis, et tertia Societatis probatione peracta, ad ea, quæ probe didicerat, cum externis communica destinarunt. Grammaticam primum, deinde Philosophiam explicuit Compostellæ, ac Segoviæ, postremoque Theologiam Lucronii docuit ad multos annos. Ubique vero, ad insti-tuendos in scientia, et pietate adolescentes, in omnes injuncti officii partes diligenter incubuit, quas a Magistris suis jure ac merito Societas exigebat. Sui nihilominus perficiendi studiosus, omnia religionis opera, quæ aut lege præscripta erant, aut consuetudine inducta, fideliter et sedulo exequiebatur. Ab exterorum consuetudine abstractus, nisi cum aliter suassis-set eorum necessitas, vel utilitas, libenter domi delitescebat, his commentandis intentus, quæ discipulis prælecturus erat in ludo, vel civibus pro concione dicturus in templo. Quan-quam enim erudiendæ juventuti totis incumbentem viribus inspissesses, non ideo unquam illa subire onera detrectavit, quæ in aliorum etiam commodum redundarent: ut habendi orationes sacras ad populum, ut poenitentium audiendi confessiones, ut ægrotos, et morti proximos invisendi, eosque ad patien-tiam, et pium obitum comparandi. Quidquid autem illi agen-dum instaret, nihil gravate, nihil non alaci, ac libenti ani-mo aggrediebatur, ut vel in ejus operandi modo jucundissi-ma voluptas eluceret, qua ministeria omnia exercebat, quæ pro juvandis hominibus suscepisset. Eandem animi, et vul-tus tranquillitatem retinebat in communi cum cæteris consue-tudine, in qua ita comis erat, ac lepidus, ut nunquam modes-tiz, et gravitatis terminos præteriret. De his, atque aliis Pe-rei-

reiræ virtutibus quidam ejus in Theologia discipulus sic olim affirmabat: „Emmanuelem Pereiram eodem semper vultu, „eoque placido, et ad modestam hilaritatem composito sus- „pexi. Nunquam ira succensum in discipulos animadverti, „vel cum eorum desidiam, aliosve errores pro ratione sui „muneris coargueret. Erat proinde singulis apprime carus, „pariterque acceptus civibus, quorum multi cubiculum e- „jus, ut consilium caperent, frequentabant: multoque plures „ex omni hominum cœtu, cum sedebat in templo Judex, ad „sacrum ejus tribunal accedebant. Magno etiam apud domes- „ticos suos erat in pretio, quos de Pereiræ sapientia, deque „religiosis ejusdem moribus honorifice semper loquentes au- „divi. In literariz palestræ concertationibus, quanquam com- „muni sapientum voce inter cæteros emineret, qui eodem in „stadio exercebantur; modestiz tamen, atque urbanitatis le- „ges inviolate servavit, nihilque unquam egit, aut dixit, quo „vel nimium sibi tribuere, vel alios contemptui habere si- „gnificaret. Ob eam animi moderationem cæteri aliorum or- „dinum Magistri, quibus nota erat ejus ingenii vis, ubertas- „que doctrinæ, præcipuo illum amore, imo etiam honore „prosequebantur. „

Cum autem reliquis animi dotibus prudentiam, et judicii maturitatem insignem adjungeret, dignus habitus est, qui ad gubernandi munus admoveretur: in eoque per annos amplius viginti, non interrupte, neque uspiam sine ingenti laude, usque ad Societatis occasum perseveravit. Initio Collegium Le- gionense, Montis regii, et Lucroniense rexit: indeque ad Mæthymnense, ac Palentinum translatus est, quorum in utro- que Societatis juvenes educabantur. Uilibet autem domestici- cam disciplinam, et Societatis ministeria suis potius exemplis, quam objurgationum aculeis, quibus parcissime utebatur, so- licite promovit. Præbat ipse constanter ad ea omnia, quæ cunctis in commune peragenda erant quotidie, magnoque cu- rabat studio, ne quis sine probabili causa eadem explere præ- termitteret: negabat enim, sine his convenientem familiæ re- ligiosæ ordinem posse consistere. Invigilabat etiam attente, ut singuli ad demandata sibi munia et tempestive accederent, et incumbenter diligenter. Quod si aliquem incuriosius agentem

animadverteret, incunctanter quidem commonebat illum officii; sed verbis adeo non indignantibus, ut magis amici monitum, quam imperantis reprehensio viderentur. Raro extra cubiculi limen excedebat, ut præsto esset omnibus sibi subditis, consilium ab eo, vel solatium exquirerentibus: nullaque illum quamvis urgentissima negotia retardabant, ut patientem advenientibus præberet aurem, et optatam ingereret consolationem. Responsa ejus ut plurimum concisa erant, sed quæ rem propositam scitissime attingerent, et ad religiosæ potius, quam humanæ prudentiæ leges exacta. Commissos suæ custodix adolescentes, ut in spem certam crescerent Societatis, ad virtutum, et literarum studium incitabat non tam supplicii terroribus, quam opportunis, salutaribusque consiliis, et amoris vere paterni significationibus; quod vim habet acerrimam, et blandissimam persuadendi. Pœnas vero tunc fere solitus erat infligere, cum in eis noxam aliquam animadverteret, ad quam potius levitas quædam animi, vel improbitas instigasset, quam ardor extatis. Et quamvis exactam ab eis legum custodiæ, attentamque ad omnes officii partes curam exigeret; non ideo difficilis erat in his animi relaxationibus permittendis, quæ juvenes decent ingenuos, quæque prudenter a majoribus inductæ fuerant ad religiosæ vitæ jugum non utique dissolendum, sed deliniendum. Idem etiam cum provectioribus observabat; nec renuebat ipse ad honesta id genus oblectamenta cum iisdem sic interesse, ut nemini Rectoris præsentia molesta esset, vel injucunda. Quod cum efficeret, eo etiam spectabat, ne subjecti sibi Socii aut diutius, quam par esset, aut aliis, quam ipse vellet, lusibus indulgerent.

Huic in gubernando prudentiæ mirabilem mansuetudinem, atque animi demissionem adjunxit, qua suorum pariter, et externorum benevolentiam demeruit. Cum Montem regium missus est Rector, civium animos haud parum ab illius Collegii Sociis abalienatos invenit. Præcesserant enim turbæ, in quibus aliqui per summam vim, et injuriam, nihilque religione loci deterriti, in Collegium irruperant armis instructi. In eos postea cum severe Judices animadvertisserint, non defuerunt, qui severitatis ejus invidiam in ipsos Collegii Patres reijerent, ab quorum proinde consuetudine non pauci ex primis

ribus recesserunt. Sed Pereira, ut dissidium hoc quamprimum dirimeret, viros illos, qui se maxime offensos existimabant, non dubitavit statim invisere, quanquam ab eis hoc urbanitatis officium præstitum sibi non fuisset. Hac ejus ingenua facilitate, verbisque blandissimis, quibus de retinenda concordia coram singulis opportunissime disserebat, ita cunctos ad veterem cum Sociis amicitiam traduxit, ut jam certatim ad eos in Collegium convenienterent, illud propalam asseverantes: *Emmanuelem Pereiram exemplo suo eos id facere docuisse*, quod ipsi jam pridem ex christianis legibus efficere debuissent. Atque ita demum per facillimam Pereiræ mansuetudinem non solum omnis sublata est discordia, verum etiam nova quædam, et permansura coaluit animorum conjunctio. Nimirum, ut in divinis habetur eloquiis, *responsio mollis frangit iram*, et *verbum dulce multiplicat amicos*.

Æque mansuetus erat, ac suavis erga illos, qui suæ suberant potestati, nihilque propemodum esse videbatur, quod pacificum ejus animum perturbaret: non quod acriore natus non esset indole, sed quia assidua repugnandi sibi contentione turbulentos animi motus rationi coegerat obtemperare. Aliquando in libellum incidit, in quo ejus operandi ratio haud parum pungenti stilo suggillabatur. Ac licet de obscuri scriptoris nomine certo sibi constiterit, non aliam ulciscendi viam præter silentium, et patientiam adivit: *Nullus quippe, ajebat, propulsandis calumniis aptior, ant solidior est clypeus, quam admistum mansuetudini silentium*. Si quisquam admonitiones ejus minus libenter acciperet, atque in aliquam conquestionis vocem erumperet; tum ille vel se audisse dissimulabat, vel paucissimis verbis delinquentem ita corripiebat, ut is errorem suum et evidenter agnosceret, et promptius emendaret. Hoc modo quemdam ardenteris ingenii, qui correptionem male gratus, et obtrectans exceperat, ad saniorem mentem ita perduxit, ut statim ille poenitentia ductus, ad Pereiram accurrerit, ab eoque liberioris responsi veniam suppli- citer sit deprecatus. Cui Rector: *Bono sis, inquit, animo: novi enim inter lapsum a vivaciore animo, vel a malitia profectum, quantum intersit*. Sic ille noverat et delinquentes corrigeret, et eorumdem sibi conciliare benevolentiam. Quodsi ali-

aliquem aut ab alienato ab se animo , aut suboffenso esse intelligeret, illum perhumaniter conveniebat, rogatisque offensionis causis, ad eas sincerissima respondebat fide, et quas in operando habuisset vel publici, vel privati boni rationes demonstrabat. Inde autem fiebat, ut qui paulo ante querulum adversus Rectorem gerebat animum, majorem erga illum et amorem conciperet, et venerationem exhiberet. Denique in omnibus, quas per annos plurimos gessit, præfecturis illius gubernandi ratio adeo pacifica fuit, et ad religiosæ prudentiæ leges exacta, ut quidam provinciæ Præses, postquam Perreiræ domum lustraverat, illum deinde, tanquam optimi Superioris normam, aliis proponeret ad imitandum.

His providæ administrationis subsidiis instruetus, Collégium Palentinum, in quo non pauci degebant juvenes, feli-citer moderabatur, cum patrios exire fines Hispani jussi sunt Socii . Sinistrum , nec opinatum casum perinde, quasi prævi-disset, exceptit, nihil ab æquabili tranquillitate dimotus, quam semper in varia vitæ hujus vicissitudine veluti peculiarem sui notam retinuit. Probe conscius, nihil in humanis esse, quod ab divina dispositione non veniat, se , suæque subditos po-testati prompte, ac reverenter decreto Regis subjecit. Sed mem-or insuper, familiæ se religiosæ præsse, cuius ingenuos no-verat mores, et cuius proinde honori consulere tenebatur; non dubitavit vel in illo abjectionis statu suam exhibere constantiam, ut vanos Ministri regii timores cohiberet. Is demandati negotii novitate perculsus, non eam, quæ injuncta sibi fuerat, animi præsentiam potuit in omnibus retinere. Post-quam Sociis in conclave quoddam reductis legem denuntia-verat exilii, singulos singulis stipatos militibus in cubicula sua remisit, ut ea prompte caperent, quæ Rex secum deferre per-mittebat, indeque in custodiæ locum sine mora cuncti redi-rent. Sacerdos quidam, cum ad habitaculum reverti suum non speraret, ab eo palliatus, ac petasatus exivit, rectaque ad Ju-dicem, ut clavem traderet, contendebat. Judex vero, ut il-lum viatorio habitu instructum aspexit, nescio quid inde ma-li suspicatus, cœpit exclamare continuo: Adeste Judici, mil-i-tes, in auxilium. Ad eam vocem milites ad arma convolant, eorumque duces ad stationem quisque suam accurrunt. Ac-

cur-

currit etiam Rector , cui clamoris insoliti causam interroganti , respondit Judex : *veritus , ne Patres fugam arripiant ; quoniam vidi quemdam eorum cum pallio , petaso , et baculo processentem ; opem militum imploravi .* Tum Rector gravi vultu , constantique animo dixit : *Pone , oro te , formidinem istam . Etenim si pandi jussoris Collegii fores , si militares has copias emiseris , ego quotquot mibi subsunt , vel solo nutu continebo , nullusque pedem efferet extra limen . Quod si quisquam secus faxit , meum ipse caput devoveo .* Hac viri firmitate Judex se- se continuuit , et præconcepit suspicione veniam non semel ab Rectore petiit . Fere idem illi contigit cum eo , qui Pal- lentinos Socios a Burgensi urbe Sanctanderum usque suscep- rat conducendos . Cum enim eos per viam , ne quis forte dif- fugeret , frequentissime recenseret , Pereira nimiam ductori so- licitudinem his verbis eripuit : *Noli , quaso , tot frustra ite- ratis censibus defatigari : nemo enim in destinatum locum non veniet . Atque id asserenti mibi , qui singulos intime novi , ne dubites habere fidem . Sic ille , vel in tanta fortunæ commu- tatione , bono suorum nomini consulebat .*

Cum omnibus , qui Palentia digressi fuerant , Sanctanderum ingressus , novam ibi ac multiplicem exhibendæ constantiæ , et caritatis occasionem invenit . Quo tempore Jesuitis indictum fuit exilium , nupferabat província Castellana Socios quindecim et octingentos , in domiciliis commorantes triginta septem , quæ per varias ejus provinciæ regiones constituta erant , exceptis admodum tredecim , qui Matriti , et Romæ , et alibi extra provinciæ fines degebant , certis muneribus destinati . Ex his , quotquot apud Callaicos habitabant , in portum delati sunt Brigantinum , inde velis in Italiam transmissuri : qui Navar- ram , et Guipuzcoam incolebant , Sebastianopolim : Lucroni- enses , ac Victorienses , cum iis , qui in Cantabris moraban- tur , Flaviobrigam : soli Ovetenses in proximum Gegionis por- tum advenerunt . Cæteri vero , qui Castellam veterem proprie dictam , et Legionense regnum inhabitabant , ubi plures , et frequentiores erant Societati domus , omnes missi sunt Sanctan- derum , et intra modicos illius Collegii limites inclusi . Hinc autem , præter alias molestias , quæ diversis diverso obvenie- bant tempore , illæ communes erant , et quotidianæ , quæ om- ni-

nibus ab loci angustiis inferebantur. Inter Pereiræ subditos septemdecim erant juvenes, qui Palentia physica condiscabant. Hi omnes cum uno Sacerdote recepti sunt in cubiculum, cuius in pavimento protensis ad quietem lectulis, vix ubi pedem poneret, invenisses. Nec vero illi pessime omnium habiti fuerunt. Novis quippe Sociorum copiis subinde aduentibus, multi in solario ventis pervio, quorum vis storeis ex arundine male textis arceri non potuit; quidam sub ipsis solarii scalas; alii vel in puerorum classibus, vel in patentibus ambulacrorum spatiis pernoctare cogeabantur. In his aliisque durioribus incommodis Emmanuel Pereira, cum alios passim, tum suæ commissos fidei verbis, et exemplis ad viriliter sustinendum incitabat. Quod cum alii similiter efficerent, in domo illa, ubi corpora coangustata erant undique, magna itidem erat amplitudo mentis, cordisque dilatatio ad perferendos labores, qui tum aderant, et graviores, qui prope diem imminebant, aggrediendos. Recurrebant per eos dies opportunissime sacra patientis Christi mysteria, quæ dum a singulis frequenti meditatione perpenduntur, dum ea Sacerdotes ad aram, et in quotidianis precibus recolunt, dum eadem anagnostes iterat inter prandendum, ingentes omnibus adjiciebant animos ad exilii opprobrium constanter ac libenter subeundum.

In Italiam delati navibus, ultra annum ad Corsicam constiterunt, ibique in Cœsiæ litore, sive Calvii, durum exilii sui posuerunt tirocinium. Pereira cum primum in terram fuit expensus, eo cogitationes suas omnes convertit, ut diversorum aliquod quereret, in quo familia sibi commissa recipetur. Constatbat hæc Sociis triginta quatuor, quibus collocandis non aliud reperire potuit hospitium, præterquam horreum, quod præsidarii milites Galli reponenda farinæ destinaverant. Is locus, quem nullus distinguebat paries intermuralis, patebat in latitudinem communes pedes sexdecim, in longitudinem triginta sex. Ibi et extendendi erant lectuli, et mensæ apponendæ, et focus pro cibis apparandis instruendus, cuius e fuligine, ac fumo non parum accrescebat incommodi. Hæc sub ardente Sirio cum evenirent, manentium in eo latibulo plerique pustulas contraxerunt, nonnullus intra paucos dies cor-
rep-

reptus est febri. Accedebat his malis annonæ difficultas, et belli timor, quod paucis ab exscensu Sociorum diebus incep-tum, illos per duos circiter menses sollicitos habuit, ut alibi demonstravimus. Emmanuel in tanto laborum cumulo nullum perturbati, nedum concidentis animi prodebat indicium; quin etiam hilari vultu, verbisque opportunissimis omnes ad patien-tiam adhortabatur, commemorandis majoribus navium angus-tiis, aliisque præteritis incommodis, quæ jam laudabili con-stantia superaverant. Succrescentibus deinde per obsidionem, et Gallorum redditum ærumnis, si quem suorum afflictum ani-madverteret, nullum aut solicii Præsidis, aut amantissimi Pa-tris officium prætermittebat, ut jacentem erigeret, et ad por-tandam impositam a Deo crucem, sperandumque ab eodem auxilium, ac solatium animaret. Venerant per id tempus Au-gustam Taurinorum duo Societatis viri Subalpini, qui adni-tente Sardiniaz Rege, a vinculis vindicati fuerant, in quæ il-los, cum aliis bene multis e Societate, Minister Carvallius Ulyssipone conjecerat. Non defuit ea occasione, qui pru-denti sane consilio literas ad Corsicam mitteret, quibus pos-sent Hispani exules, ut inter alios Pereira fecit, ad constan-tiam mirabiliter excitari. Quarum literarum talis erat con-textus.

„Nuper in hanc urbem advenerunt Fantinus, et Bon-, „joanninus e Societate Jesu, quos Rex noster pro egregia ejus „in omnes sibi subditos caritate ab ergastulis Ulyssiponensi-„bus erui, et in itinere liberaliter haber curavit. Quanta „inibi toleraverint, omnibus ex illorum macilento vultu, et „lurido palore, vel ipsis tacentibus, apparet: simulque sua-„vissimis, et integerrimis moribus, dulci atque ad omnem „modestiam, et religionem composito sermone cunctis Tau-„rinensibus gravissimum innocentiaæ suæ perhibent testimoni-„um. Idem mira, et horribilia narrant de inauditis pœnis, „quas Lusitani Socii adhuc in custodia detenti perferunt, de-„que supernis benedictionibus, quibus illos Deus misericor-„diter cumulat, et quæ proculdubio ex adjunctis præter com-„munes naturæ leges evenire convincuntur. Ego ipse et mo-„do, et per elapsam hiemem pulcherrimas vidi literas, ab „illis carceribus emissas, prorsusque dignas primævis Ecclesiæ
Lib. II. b „he-

„ heroibus. In eis nihil me magis recreat, quam quod illis
 „ pro Christo vincit communem esse videam perfectissimam
 „ ad Dei placitum submissionem, tenerimam in ærumnis ju-
 „ cunditatem, tantumque durissimæ crucis gaudium, ut nihil
 „ ardenter optent, quam vitam in ea ponere, nihil pertimes-
 „ cant vehementius, quam ab ea viventes, et inviti deponi.
 „ Laborum historia, quos viri illi sustinent Deo pleni, vere-
 „ que suffixi cruci cum Christo, posteros obstupefaciet, vix-
 „ que adducentur, existimo, ut eidem fidem habeant. Vide-
 „ bunt in ea inculpatæ vitæ homines ad tenebricosa, et arctis-
 „ sima detrusos ergastula, quæ propter profundam ipsorum
 „ altitudinem nullum aut luci, aut aeri aditum præbent, et
 „ propter recentissimam ad vinctorum adventum substructio-
 „ nem supra modum sic madida, ut modicum illud stramen,
 „ quo unico utuntur lecto, intra paucos marcescat dies, et
 „ in stercora putrefiat: glirium immodicam multitudinem, qui
 „ e captivorum manibus panem abripiunt, et super eorum ora
 „ discurrunt, dum ad captandum somnum recumbunt: bestio-
 „ las diversi generis, foetidosque vermiculos, præter eos, quos
 „ generat humanum corpus, diuturno situ, et squalore con-
 „ fectum: vestes putredine absumptas, et frustatim in terram
 „ incidentes: indeque miserandam adeo nuditatem, ut præ-
 „ amore pudicitiaz vel paleis opus sit contegi, vel segmine
 „ cilicii cuiusdam æruginosi, quod eis aliquando permissum
 „ est ad operiendum: dirissimam item famem, quoniam be-
 „ nigne se haberi existimant, cum selibram panis mucidi sin-
 „ guli per diem accipiunt: duros, et immites custodes car-
 „ cerum, qui custodias asperioribus modis divexant: perpe-
 „ tuam denique noctem, cujus tenebras lucerne tantum sim-
 „ plicis, quæ tamen oleo sæpe deficitur, lux maligna dis-
 „ pellit. Eorum aliqui expoliati sunt imaginibus, et numis-
 „ matis sacris, ut etiam codicibus divinarum precum: sed
 „ cum ad tollendam ex eorum manibus effigiem Christi con-
 „ fixi ventum esset, Sacerdotali constantia restiterunt, ne si-
 „ bi unicum in adversis solatum, et incitamentum ad patien-
 „ tiam eriperetur. Alii ulceribus sunt pleni: singillatimque
 „ asseritur de Sacerdote quodam sene, quem nulla vestis ob-
 „ tegit, ita esse ulcerosum, ut a vertice ad imos talos pla-
 „ gis

„gis scateat. Idem , cum nec brachia , nec manus movere
 „possit , more bestiarum edere coactus est , demisso in ter-
 „ram capite ad capiendum cibum dentibus , et aquam lingua
 „lambendam . Nullus ibi Medicus , nullus Sacrificii , vel Sa-
 „cramentorum usus , nisi cum aliquis letali morbo corripi-
 „tur : ac ne tum quidem Christi Corpus accipiunt , nisi ad-
 „hibitus infimæ notæ Medicus , mortem jam imminere , ju-
 „rato testificetur . Sed mirum ! Cœlestis ille panis jam pene
 „depositos s̄epissime ad valetudinem revocavit : atque aliquis
 „octies , vel decies sacrum Viaticum eo modo recepit . Un-
 „de ajebat Medicus , cum ad eum deploratum arcessebatur :
 „Novi ego medicinam , quæ se sanum faciet . Afferatur illi
 „Viaticum . Multi post mortem mirabiliter faciem commuta-
 „runt , ipsique custodes carcerum , cum ad foveam cadavera
 „raptabant , admirabundi dicebant : *Hi enim vero vultus sunt*
 „Beatorum . Ex iisdem custodibus aliqui , constantiam et for-
 „titudinem captivorum admirati , eos nonnunquam his allo-
 „cuti sunt verbis : *Quoniam vos bipedum genus estis ? Hic e-*
„nim , ubi robora , et ferrum ipsum mucore , ac ferrugine cor-
„rumpuntur , vos tamen vivi , ac nonnulli etiam sani post
„tot annos perseveratis .

Has literas Pereira cum obtinuissest , eas non modo se-
 cum ipse tacitus recolebat , sed frequenter etiam coram om-
 nibus , qui domi sux erant , integras recitabat . Illisque per-
 lectis , hanc plerumque adjungebat exclamationem : *Hi demum*
labores magni sunt , vereque difficiles ! quibuscum si nostri con-
ferantur , vix eo nomine habeantur digni , solumque laborum
umbra dicendi . Quibus , aliisque verbis peropportunis suorum
erigebat animos , ne in illa calamitate conciderent . Sed quo-
niam foris sonantem vocem , nisi spiritus admoneat intus , pa-
rum prodesse noverat ad permovendum ; summam adhibuit
diligentiam , ut intra farinariam illam cellam , ad quam con-
fugisse diximus , religiosa quædam vigeret æconomia , quæ
ad roborandam , et retinendam constantiam deserviret . A pri-
mo statim die tempus certum statuit , in quo deberent omnes
stratum relinquere , deindeque per horam cœlestium insistere
meditationi . Voluitque , ut ab omnibus inter induendas ves-
tes (quoniam omnes in eodem manebant cubiculo) alternis

diceretur hymnus *Veni Sancte Spiritus*, Litaniae Mariæ Virginis, aliaque preces, quæ in tirocinio consueverant recitari. Pomeridiano tempore omnes pariter elata, et alterna voce Rosarii globulos precando percurrebant, et legentem pium aliquem librum per semihoram auscultabant. Post cœnam, similiterque ante prandium, singuli in sua facta inquirebant per quadrantem horæ: nec sinebat Emmanuel aliquem eo tempore per Cœnaculum divagari. Ante solemnia Beatæ Virginis, Sanctorumque Societatis cuncti novendiales fundebant preces, ut se ferventius ad ea celebranda præpararent. Hæc omnia, quæ dum Calvii mansit, ab omnibus, quibus ille præerrat, observari constanter voluit, propterea in eum modum statuit, nequis vel propter habitaculi angustias, vel propter librorum penuriam pias illas exercitationes prætermitteret. Addebatque ipse vim magnam omnibus, cum et primus ad eas accederet, et constantem in iisdem persolvendis ostenderet accusationem.

Non minorem adhibuit curam in domestica supellectili comparanda, et iis, quæ ad quotidianum victum opus erant, perquirendis; quod in exigua, et paupere urbe, atque ab hostibus obsessa, plenum erat negotii. Verum ille, ut suorum necessitatibus subveniret, nulli vel industria, vel operæ parcerbat suæ. Præter alia, quæ ad rectam suæ domus administrationem prudenter excogitavit, ipse non raro per domos, per apothecas discurrebat, ut victui necessaria compararet: quæ si invenisset, non dubitabat domum suis manibus, vel humeris deportare. Sæpe non sine admiratione, lætaque inspectantium admurmuratione visus est Emmanuel Pereira, tot jam præfecturis in Societate perfunctus, per vias Calvii aut orcam olei portans, aut aquæ hydriam, aut saccum cibariis onustum incedere. Cumque levare illum onere vellent alii, quod ejus canis, et meritis parum convenire existimabant, nullius quamvis iteratis precibus flectebatur, illud ridente vultu subjungens: *Equidem apud religiosos viros nullum unquam vile munus existimavi, multoque minus in præsenti nostrarum rerum statu.* Post duos circiter menses relaxata obsidione, factisque induciis, ex angusto illo, et incommodo diversorio ad ampliorem domum pertransiit. Sed et illa, redeuntibus

pau-

paulo post Gallis, præfectis relinquenda fuit militum, et ipse cum Sociorum parte, quibus præfuerat hactenus, in partam extra urbem domum concessit. Hæc in planicie sita erat, quæ mari alluitur ad orientem solem: ad occidentem vero, ut etiam ad austrum, et boream perpetuo montium jugo concluditur. Inde impedita ventorum agitatione, qui cætero-qui violenter intra urbem dominantur, locus ille parum salubris ab indigenis habebatur, cum præsertim aquæ, vel quæ ab æstuanti mari prosiliunt, vel quæ ab vicinis decurrunt montibus, non longe ab ea domo stagnarent. Sed Hispanis exilibus in tanta domiciliorum penuria, quocumque pateret aditus, fuit confugiendum.

Et Pereiræ quidem salus nullum in eo palustri loco passa est detrimentum. Vedit tamen cum ingenti animi dolore, quos secum eo duxerat, intra paucos dies, modo hos, modo illos febribus laborare malignis, quæ medentibus, hoc est domesticis Pharmacopolis, multum negotii, ægrotis vero maximam patientiæ materiam exhibuerunt. In ea calamitate Rectorem tantum, atque unum ex Adjutoribus ab omni contagione liberos Deus reservavit, qui cæteris opem, et consolationem afferrent. Et vero tam industrius in Rectore fuit labor, tam strenua in subveniendis infirmis diligentia, ut hic nullum solicite Matris officium desideraverint. Per id tempus hæc erat illius agendi ratio. Multo mane consurgens, horariæ vacabat meditationi, seque ad divinum comparabat Sacrificium, quod deinde multa cum religione peragebat, et convenienti contentione vocis, ut a decumbentibus audiretur. Gratiis ad longam moram peractis, omnes invisebat ægrotos, singulisque vel jentaculum, vel decretum in illam horam medicamentum ministrabat. Reliquis ad meridiem horis nunc iis, nunc illis aderat, non solum ut potionem daret, aut malagmata imponeret, sed etiam ut suavissimi eloquii medicina fatiscentes reficeret, prout cujusque necessitas postularet. Ad prandii horam omnibus apponebat cibos, quos ille convenienti verborum sale aspergebat. Post meridiem vero, cum ægrotantes meridianationi jam indulsisserent, Marianæ Coronæ preces alta voce inchoabat, ut ii omnes, quibus per morbum liceret, præcincti responderent. Deinde legebat aliqua, quibus posse

sent ægroti ad molestias morbi æquanimiter, et cum magno animi fructu perferendas excitari. Tum iteratis visitationibus unicuique vel potum, vel alia, quæ opus essent, porrigebat. Sub vesperum cum Adjutore illo, quem morbo immunem fuisse dixi, sternebat lectulos, matulas, et lasana repurgabat. Ambo denique inter se, quæ domi, et foris obeunda erant, ita partiti sunt munia, ut neutri cessandum esset, si tot vel lent infirmis (quod prorsus effecerunt) debitam curam impendere. Ad hæc autem, præter actuosam diligentiam, magna item patientia, solidaque caritate opus erat: quarum virtutum etsi adhuc Pereira multa præbuerat documenta, in diuturna tamen suorum ægrotatione multo illustrius dedit specimen. Indeque non tantum apud subditos, sed reliquos etiam provinciæ Socios, qui testes indecessæ illius solertia fuerunt, præcipuum inivit gratiam, et venerationem.

Vix dum ex paludosa illa sede ad salubrarem locum suos eduxerat, cum ipse quoque morbi ejus sensit indicia, cuius vi, dum ministraret ægrotis, nunquam illius tentata est valetudo. Et quanquam eum non perinde, ac cæteros diversavit (Dei fortasse munere ob impensum ægrotantibus servitium) tamen ex dysenteria, in quam morbus desit, tantam intra paucos dies et virium, et coloris habuit imminutionem, ut cadaveri similis videretur. Et qui ad aliorum sublevanda incommoda fuerat attentissimus, suorum modo negligens, neque lecto decumbere, nec medicæ peritos artis, aut ullum adhibere voluit medicamentum. Nimirum male se habere vix agnoscebat, nisi ut, abjecta propriæ valetudinis cura, confidentius in Dei manus se se projiceret. Per eos dies serio cum animo suo recogitavit de magistratu deponendo, ut impensius sibi consuleret, seque ad immortalitatis aditum præpararet. Sed iis contraria sentientibus, quos adhibuit ipse in consilium, ab sua cogitatione recessit, caputque oneri superposuit gravissimo, quale semper quidem fuerat, sed in ea maxime tempestate, præfectura Sociorum.

Itaque a Corsica in eam Æmilie partem transvectus, quam parvus Rhenus interfluit, domum prope Bononiam jussus est regere, in quam sex et nonaginta Socii convenerunt. Ut copiosam adeo familiam bene collocaret in domo, quæ satis ampla

pla erat, sed in deserto loco sita, et a qua illa, quæ ad vi-
tæ usum pertinent, omnia cum pulvisculo ablata fuerant,
incredibilem adhibere debuit diligentiam. Statim aras sex fecit
erigere, ad quas facile omnes operari, et assistere divinis quo-
tidie possent. Lectulos etiam cum fulcris sine mora consti-
tuit, abacos, et sedilia quæsivit, ac reliquam domui, quæ denuo
instruitur; necessariam supellectilem. Nulli demum aut sum-
ptui pepercit, aut labori, ut ea nemini deessent, quæ ad vitam
decenter sustentandam exiguntur. Unde tectum illud vacuum
novam intra paucos dies formam exhibuit, et illius inquilini,
quamvis incolendæ solitudini minime assueti, urbanam com-
moditatem non requisierunt. Id autem indefessæ Rectoris vi-
gilantia, atque operosæ caritati debebatur, qui noctes, et
dies de optima suæ domus administratione, deque singulo-
rum commodis cogitabat, neque ullam in administris ferre po-
terat demandati muneris negligentiam. In statuenda vero, at-
que exigenda religiosa disciplina, consimilem conatum, et
constantiam exhibuit. Certas, ut Calvii fecerat, pro quoti-
dianis animi exercitationibus horas constituit, in quibus om-
nes ad precandum, et meditandum tintinnabuli sonitu evoca-
rentur. Et quoniam modo ad pacatissimam sedem devenerant,
diem unum per singulos menses designavit, in quo possent
omnes orationi, lectionique sacræ, aliisque divinis rebus diu-
tius insistere. Neminem quidem ad id cogi voluit, quod scie-
bat in Societatis legibus, aut inductis in universum moribus
non contineri. Sed, cum scirent omnes, gratum se Rectori
suo effecturos, illumque ad omnia religionis opera præuen-
tem animadverterent, laudabilem illum, præcipuæque utilitatis
recessum pauci admodum non usurpabant.

Ad Sociorum in eas partes adventum maligni quidam ru-
mores fuerant sparsi, qui pessimam de illis opinionem in mul-
torum animis ingeneraverant. Et quanquam cito præconceptas
illæ opiniones deposuerunt, cum ipsimet curiosius observas-
sent, Hispanos Jesuitas, utut exilii pœna multatos, cum iis,
quos jam noverant, adeo moribus convenire, ut ovum ovo
similius esse non posset; Pereira tamen, cui cordi semper
fuerat bonum Societatis nomen, majorem in præsentia curam
adhibendam sibi esse duxit, ut vel levissimas offenditionum

causas amoliretur. Quod si aliqui pro humana conditione non nunquam aberrassent, nullo personarum discriminē continebatur, quominus eos vel privatim, vel publice corriperet, prout caritatis, et justitiae leges exigerent. Neque aliquem propterea exacerbatum fuisse novimus, cum bene omnes nosserent paternum Rectoris animum, qui correptionis medicinam eatenus adhiberet, ut errores emendarentur, non ut errantes affligeret, vel contristaret. Proinde nullum ibi querelæ verbum, nulla adversus Præsidem obloquia; sed omnes potius et inter se, et cum Bononiam, quæ prope aberat, adventabant, apud alios etiam Pereiræ prudentiam, et præclaras ad regendum dotes extollebant. Quod eo admirandum est magis, quod in illam domum tam multi et atque dispersi, et ingenio dissimiles convenissent. In eadem domo Pereira quamplurimos hospitio excepit, qui ad revisendos amicos, et notos ex variis Italæ provinciis advenerunt. Ac licet eorum frequentia nonnihil domesticis afferret incommodi, non ideo quemquam exclusit, sed omnes lata fronte suscepit, ac pro eo quantum præsentes facultates sinerent, liberaliter habuit: iidemque inde abeuntes, insignem hominis caritatem, atque ad omnes comitatis numeros obeundos curam attentissimam prædicabant. Cuidam vero, qui majorem in peregrinos impensam agi objiciebat, quam ut domestici census commode sustinerent, constanti ore respondit: *Quidquid alendis hospitibus insumitur, si ex aquo in singulos nostrum divisoris, unicuique tanti stare compieres.* (Hic ille summam minutissimam subducebat.) *Ob tantillum igitur sumptum hospitalitatis jura erga fratres nostros non observabimus? Ego certe tam il-liberalis esse non possum.*

Post annum Bononiam appellatus, ibi cum alias domos, tum illam administravit, quæ sub S. Aloysii nomine ab Theologis auditoribus incolebatur. Sed iis præclaro vita exemplo, atque optimis consiliis cum paucos præfuisset menses, allatum in eam urbem est decretum, quo Romanus Pontifex Societatem dissolvebat. Aliissima Dei judicia reveritus est quam humiliter, simulque erga vices ejus gerentem in terris demissimam professus est obedientiam. Quamvis enim acerba sibi esset ea rerum conditio, nullum tamen questum, nullam reprehē-

prehensionis vocem ab ipsius ore quisquam audivit. Itaque dolenter quidem, sed prompte vestem illam depositus, quam tot annos, tot inter labores, tantoque cum amore gestaverat. Novo induitus habitu, paulo post novam quoque domum cœpit incolere, in quam cum sociis aliquot immigravit, prout Præfecti regii permiserant, qui Bononiæ pro negotiis Hispanorum exulum constituti erant. Ibi pacificos ducebat dies, ab omni mundanarum rerum tractatione disjunctus, nullumque vitæ superioris, in perpetua gubernatione transactæ, saporem retinens apud contubernales. Inter cubiculum, et templum diurnas horas ita dispertiebatur, ut præter modica spatia, quæ deambulationi dabat, et ægrotorum, vel amici alicujus visitationi, reliquum tempus lectioni, ac meditationi divinorum impenderet, et Eucharistia frequentandis adorationibus. Hunc tenorem vitæ plusculum ultra annum secutus fuerat, cum alios denuo lares inquirere, atque alias contubernii leges subire coactus est. Exeunte Junio 1775, Hispanus in Urbe Minister severa comminatione præcepit, ut Hispani omnes, qui de Societate fuerant, intra dies quindecim ita disjungerentur hospitio, ut terni summum sub eodem tecto habitarent, neque illi promiscue viverent, qui professionem quarti voti, et qui simplicia tantum vota emisissent. Res erat plena difficultatis, et incommodi. Nam Bononiæ conductitiæ domus post tridie Nonas Majas incoli occipiunt, post quem diem difficile est vacantem invenire domum. Pro iis vero, quas Hispani eo die occupaverant, annuæ locationis pretium ad assem exsolverant, illudque repeterem non licebat. In earum non paucas seni, vel octoni, aut etiam deni convenerant; tum ut majoribus parcerent sumptibus, cum idem focus, et culinaria supellex, aliaque domestica instrumenta peræque pluribus sufficient, ac paucis; tum etiam, ut senibus, et invalidis juniores, et integri deservirent. Nunc autem in conducendis, instruendisque novis ædibus et majores facienda erant impensis, quam ferrent exulum modicæ facultates, et nonnulli ex imbecillioribus convenienti eorum necessitatibus auxilio destituenti, et quidam germani fratres, qui diversos in Societate gradus obtinuerant, contubernio dissociandi. Hæc tamen, aliaque multa devoranda fuerunt incommoda, quoniam iis, qui

ad præstitutam diem mandata non perfecissent, nec annualis solvenda erat pensio, et aliud quiddam gravius denuntiabatur. Hispani in urbe Bononia nongenti per eos dies numerabantur, quorum aliqui opportuno tempore domicilia sibi quæsierant, quæ bini incolerent, vel etiam terni. Cæteris intra præfiniti temporis angustias difficile erat habitaculum invenire, quod suam cujusque deceret conditionem. Non pauci propterea ad nimium vulgares domos confugerunt, in quibus et fraudes, et furta perpessi sunt, atque aliqui manifestum vitæ discriminem incurserunt, quod non nisi Dei singulare providentia declinarunt. Quæ omnia non ideo a me dici quisquam existimet, ut mortalium incusem aliquem, sed ut ostendam, quanto illos animi robore præditos esse oportuerit, qui diuturni exilii malis afflitti, et ab recenti Societatis abolitione dolentes, novum hunc, ac sane quam difficilem laborem patienter nihilominus sustinuerunt.

Talis inter alios fuit Emmanuel Pereira, qui nulla inde perturbatione commotus, habitationem cum alio Sacerdote conduxit, in qua suam vivendi tenuit religiosæ simillimam consuetudinem. Deteriorem sentiebat in dies sui corporis habitudinem, et qui nullum non diem supremum sibi esse posse crediderat, illum jam proxime instare, firmius modo in animum induxit. Sic ille testatus est fratri suo, a quo per id tempus aliquam pecunia summam ab Hispania receperat, eique in hæc verba respondit: *Quos mibi numos mittis, curando meo funeri inservient, quod equidem, prout morbosus sum, et infractus, valde cominus aspicio.* Sed quanto debilior corpore, tanto erat animo ferventior in exequendis, augendisque religiosis officiis, et replicandis beatæ vitæ desideriis, quæ illi non minus antiqua fuerant, quam incensa. Dum his insistit enixius, morbus eum incessit ultimus, qui ex hydrope, et auragine coalescere videbatur: sed cuicuimodi is fuerit, magnis illum doloribus per tres amplius menses defatigavit, quos mirabili patientia sustinuit, ac frequenti ad Deum recursu delinivit. Quamvis acutis urgeretur dolorum aculeis, preces tamen Sacerdotales, aliasque privatas exsolvere non prætermisit, donec ab iis expresso Medici mandato fuit prohibitus. Tunc ille, pro ea, qua semper fuerat, animi demissione, sese reiculò

culo jumento comparabat, quod nulli jam usui, nullis est laboribus opportunum. Cum ei deinde irreparabile vita periculum Medici denuntiarunt, nuntium vulgo tristissimum summa animi pace, atque immota serenitate vultus exceptit: nam qui mortem frequenti cogitatione prospexerat, illamque necessarium ad beatitudinem aditum considerabat; dum adesse cognovit, nihil in ea novum, nihil item horridum aspiciebat. Arcessiri Sacerdotem jussit, cui solitus erat arcana sua omnia manifestare, et ad se ingredienti dixit, ne suam doleret vicem, neque ullum inde mœrorem conciperet; quoniam ipse ad ineundam æternitatis viam paratus jam erat, et accinctus. Pari atque alias tranquillitate peccatorum confessionem instituit, rogatusque anne aliquid in extremo illo tempore illius animum pungeret, ita respondit: *Si de culpis loqueris, nihil per Dei misericordiam. Illud me tantum angit, quod Societatis ueste spoliatus morior. Quanquam id etiam me valde recreat, quod in cœlesti patria omnes splendidiorem induiti uestem incedamus.* Deinde sanctissimum Christi Corpus accepit magna religione, atque accensæ caritatis affectibus, quos identidem per reliquum vitæ spatium ingeminavit. Frequenter etiam, et suavissime Deiparam alloquebatur, cuius clientelæ, imo etiam perpetuæ servituti sese dediderat ab ipso religiosæ vitæ tirocinio Literas servitutis hujus testes qui post Emmanuelis obitum inspexerunt, perfectissimam in omne vitæ tempus Mariæ Virgini devotionem continere, flagrantemque adversus eam amoris ignem spirare profitentur. Et qui nunquam, dum vivet, clementissimæ servire Dominæ non studuerat, jam moriturus, majori cum fiducia potentissimum illius patrocinium implorabat. Sic ille supremam expectabat horam, quæ celebrius, quam pro Medici opinione adventavit: in eaque pacatissime animam Deo tradidit IV Idus Decembris anni 1775, ætatis suæ sexagesimo quinto. Corpus ejus magno omnium luctu conditum est in æde S. Marci de Caritate nuncupata, quam tenebant eo tempore Patres tertii Ordinis S. Francisci.

Vir fuit Emmanuel et Deo carus, et hominibus acceptissimus. Hoc magnam partem naturæ debuit, quæ illi mitis erat, ac jucunda, ingenuaque liberalis. Illud supernæ tribu-

endum est gratiae , cuius insinuationibus fideliter obsecutus , eam perfectionis attigit lineam , quæ suam decebat conditio- nem. Intra religiosæ paupertatis angustias ita delectabiliter ha- bitabat , ut cum posset ob initam cum multis gratiam , et ob collata in plurimos beneficia , iis abundare rebus , quæ ad commodiorem cultum pertinere existimantur ; vel omnia ille rejiceret , vel si quid urbanitate constrictus acciperet , statim aliis perquam libenter dilargiretur . Dum Lucronii magna to- tius civitatis acclamatione Theologiam discipulis prælegebat , cæterisque civibus et orationibus sacris , et audiendis confes- sionibus , et omni officiorum genere proderat , non pauci tam effusam hominis beneficentiam rependere desiderabant : quibus ipse alienum ab humana remuneratione animum sapienti numero objecit. Idem ille Pereiræ auditor , quem alibi ad ostenden- dam hujus modestiam inter literatorum plausus testem appelle- lavimus , de hoc ejus fluxarum rerum contemptu sic loquitur : *Eandem moderati animi temperantiam aliis etiam in rebus ex- hibebat. Intra illius cubiculum , præter lectum , et mensam cum libris , ac sedilia quatuor , vix quidquam vidisses ullius preti. Vestibus fere semper detritis indutus , quanti voluntariam pau- periem faceret , palam significabat .* Palentia jamjam agendum in exilium , cum cæteri aliqua sibi desumerent , quæ singulis ex- trahenda permittebantur , ille neque hippoperam , neque ar- culam cogitabat : prorsusque omnium indigens excessisset , nisi alii quedam in ejus arcam immitti curassent , quæ dein- de cum reliquis exportaretur . Sanctanderensis quidam civis , dum ibi Socii detinebantur , Emmanuelem convenit , eique literas Lucronio acceptas ostendit , quibus jubebatur eidem tantum æris subministrare , quantum vel opus haberet , vel etiam vellat . Hanc adeo beneficam voluntatem sincera grati animi demonstratione rependit : de oblatis vero pecuniis , ut ab eo , qui tum ibi aderat , audivi , vel nihil penitus , vel pa- rum admodum sumpsit , ne beneficii largitatem fastidiose res- puisse videretur . Ut candori consuleret castimonie , præter constantem in victu , cæteroque corporis cultu moderationem , duriora etiam adhibebat , quibus sensum affligeret , et animum a lubricis cupiditatibus contineret . Oculos , ac linguam non timidioris animi vitio , sed pudoris studio ab omni licentia co- hibe-

hibebat, et longa cum mulieribus colloquia, quantum caritas, aut necessitas sineret, evitabat. Cum Bononiæ, ab antiquis di- vulsus sociis, privatam domum cum altero Sacerdote conduxit, ut omne seminarum effugeret ministerium, cum laico sibi olim subdito pactus est, ut apparatas sibi epulas subministraret, aliaque præstaret officia, quibus ipse in devexa jam ætate fungi non poterat. Quod ad obediendi perfectionem spectat, quanquam ille perpetuis fere magistratum honoribus usus, minorem obsequendi aliis occasionem habuit; tamen, præter exhibitat eorum decretis, quibus ipse suberat, reverentem submissionem, assidua domi suæ præbebat omnibus obtemperandi documenta. Etenim, cum ea religioso viro præcipua sit laus obedientiæ, si quotidiana disciplinæ opera et prompte suscipiat, et exequatur attente, et exacte perficiat; quippe id, teste Bernardo, martyrii genus est, *illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius;* Pereira per dies, per noctes singulas inchoandis religiosis officiis alacritatem, in obeundis accurationem, in absolvendis constantiam adhibuit. Et quod efficiebat ipse, ab aliis etiam teneri nitebatur, eisque proinde suum illud principium inculcabat: *Si quæ nostris præscribuntur legibus, modo is, modo aliis agere prætermittat, aut vero peragat oscitanter; quæ prius apta erant, facile dissolventur, sensimque bonus religiosæ dominus ordo perturbabitur.*

Illud denique de Pereira dixerim, quod ii, qui cum eo diu fuerunt, unanimi sensu confirmant. Virum scilicet suis se præclara indele, suavissima cum cæteris consuetudine, mitemissimis, et integerrimis moribus, inter frequentes Doctorum acclamations modestia singulari, in mediis obtrectatorum injuriis imperturbata patientia, ad exequenda demandata sibi munera semper strenuum, erga omnes beneficum, ac liberalem, ingenio, doctrinaque præstantem, sed studio pietatis multo præstantiorem. Atque his omnibus ornamentis, quibus jam tum decoratus incedebat, cum privatus esset, ad gerendos magistratus admotus, ea superaddidit, quæ ducendæ religiosæ familiæ requiruntur. Tunc enim curam exercuit in tuenda disciplina pervigilem, eximiamque prudentiam ostendit tum in promovendis ad perfectionem Sociis, eorumque lapsibus vel

præ-

præcavendis , vel reparandis , tum etiam in Collegiorum reditibus diligenter administrandis . Et quoniam de cæteris ejus prudentiæ partibus non pauca jam dedimus exempla , juvat hic unum proferre , quod illius in œconomicis providentiam ostendet . Sacerdos , qui sub Pereiræ ductu rem domesticam procurabat , quiddam magnis conatibus moliebatur , quod e re omnium fore credebat , qui magno numero in eadem manebant domo . Excogitationem suam semel et iterum cum Pereiræ proposuisset , totiesque ab eodem repulsam passus , non propterea destitit ab incepto . Tertio Rectorem aggreditur tanto rationum pondere , ut minime dubitaret ipse (eratque procul-dubio emunctæ naris homo) quin illum ad suam adducturus esset sententiam . Tum Rector , quod antea precise negaverat , paulo fusius exposuit : totque in eo incommoda latere demonstravit , ut Procurator suum statim consilium reprobaverit , simulque Rectoris prudentiam suspiceret , qui rerum adjuncta omnia tam scite attigisset , et eorum consecutiones adeo prævidisset acute . Sic ille in omnes officii sui partes invigilabat , et qui tantam ad humana negotia solertiam conferebat , in diuinis utique nihilo inferiorem adhibuit . Utrumque vero ex orationis , et meditationis depromebat studio : quid enim nisi lumen acciperet , qui ad Patrem luminum frequenter , ac reverenter accedebat ? Inde circumspectus erat in deliberando , in iudicando prudens , et perspicax , in decernendo vero certus , atque ab eo , quod maxime deceret , plerumque non aberrans . In longa Sociorum gubernatione , quanquam ab indagandis curiose aliorum factis abstineret , omnia pro sua mentis sagacitate perspiciebat , multa prudenter dissimulabat , quæcumque opus essent , benigne corripiebat . Ob eas , cæterasque præclaras ipsius dotes omnibus , atque iis præsertim , qui sub ejus potestate vixerunt , carissimus semper fuit , dignusque habitus , ut illius nomen posteritati commendetur .

JOSEPHUS JOACHIMUS MENDIZABAL.



Sebastianopolis Vardulorum urbs notissima , et opulenta , patria fuit Mendizabali , qui susceptus in lucem est decimo septimo Kalendas Novembres , anno millesimo septingentesimo decimo tertio . Parentes ejus nobiles , et copiosi statim de christiana , et liberali filii educatione cogitarunt . Quod ut cumulatius assequerentur , postquam domi prima religionis , ac literarum rudimenta diligenter edoctus fuerat ; illum Burdigalam miserunt in Seminarium , quod ea tempestate sub disciplina Patrum Societatis Jesu magna florebat laude . Ibi literis humanioribus , aliisque artibus , quæ ingenuum puerum decent , accuratissime fuit excultus , atque inter alia Gallice optime loqui didicit . Inde domum patriam regressus , de vita statu eligendo serio deliberare coepit . Divitiarum , atque honorum illecebræ , quibus inter suos facile poterat abundare , nihil eum remoratæ sunt , quominus mentem ad religiosæ vitæ inopiam , et abjectionem converteret . Solitudinis , silentii , ac pietatis amor , quibus maxime virtutibus in ferventi etiā ætate delectabatur , in eam primum sententiam impulit , ut in Cœnobio Miraflorensi Carthusianis Monachis adscribi peteret , quorum austerrissimam vitæ rationem per dies aliquot fuerat expertus : remque omnino ad exitum perduxisset , nisi medicorum intercessisset judicium , qui candidati valetudinem tanto oneri ferendo imparem fore censuerunt . Propterea cogitationes suas alio traducere coactus , decrevit deinde Societati Jesus nomen dare . Sed cum id Parentibus ejus esset ingratum , et ipse neque a proposito discedere , neque illud sine eorumdem venia exequi vellet , aut posset ; non facile dictu est , quanta inde molestiarum procella sit exorta . Hanc ille , ut erat constanti æque , ac mitissimo animo juvenis , patientissime toleravit . Cum tamen apud suos nihil precibus , et obsecratiōnibus proficere videret , id consilii cœpit , quo tandem eorum

rum animos expugnavit. Quodam die , vel ut propinquorum oppugnaciones declinaret , vel ut suam in arrepto proposito constantiam iisdem ostenderet , clanculum e domo sese propriens , in proximum Lojolæum Collegium aufugit , indeque Patrem certiores effecit , non ante ad paterna limina rediturum , quam ejus beneplacitum ad Societatis vestem induendam obtinuisse. Hac animi firmitate perspecta , Pater ægre quidem filio , quem unice diligeret , et a quo familiæ decus præclare sustinendum speraret , sed tamen libere permisit efficer , quod tanta contentione deposcebat . Itaque Josephus cum ingenti animi exultatione Sociis adjunctus est postridie Kal. Majas anni milesimi septingentesimi trigesimi tertii .

In tirocinio , in studiorum longo decursu , in docendi munere , et aliis , quæ dum in Societate vixit , exercuit ; præter exactam legum observantiam , quæ constantem perfecti viri opinionem illi conciliavit ; singularis in eo comitas , et affabilitas cum grata quadam humilitate conjuncta semper eluxit , qua domesticorum pariter , et externorum animos , ubi ubi degeret , sibi devinciebat . Neque suavem hanc agendi cum aliis rationem acceperat a natura ; cum potius indoles ejus ut pote fervida , et ignea , proclivis esset ad iracundiam . Erat utique fructus solicite illius contentionis , quam ab ipso initæ Societatis exordio in compescendis pravis animi motibus , et sub rationis imperio continendis adhibuit . Nemo propterea aut abruptum ab ira , aut vultu perturbatum , aut incompositis utentem verbis Josephum unquam vidit . Quin imo semper tranquillus , et placidus , et in magnis etiam morborum angustiis , quibus diu vexatus est , immutabilis permanebat .

Ad generosum hoc , et constans repugnandi sibi studium vires hauriebat ex familiari cum Deo consuetudine , et frequenti rerum æternarum meditatione , cui præter consueta , et præscripta Sociis omnibus spatia temporis , alia etiam ipse non pauca supererogabat . Ut enim diutius agere cum Deo posset , ab hominum colloquiis , quantum poterat , abstinebat : et , nisi majorum imperium , aut aliorum caritas eum alio evocaret , intra sui cubiculi solitudinem constanter , ac libenter delitescebat . In iis etiam diebus , qui ad reficiendas et corporis ,

ris, et animi vires, aut domi, aut ruri honestæ concedebantur recreationi; ipse, posthabitum ludis, aliud sibi capiebat oblectamenti genus. Nam in conclavi manens, vel sub arbo-re sedens, lectione librorum, quos secum domo asportaverat, recreabatur. Atque inter alia frequenter pervolutabat aurea Joannis Petri Pinamontii opuscula, cuius fundatissimam doctrinam, præclaraque monita et sibi desumebat ipse, et aliis pro temporis, ac loci opportunitate perquam utiliter insinuabat. Cum autem ad Italiam devenisset, solitudini, quam semper adamavit, multo magis indulxit. In Castro S. Petri, et in Foro Cornelii, quibus in locis maximam exilii sui partem exegit, vix unquam domo, nisi cum templum adiret, egrediebatur. Nec tamen illius mores ob assiduum solitudinis incolatum agreste quidquam, aut subrusticum redolebant: nam qui ad eum amicitiae, vel quovis alio nomine adventabant, omnes ridente vultu excipiebat, et suavissimis verbis alloquebatur, ejusque familiarem sermonem jucunda festivitas, et innocui, planeque urbani sales condiebant.

Ex frequenti piorum librorum lectione, et attenta cœlestium rerum meditatione reliquis ejus virtutibus vigor accedebat, et incrementum. Animo erat non solum ab omni elevatione, mundanoque fastu prorsus alieno, sed etiam honoris sui negligentia, et proprii contemptus studioso. Ea de causa solitus erat in privatis colloquiis, quæ sibi despectui essent, intermiscere. Quam audaculus in pueritia fuisse, exaggerabat: multisque contendebat evincere, pessimum se inter fratres, atque inter condiscipulos extitisse. Nunquam e converso quidquam illi excidit, quod ad sui laudem, vel ad illustrem suorum stirpem attineret. Neque verbis tantum, sed rebus etiam significabat, quam sui, et suorum esset oblitus, potiores altis partes concedendo, et in quotidiana congressione ita cum cæteris agens, tanquam esset omnium minimus. Cum aliquando iter ageret in Cantabriam, ad oppidum venit, in quo vir quidam nobilis morabatur, cui brevi nuptura erat Josephi soror. Vix ergo publicum subierat diversorum, a quo prope aberat illius viri domus, cum itineris socium enixe deprecatus est, ne se, dum ibi manerent, proprio cognomine compellaret: id maxime veritus, ne si adven-

tus ejus illi viro innotesceret, in domum suam divertere, et lauti⁹s, atque honorificentius haberi cogeretur. Hunc hono-
rum, et commoditatum contemptum cum magno religiosæ pau-
pertatis amore conjunxit: quem ex modico illius victu, vili
vestitu, et reliqua vulgari supellectile quilibet agnovisset. Cum
magnis in Italia rerum temporalium angustiis premeretur post
imperatam illam separationem, quam alibi diximus, multis
eum amici urgebant precibus, ut ad propinquos in Hispaniam
scriberet, qui ei large subvenire poterant: et fecissent, cre-
do, libenter; siquidem Josephus primo geniti jus, quod
Hispani Majoratum vocant, in eorumdem commodum abdi-
caverat. At ille nec iteratis amicorum suasionibus, nec in-
genti facultatum penuria adduci unquam potuit, ut a consan-
guineis aliquid exigeret. Nam sua, quamvis dura, sorte conten-
tus, et Apostolici moniti memor, dum victimum, et vestitum
facile parabilem haberet, commodiora non curabat, superflua
vero respuebat: unde in illius obitu nihil, quod alicujus pre-
tii esset, repertum est domi. Quantum vero a propriis ipse
commodis, et honoribus abhorrebat, tantundem aliorum fa-
mæ, et utilitati solitus erat ut inserviret. Qui longo tem-
pore illius socii fuerunt, et assidui contubernales, unanimi
voce asserunt, ab omni susurrationis, et obtrectationis labo
non solum longissime ipsum abfuisse, sed ne in aliis quidem,
quantum se penes erat, tolerasse. Propterea si quis alienas laudes
etiam per jocum coram eo detereret, composito ad severita-
tem vultu, quam illud sibi displiceret, continuo significabat.
Diligenter etiam cavebat, ne quid in communi vitæ consor-
tio committeret, quo cæteris offensionem afferret, aut mo-
lestiam. Eo ductus caritatis studio, cum propter suæ valetu-
dinis incommoda, aut serius cubitum ire, aut intempesta no-
cte surgere frequentissime cogeretur, calceis ex kannabe con-
textis intra cubiculum utebatur, ne somnum proxime decum-
bentibus interturbaret.

Ex occasione autem ejus, quam ajebam, infirmæ valetu-
dinis, præclarum ac diuturnum patientiæ, atque aliarum si-
mul virtutum edidit exemplum. Annis jam aliquot antequam
ex Hispania decederet, ac decennio fere integro, quo in Ita-
lia exulavit, asthmatico morbo miserandum in modum con-
fli-

flictatus est , prorsus ut ab extremo vitæ periculo s̄epe . minimum abesse videretur . Nocturnis præsertim horis , cum decumbendi signum insonuisset , Josephus in cubiculum , non tam ad carpendum somnum , quam ad tolerandas anheli pectoris angustias discedebat . Siquando maturius lectum peteret , intra brevem temporis moram surgere cogebatur ob nimiam ducendi spiritus difficultatem . Frequentius proinde ad multam noctem excubabat , donec creber anhelitus , et ortus inde angor tantis per deferbuisset . Id autem ut obtineret , aut ex Medicorum consilio , aut experientia edoctus , tabaci fumo , et iteratis aquæ haustibus utebatur . Sed inde novus illi labor , nova meriti seges exsurgebat . Nam cum a divini Sacrificii oblatione nullo quamvis duro pacto vellet impediri , in horologium identidem intendebat , ne fumo hauriendo , vel aqua , mediam noctem excederet . Non raro , cum hæc , atque alia adhibita remedia nullum ei levamen afferrent , tam gravi pectoris compressione , tanta respirandi difficultate angebatur , ut in magnum vitæ discrimen adduceretur . In iis autem angustiis constitutus , singulare christianæ pietatis specimen dabant . Quippe , cum ingravescente malo , in suspicionem imminentis mortis non temere deveniret , arreptam Christi Domini e cruce pendentis imaginem religiosissime adorabat , deosculabatur : et inter ferventes earum virtutum actus , quæ proxime decessuris maxime convenient , animam Redemptori suo quam humillime poterat , ac fidentissime commendabat .

Hoc perfunctus certamine , quod nunc ad plures , nunc ad pauciores horas , s̄epius tamen ultra mediam noctem protendebatur ; cum jam vis anhelationis remitteret , in lectulo decumbebat , ut fessum defatigatione corpus reficeret somno . Hic autem non longus erat , nec continens , sed frequentibus constricti pectoris angoribus , et stomachi doloribus intercisis . Et cum tot , tantisque premeretur incommodis , hilari semper , et placido vultu , rogantibus quomodo valeret , ita respondebat , ut ex ejus verbis omnes agnoscerent , quam æquo animo , quantaque suæ cum divina voluntate conformatio nocturnos illos labores toleraret , quos ille semper cum addito minusculos appellabat . Adventante jam die , atque absoluto precandi , meditandique solito penso , ad templum , ut rem

divinam faceret, accedebat: sed ob nocturnum conflictum, gressu ita lento, curvatoque corpore, ut omnibus eum obvium habentibus commiserationi pariter esset, et exemplo. Nec semel Sacrarium ingresso, opus illi erat ad scamnum paullisper cohsistere, donec spiritum resumeret interclusum. Postquam vero sacras vestes suspiriosus adhuc, et gemebundus induisset, ad aram consistens, et Sacrificium exorsus, nullum jam gemitum, nullum edebat lamenti signum: sed erecto corpore, et animo, debitaque gravitate servata, divinum ita peragebat mysterium, ut alius ab eo, qui paulo ante fuerat, videretur.

Cui mors fere quotidie ob oculos obversabatur, consequens erat, ut constanti, atque imperterritu animo eam jam adventientem aspicerit. Imperturbabilem illam tranquillitatem, et pacem, quam in toto vita decursu tenuit, in postrema etiam infirmitate servavit. Ab omni penitus querimonia, ab omnique lamentatione sese continuit, quanquam magnis torquenter doloribus; cum ei praesertim intestina, rupto peritonæo, difluxissent: quod ille Medicis aperire non voluit, ut pudori scilicet, quem semper studiosissime coluerat, in postremo vita actu potissimum inserviret. Antequam ulli mens ea fuisse injecta, ipse sponte sua petiit enixe, ut mature Sacramentis Ecclesiæ muniretur. Quibus susceptis, ita placide, ac sine ulla corporis, aut animi agitatione expiravit, ut dormientis potius, quam morientis speciem referre visus sit. Facies ejus, quæ, dum ægrotaret, pallida fuerat, et macilenta, post obitum serena, et placida apparuit, multique ad demortui cadaver aspiciendum accurrerunt. Obiit in Foro Cornelii anno millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, cum inchoasset vitæ suæ sexagesimum quartum, in ipso purificatæ Virginis Festo, quam semper eximia religione prosecutus erat. Corpus ejus ad templum, quod ibidem Societati fuerat, elatum est, et Chilenses, qui in eadem exulabant urbe, illius funus co honestarunt.

IGNATIUS OSORIUS.



Ex nobilissima Osoriorum, et Guzmanorum stirpe procreat-
tus, primam obtinuit lucem Grajali, honesto Legionensis re-
gni loco, die decima quinta Julii, anno salutis nostræ mil-
lesimo septingentesimo decimo tertio. Parentes ejus et Gra-
jalis Comites, et Alcantii, vel, ut appellatione vulgi utar,
Alcannizarum Marchiones fuerunt: atque hujus ratione tituli
ad amplissimam Hispaniæ Magnatum classem evecti sunt. I-
gnatii Pater, Emmanuel Perezius de Osorio, postquam in Bel-
gio secutus erat strenue bellica signa, bonam vitæ suæ partem
Vallisoleti transegit, tum juvandis consilio, et exemplo civi-
bus, tum sublevandis auxilio miseris, tum etiam adolescenti-
bus a multis aberrandi periculis retrahendis. Cum enim ver-
satissimus esset in equitandi arte (de qua etiam librum edi-
dit, qui magnis intelligentium laudibus fuit exceptus) nobil-
lem Pintianæ urbis juventutem ad equorum palæstram invita-
bat, in qua ipse non Equisonem modo, sed Magistrum etiam
morum agebat. Etenim inter præcepta domandi, ac regendi
equos, quædam item admiscebatur, ut imperitare sibi quisque
disceret, quæ ab omnibus inviolate volebat observari. Mater
vero Josepha Guzmanana, Marchionum Montis Alegrii, et Comi-
tum Onnatensium filia, iis omnibus fulgebat dotibus, quæ in fe-
mina suæ conditionis expeti poterant. Conjugis, et filiorum aman-
tissima; sed ita horum diligens, ut severitatem nihilominus
adhiberet in ipsorum erroribus corrigendis: erga Deum, ac
divina summe studiosa: in administranda domo prudenter so-
licita: clemens adversus subjectos, et in omnes calamitosos ef-
fuse benigna: erga Societatem autem adeo propensa, ut ves-
tem, quæ vulgaris, ac plerumque pulla erat, sacro nominis
JESU stemmate dintinctam supra pectus gestaret. Itaque post
vitam cum præcipua laude pietatis exactam, in ejusdem So-
cietatis templo sepeliri voluit. Comes, amissa conjugi, sicut
ad-

adhuc Equitibus singulari morum præluxerat exemplo , ita etiam omnibus admirandum præbuisset modo christianæ humilitatis documentum , si per alios ei licuisset . Multis enim institit , ut in Societatem , ad serviendum in humili Coadjutorum gradu , recipetur . Quod cum Superiores in præsenti rerum statu non expedire censuissent , ipse minime conquievit , donec a supremo Societatis Moderatore facultatem obtinuit , ut in hora sui obitus albo Sociorum adscriberetur . Cum illa jam imminebat , vestem induitur Societatis , cum eadem terræ mandatur , eique solitis in Societate piaculis subventum est .

Ignatius sub talium disciplina Parentum educatus , non ad militarem gloriam , non ad vitam aulicam , quam tres alii majores natu fratres consecabantur , sed ad humilem religiosæ vitæ conditionem vota sua omnia convertit . Vix dum pubertatem attigerat , cum sacræ militiz sub vexillo S. Ignatii nomen suum dedit Idibus Octobris anni 1727 , bene volentibus , imo etiam gaudentibus Genitoribus , licet eis carissimus esset in filiis , ac de illo Pater suus affirmaret , neminem inter cæteros majus sibi decus , et ornamentum allaturum . Quæ quidem prudentissimi senis verba is tanquam futuri augurium exceperit , qui familij cujuslibet splendorem non tam ex virtute militari , quam ex aliis quibusque rebus moderate , mansuete , juste , ac sapienter gestis dimetiatur , in quibus Ignatium excelluisse , deinceps ostendemus . Quo die filium Societati donavit Pater , in eo maxime amorem suum erga illum testificari se dixit , quod pignus eidem traderet , quo nullum carius , ac pretiosius habebat domi . Filius autem ad amplectendam modo Societatem animi vigorem ætati superiorem exhibuit , quo propositas difficultates , quibus deterri posset , facile superavit . Cuidam objicienti sibi inter alia , paternæ domus commoda , præsertimque mensæ lautitias in Societate desideraturum , ita respondit : *Si modo panem , quantum satis est , habeam , cetera cujusquemodi fuerint , non admodum euro .* Cum tirocinium ea præparatione sit adorsus , minus utique mirandum erit , si statim ad amussim religiosarum legum totum esse composuit . Cæteri eum Novitii cum modestum vultu , silentii tenacem , in pietatis exercitatione compositum , et ad

viliora quæque ministeria promptum animadverterent, neque ignorarent quæ quibus commutasset, non parum ex Ignatii exemplo ad paria virtutum opera permovere bantur. Superiores autem, quibus morigerus erat in omnibus, præclaram de illo spem jam tum animo concipiebant, quam suo deinde tempore cumulate viderunt expletam. Altero suæ probationis anno literis imbutus est amoërioribus, ut moris erat in tirocinio Villagarsiensi, quod olim in Romano etiam fiebat tirocinio. Tandemque absolutis biennii experimentis, nuncupatisque votis, quibus se Deo libens obstrinxit, Palentiam missus est primum, ut ibi philosophicis, deinde Salmanticam, ut theologicis operaretur disciplinis. In his perdiscendis ingenium docile, peracutum, et copiosum exeruit; cui cum ille diligentiam in exercendo superadderet, primos ubique honores tulit, et primaria in utraque facultate certamina cum laude pugnavit.

Studiorum emenso curriculo, et tertia in rebus spiritus probatione peracta, Methymnam Philosophiae Magister destinatur. Hujus gravitatem muneris ut digne sustineret, illud secum attente recogitabat: suæ traditos esse disciplinæ adolescentes, quorum ex optima in interioribus literis institutione, et Societatis decus, et aliorum deinde penderet eruditio: eosdem, velut teneras adhuc stirpes ex aprico tirocini plantario recens avulsas, et in patentiore modo locum translatas, facile in alterutram posse partem inflecti, nisi sedula cultoris manu recte consurgere, atque in cœlum attollere capita docerentur. Inde duo sibi maxime tenenda esse colligebat: indefessam ad erudiendos discipulos studii contentionem, et ad prælucendum eis religiosæ vitæ exemplis curam non intermissam. Hoc sane postremum ita perfecit, ut cum inter discipulos ejus nonnulli Magistrum ætate superarent, omnes tamen propter castigatissimos illius mores præcipua eum observantia prosequerentur. Illud vero prius, ultra etiam quam discipuli voluissernt, diligenter adeo fuit executus, ut contracto ex nimio labore morbo diurno, a Magisterio cessare primum interrupte, deinde omnino cogeretur. Itaque cum designati cursus nondum medium attigisset spatium, alio fuit evocandus, ut affectæ consuleret valetudini, suis intime dolentibus

tibus auditoribus, quibus erat carissimus tum ob reliquas ejus dotes, tum etiam ob perspectam in docendi munere dexteritatem. Dialecticam, et pauca quædam ex physicorum libris prælegerat, in quibus omnibus concisa quædam brevitas, et aperta nihilominus perspicuitas emicabat in tradendis recte disseundi præceptis, et arcanis naturæ reserandis. Igitur Salmanticanam remeavit, cuius cœlum propitium olim senserat, ibidemque, recuperatis jam viribus, Theologię Magister designatus, quæstiones de moribus per biennium explicituit. In his autem, atque aliis Scholæ exercitationibus tantum ingenii, ac scientiæ præbuit specimen, ut a Superioribus jussus fuerit Doctoris lauream petere: quam ille post exquisitum doctrinæ suæ periculum plaudente Academia reportavit, semperque magna cum dignitate sustinuit.

Non diu post a supremo Societatis Præposito Francisco Retzio, ut sacram in Collegio Romano Theologiam tradaret, vocatur in Urbem. Quo cum venisset, plurimorum in se vertit oculos, peregre adventantis vultum, et verba, gestusque omnes curiose, ut assolet, attenteque observantium. Et quanquam spem de illo præstantem habebant, mox tamen ut magisterium auspicatus est, ac reconditas intus opes aperuit, expectationem, quam de se moverat, superavit. Suspiciebant in eo cum ingenii facultate doctrinæ copiam, quem maxime innotescerat, cum aliquoties, vel propter injunctas sibi occupationes, vel ob aliquam corporis in valetudinem, prælectiones suas scriptis commendare non poterat. Tunc enim ad scholam veniens, continenti, beneque ordinata dictione, perinde ac si de scripto legeret, per designatum horum spatium discipulos scriptioni tenebat intentos. Erat in docendo brevis; sed, quod paucis concessum est, ita demum brevis, ut non propterea obscurus fieret. Suamque doctrinam, rejectis quæcunque novitatis speciem aliquam exhiberent, ex probatissimis Scriptoribus eruebat. Inter cæteros amabat plurimum D. Augustinum, ac D. Thomam, et ex posterioribus Doctorem Eximium: quorum omnium egregia volumina sedulus diurna, nocturnaque versabat manu. Ob hanc ejus scientiæ famam, et notam sui generis claritatem multi omnium ordinum viri eum requirebant, familiaris cum illo consuetudinis appetentes.

tes. Verum ipse, ne otium sibi literarium eriperent, salutationes externorum hominum, et maxime nobiliorum declinabat, quatenus inoffensa urbanitate liceret. Inter alios Cardinalis Quirinus, ut erat omnigenæ studiosus eruditionis, cum de Osorii scriptis aliquid inaudisset, quod subtile diserti viri palatum poterat titillare, quoddam illorum exemplum afferri sibi jussit, illudque libenter adeo perlegit, ut videndi Autorem, eumque coram alloquendi desiderio sit incensus. Ignatius, licet ab id genus visitationibus abhorreret, multoque libentius ageret cum humilioribus, et plebejis, tamen Eminentissimo Præsuli, non tam suo, quam aliorum impulsu, morem tandem gessit invitus. Dum coram adfuit, multis eum benevolentia signis humanissimus Princeps exceptit: collaudataque illius docendi ratione, etiam atque etiam hortatus est, ut in doctrina divinæ gratiæ contra Novatorum errores constabilienda pergeret imperterritus. Valde etiam probari sibi dixit, quod Sanctos Hilarium Arelatensem, et Vincentium Lirinensem contra irritos nonnullorum concutus ab omni Semi-pelagianismi nota invictis rationum momentis vindicasset. Hoc enim inter cæteras magisterii sui dotes habebat Osorius: ut austерitatē severioris scientiæ utili, et opportuna eruditione deliniret. Quanquam in eo ad altiorem etiam intendebat scopum. Etenim cum inter auditores suos alumni quoque adessent Collegii Germanici, æquissimum judicabat, illos omni armorum apparatu adversus Hæreticorum incursus, quam maxime fieri posset, instructos in patriam suam remittere. De hac ejus in docendo præstantia singulari locupletissimum testimonia habeo Josephum Anguisolam, genere, virtute, doctrina, et eloquentia Cl. virum, qui clime Osorium audivit Romæ, et modo Placentiæ, ubi ipse multos erudit ad justitiam, de Magistro suo ita testatur: *Osorius disciplinam Theologicam ad eam, quam habere debet, normam exegit: bujusque facultatis velut instaurator fuit habitus, propterea quod viam ipsæ apernerit, ad questiones illas solide, ac dilucide pertractandas, quæ inter disertissimos illius temporis Theologos magis erant plausibiles. Omnes denique profundam ejus eruditionem cum tam solida ingenii subtilitate conjunctam admirabantur. Nonnulla ex iis, quæ tum Romæ scripserat, deinde mandata sunt*

typis, multamque apud eruditos laudem promeruerunt.

Cum hac opinione doctrinæ quatuor ipsos annos inter Romanos versatus, inde in Hispaniam redit, ut in Academia Salmanticensi primam Theologæ Cathedram occuparet. In eo conspicuo munere ita se gessit, ut collectam adhuc existimationem sapientiæ non modicis auxerit incrementis. Sive ille discipulis suis consuetas explicaret scholas; sive in frequenti corona Doctorum decertantibus præsideret; seu denique, modestiæ semper observantissimus, propugnatores ipse impugnaret; magna semper cum voluptate audiebatur ob e-
jus in docendo perspicuitatem, in respondendo nitorem, et efficaciam, in disputando vero subtilitatem: atque in hac præ-
sertim exercitatione oppugnandi tam acer erat, et habilis ad spiculum infigendum, ut nemo illum cuperet adversarium. Postquam rude donatus est, et ab onere docendi exemptus, cætera sui gradus officia constanter, et honorifice implevit. In Doctorum conventu, cum ii de Academiæ negotiis con-
sultabant, tantum apud eos consilio, et auctoritate valebat, ut universi nonnunquam, plerique sacerdos in sententiam irent Osorii. Ab eodem Doctorum Collegio designatus, ut Caro-
lo III, ejusque conjugi de felici eorum ad Hispaniæ thronum adventu Academiæ nomine gratularetur, legationem illam cum magno Academiæ honore, et maxima cum appro-
batione Regum obivit. Inde Salmanticam regressus, otium in absolvendis aliquot dissertationibus, quas Romæ inchoaverat, collocavit. Has cum vidisset P. Michael Sagardoius, qui inter prima illius Athenæi lumina censebatur, admirationem tenere non potuit. Tantum doctrinæ suæ, tantam in eis vim ad evincendum invenit. Easdem alii quoque Salmantini Magistri, et Vallisoletani, ad quos missæ fuerant, valde pro-
baverunt. Nec dubito, quin illæ, si per adversa licuisset tempora, publicam lucem cum doctorum acclamatione ob-
tinuissent.

Quanquam his privatis studiis Superiorum jussu incum-
bebat, aliaque interim munia et domi, et foris exequebatur;
tamen, pro suo nunquam cessandi desiderio, vel potius, pro
sui animi demissione, nimium se feriari credebat. Idcirco Rec-
torem adiit, seque ad ea promptum exhibens, ad quæ non
ine-

ineptus judicaretur, novum sibi onus rogavit imponi, quo posset cæteris aliqua ex parte prodesse. Rector de hac Ignatii petitione cum Ministro suo colloquens, hæc ajebat: *Osorius noster magnum mihi de meipso ruborem injectit. Minime ille contentus virtutum exemplis singularibus, quæ nobis assidue perhibet, neque occupationum territus pondere, ut mantissam ei superaddam, a me petit enixe.* Votorum compos effectus, et spiritualium rerum Præfectus designatus, accuratissime munus illud exercuit. Exhortationes domesticas, et apte dispositas, et magno cum fervore pronuntiatas habebat: cumque illi et mundi contemptus, et fama doctrinæ, et quotidiana religio-
nis exempla multam apud audientes auctoritatem conciliarent, multam quoque vim illius verba habebant ad persuadendum. Bis etiam per hebdomadam juvenibus, et laicis meditationis argumenta suggerebat: sed antequam ad eos verba faceret, semper in æde sacra per semihoram orabat ipse, indeque lumen, et ardorem depromebat ad considerationes opportunissimas, et affectus vehementer incensos, quibus auditorum cora inflammabat. Nec vero intra privatos tantum parietes verba fecit Osorius. Sæpe in Collegii templo, in aliisque per urbem, et extra illam, orationes habuit, quæ magnum illi eloquentiæ nomen pepererunt. Quod si ei firmiora latera, vocemque plenioram natura concessisset, nullam certe in eo perfecti Oratoris laudem desiderasses. Funebres orationes duas Salmanticas dixit, quæ in illo Sapientissimorum hominum theatro præcipuum obtinuerunt commendationem, et typis excusæ fuerunt ibidem. Latinam aliam in obitu Philippi V, quem et sui dominum, et populi parentem, et Ecclesiæ observantissimum filium non fucatis, ac ementitis verborum pigmentis, sed nativis rerum ab ipso gestarum coloribus depinxit. Alteram Hispanicam, in qua Illustrissimum virum Joannem Ladronem de Guevara Carmelitanum, illius Academiz Doctorem, deindeque Burtinensem Episcopum, postquam fato concesserat, promeritis laudibus exornavit.

A laborioso docendi munere ad longe difficiliorem regendi homines provinciam evocatus, in ea gerenda major, quam antehac fuisset, omnibus visus est. Quantum ejus prudentiæ fiderent superiores, vel ex eo facile appareret, quod il-

lum nullo adhuc magistratu perfunctum, Salmantino Collegio semel, et iterum præficere non dubitarunt. Collegium illud copiosus, ac delectus Sociorum numerus incolebat, in quibus multi erant juvenes, qui theologicæ facultati operam dabant, totiusque provinciæ maximum habebatur. In illo administrando vigilantiam adeo prudentem ostendit Osorius, ut Superioribus plene satisfaceret, et inferioribus in re nulla de- esset. In observandis legibus cum esset ipse apprime studiosus, neminem patiebatur esse negligentem. Inexorabilis erat in his facultatibus concedendis, quæ possent decursu temporum in aliquod disciplinæ vergere detrimentum. Et cum es- set ad prospiciendum acutus, facile prænoscebat, quo restan- dem evasuræ forent, nisi mature provideretur. Siquid autem superiore tempore in mores jam fuisse inductum, quod sibi justis de causis non probaretur, idoneam captabat occasionem, ut illud sine offensione præcideret. His, qui Theologiam Sal- manticæ recolebant, concessum olim fuerat, ut ad triclinium non in primis, sed in secundis venirent, atque etiam ut collationibus de re morali non interessent. Osorius utrumque hoc privilegium, cum primum opportunitas affuit, ipsis non repugnantibus, qui eo usi fuerant, abrogavit. Non pauci li- bri per cubicula juvenum decursu temporis fuerant accumu- lati, qui possent eorum animos ab utilioribus studiis ad amœ- niora, vel curiosiora distrahere. Hos ille, cum juvenes ad novam traduxit habitationem, aut Bibliothecæ attribuit, aut aliorum Patrum cubiculis assignavit. Eodemque modo alia etiam, quæ vel Societatis præscriptionibus, vel usui commu- niter in provincia recepto non convenienter, solicite curavit emendanda. Quanquam a curiosa longe aberat inquisitio- ne, neque importune in domesticas involabat officinas, nihil tamen eorum, quæ domi fierent, ignorare videbatur. Illa cer- te apud eos, qui ei suberant, invaluerat opinio; Rectorem suum, quamvis multa dissimularet, de nullo posse celari de- defectu. Quoties vero correptione opus esse judicabat, eam sic adhibebat, ut non iram, non supercilium exhiberet, nedum proferret aliquid contumeliosum; sed rem simpliciter expo- sitam ex comparatione legis, et rationis vituperaret. Quod si hi, qui culpæ affines erant, eam agnoscerent, perinde il- los

los amplectebatur , quasi nihil accidisset : contigitque aliquando , ut quos pridie reprehenderat , postridie ad se vocatos perhumaniter excepit , et potionē chocolati refecerit . Sic nimurum duo illa , quæ difficile copulantur , severitatem , et benignitatem admirabili modo conjunxit .

Magistros æque , ac discipulos ad sua quemque officia diligenter incumbere , indefesso curabat studio . Nullum in juvenibus prætextum admittebat , quominus ad omnes Scholæ exercitationes et præsto adessent , et constanter in iisdem perseverarent . Unde cum in eorum aliquos nimia quedam facilitas irrepisset egrediendi e gymnasio , dum theses publice propugnabantur , poenam statuit in omnes , qui prædicto tempore locum desererent , nisi justam , et notoriam , non vero vulgarem , et probabilem tantum excusationem haberent . Eoque pacto malum illud , ne latius serperet , citissime compensuit . Sed qui omnes volebat exacte suo perfungi munere , nihil habebat antiquius , quam ut omnes etiam , quantum religiosa moderatio sineret , liberaliter tractaret . Multum quidem studium pro tuenda paupertate a singulis adhiberi cuperbat ; cæterum quæ ad communis vite rationem attinerent , abunde omnibus subministrabat . Siquos autem sciret , aliis insuper indigere , quæ communem victum excederent , de suo largiter illis subveniebat . Nec solum de victu , atque vestitu , sed etiam de domicilio commoditate suis studiose providit . Multa enim aggressus est ad Collegii ornatum augendum , quorum alia , prout animo designaverat , ad exitum perduxit , alia per temporum iniquitatem inabsoluta reliquit . Magistrorum cubicula in meliorem conformatiōnem disposuit , eaque convenienti supellectili decenter instruxit . Adolescentes , qui Theologiaz studebant , ex veteri habitatione ad eam Collegii partem transtulit , quæ ante aliquot annos exstructa fuerat . Ambulacula duo , inferius unum , alterum superius quadratis lapidibus sectis stravit : quo in opere perficiendo non solius ornatus , sed utilitatis juvenum præcipuam rationem habuit . Hi enim , cum in eorum altero quotidianas scholarum repetitiōnes haberent , ex iteratis in eodem loco per semihoram deambulationibus densam lateritii pulveris nubem excitabant , quæ multum ipsorum valetudini , ut testabatur Medicus , officiebat :

bat: cui malo Osorius duriore lapidum pavimento remedium fecit. In templo duas denuo aras erexit, alteram Mariæ V. Elisabetham visitanti, alteram Apostolo Jacobo majori nuncupatam. Sacrarium etiam templi in elegantiore formam redactum, pulcherimis tabulis Apostolorum duodecim, et quatuor Ecclesie Doctorum, hinc inde dispositis, ornavit. In ejus anteriore parte concameratum loculum fecit, varia, levique sculptura decoratum, et a fronte crystallo conclusum, intra quem statuam miræ artis collocavit, quæ Christum exhibet, post dirissimam flagellationem ad resumenda vestimenta ægerime inclinatum: et expressam summi doloris, simulque patientissimi animi refert imaginem. Bini aderant ad utrumque latus Angeli, ludibria Domini sui adeo amare plangentes, ut eos siccis oculis intueri vix posses. Faciebat hæc præclarus ille Carmona, qui ad Navam Regis exortus, deinde Matriti inter celeberrimos Sculptores præcipuum nomen obtinuit. Osorium autem, in statuenda illa Domini effigie, ad primævam Salmantini Collegii originem respexisse crediderim, ut familia sua sub iisdem Christi patientis maneret auspiciis, quibus fuerat instituta. Primi enim Patres, qui Salmanticæ cœsiderunt, ut Societatis narrat historia, Sacellum domesticum tabula picta exornarunt, quæ Jesum exprimebat, dum Pilatus eum innumeris verberibus laceratum, corona perforatum spinea, arundineo derisum sceptro, et chlamyde male tectum ignobili, Hebræorum populo ad movendam commiserationem ostendit. Hoc valde miserandum simulacrum, quod Patribus dono miserat civis quidam, ut papyraceæ sufficeretur imagini, quam ipsi pro egestate sua in Sacello collocaverant, ad extrema usque tempora religiose in Collegio servabatur.

Postquam Osorius Sacrarium ornaverat, cogitationes suas ad amplificandam, et locupletandam Bibliothecam convertit. Huic, quamvis ampla esset, spatiosum quoddam cubiculum adjunxit, in quo non multos ante annos supremum diem clauserat vir ille doctrina, et virtute conspicuus Ludovicus de Losada: ut quæ sapientiæ, ac musarum sedes fuerat placidissima, literarum esse pergeret domicilium. In eo Osorius magnam librorum copiam reposuit, quos omnium manibus teri non portebat. Sic locum intra Bibliothecam dedit aliis quamplurimis, qui-

quibus ipse, dum Salmantino Collegio præfuit, augendam illum curavit. Siquid eo tempore, vel paulo ante prodiisset in lucem, quod ab eruditis præcipuo haberetur in pretio; siquid item ejusmodi superioribus editum seculis in Bibliotheca desiderari perspiceret, nulli vel sumptui parcebat, vel curæ, ut illud quamprimum adquireret. Nec sacras tantum, ac divinas scientias, sed humanas etiam disciplinas nova librorum copia locupletavit. De physicis, de mathematicis, de historicis, et philologis multa, valdeque selecta conquiri fecit, quibus veterem Catalogum multis adauxit partibus. Ac de his, quæ ad mathematica pertinent, non solum probatissimos Autores, sed instrumenta quoque, præter ea, quæ jam domi erant, aptissima comparavit, quibus habiliores ad operaciones suas reddidit auditores pariter, ac Magistrum. Is erat Petrus de Lacaze, qui ex Gallia profugus propter exortam ibi tempestatem in Socios, ad Hispaniam confugit, et Salmanticanum missus est, ut in illo Collegio Mathesim, cuius erat scientissimus, profiteretur. Viderat ille in patria sua per celebres ejus facultatis Scholas, deque aliis per libros, vel per hominum narrationes cognoverat: et tamen idem ipse affirmabat, duabus tantum, vel tribus exceptis, nullam se nosse, quæ Salmantina delectu librorum, et instrumentorum appetatu esset instructior.

Denique, ut nihil eorum, quibus prodesse suis posset, intactum Osorius relinquenter, Villam Sandinam, quæ rusticationibus inserviebat, ampliorem reddidit, et amoeniorem. Vicino coempto prædio, in quo scaturiebat aquæ vena, quæ prodesse irrigationibus poterat, illud intra Villæ muros inclusit. Ejusdem subigenendo solo, quod exile, et macrum erat, confici bipalia jussit, quibus altius in terram depressis, glebæ ab imo revulsæ facilius ad Solem obvertebantur, ut illius radii vitium omne decoquerent. Præparato in hunc modum fundo, amplius quingentas diversi generis pomiferas arbores peregre asportavit, easque per multiplices ordines ita direxit, ut nihil esset ibi et uberiorius ad fructum, et ad pulcritudinem ornatius. Præterea cœnationem, quæ olim ibi sub dio fuerat structa, et vetustate pene corruerat, in pristinum restituit statum, vel potius de integrō ædificavit. Mensas lapideas cum sedilibus item ex lapi-

de

de in quadrum disposuit: ad easque quaterni patebant aditus, a superiore scilicet, et inferiore parte, et a medio lateris utriusque. Fons in medio coenaculi ad mediocrem altitudinem consurgebat: huic latices antlia vicina subministrabat, qui tubis, ac suphunculis ad summitatem fontis impulsi, inde vario neque oculis injucundo lusu in amplio cratere recipiebantur. Extra mensas columnas aliquot opportunis in locis erexit, quæ transversas per circuitum trabes sustinebant. His trabibus leviora quædam imposuit tigna, quorum pedes ad trabes affixi erant, summa vero capita leni quadam acclivitate supra fontem ita simul conjungebantur, ut coni figuram non absimilem exhiberent. Hæc autem eo tendebant omnia, ut vites, prope columnas insitæ, super trabes, et tigilia multiplici lapsu serperent, totumque coenationis ambitum per aestivos ardores palmitibus, et frondibus obumbrarent. Ut diutius adversus ventorum, et pluviarum injurias consistenter, trabes omnes, et tigna contexit lamellis ferreis, vitamine quodam oblitis, quæ Arundæ in Granatensi regno elaborata, iis paulo sunt crassiores, quæ apud Batavos conficiuntur. Nesciebat enim Osorius, dum aliquid aggressus fuisse, illud pro sui magnitudine animi perfectissime non absolvere. Quod si ei per tempus lucuisset, domum etiam ejusdem Villæ, quæ nimis angusta erat et incommoda, multo commodiorem a fundamentis erexisset. Jamque materiam aliquam congesserat ad fabricam inchoandam, et ichnographiam ab Architecto descriptam Seniores Collegii Patres approbaverant. Sed opus illud, et alia multa, quæ meditabatur efficere, superveniens exilii lex præpedivit.

In Salmantini gubernatione Collegii, inque aliis munibibus, quæ commissa sibi fuerant, tantum prudentiæ specimen dederat, ut inde ad totius administrationem provinciæ sit assumptus. Nonis ipsis Januariis, anno cadentis seculi sexagesimo septimo, Præpositus Castellanæ provinciæ fuit renuntiatus, non tam ut Socios per ipsorum domos inviseret, quam ut illos terra, marique jactatos, consiliis, et exemplis suis erigeret, atque omni, quam ipse præstare posset, ope sublevaret. In trimestri spatio, quod ab inito magistratu ad exilii usque denuntiationem excurrerit, pauca quædam lustrare

potuit Collegia, quæ Vallisoletu non longe aberant, ubi sedes erat provinciæ Præpositis constituta. Ac primum omnium Villagarsiense tirocinium voluit inspicere, quod ea tempestate tirones numerabat circiter octoginta, quorum de numero fere viginti pro ultramarinis admissi erant provinciis. Multos hic dies substitit, tum ut copiosam illam, ac tenellam prolem agnosceret, tum etiam ut veteres Collegii Socios ad sua quemque obeunda munera, nominatimque Magistros puerorum, quorum etiam frequens ibi erat numerus, ad optimam eorumdem institutionem solicitaret. Sed in tironibus recognoscendis curam, ut æquum erat, diligentiores impendit. Dumque omnes singillatim alloquitur, et cujusque animum explorat attentius, multam inde lætitiae voluptatem, nec modicam laudandi Deum occasionem accepit. Videbat enim in plerisque ad studia virtutum ardorem singularem, et in eorum quamplurimis præclaras ingenii, ac naturæ dotes observabat, quibus juvandæ Societatis, atque adeo rei publicæ Christianæ promovendæ spem maximam efficiebat. Nec poterat benignam Dei providentiam non extollere, qui, dum Societatis nomen jam undique vellicabatur, tam delectam adolescentium manum ad eam pertraxisset. Hinc vero majorem in modum illius cordi doluit, cum exorta deinde procella maximam eorum partem absorbuit: maluissetque illos non agnovisse, quam a persequenda vita via, cui semel institerant, violenter vide re distractos. In magno illo adolescentium numero tres admodum invenit Osorius, quos omnino probare vix poterat: non quod in eis perversum aliquid animadverteret; sed quia in eorum vultu, et incessu, aliisque gestibus nescio quid obser vabat ingratum, quod deterius quidquam portenderet in futurum. Nihil ergo in præsenti contra illos statuit, quorum agendi rationem neque Rector, neque Rectoris Socius improbabant. Sed ipsi post indictum exilium, cum inter primos ad deserenda religiosa castra properassent, aliosque ad defecti onem exemplo, et consiliis induxissent, sagacissimum Osorii judicium confirmarunt.

Postquam tirocinium lustraverat, Zamoram primum, deinde Arevalium, postremoque Abulam venit. Et quamvis jam omnia plena essent timoribus, nihil tamen omisit, ut Socio.

rum res in his locis, prout exigebant tempora, constitueret. Dum Abula contendit Segoviam, certior in itinere rediditur, Sociorum omnium ab Hispaniæ regno expulsionem promulgatam in Aula fuisse, jamque Segoviensis Collegii Patres, suis ejectos ædibus, ad Sanctanderi portum deduci. Hoc tantæ calamitatis accepto nuntio, non animo concidit: sed cum esset humilis, et magnanimus, primum altissima Dei consilia submissa veneratione adoravit, inflictamque plagam, tanquam a Dei manu profectam, patientissime pertulit, nullam in ullum hominem querelam effundens. Deinde ad eum conversus, qui sibi a secretis erat: *Verebar equidem, dixit, ne mei causa gravissimum aliquid detrimentum provincia nostra riperet.* Et cum reponeret socius, tempestatem illam multo ante fuisse conflatam, quam ipse provinciæ præficeretur, ne sic quidem ab opinione sua recessit. Ajebat enim, si minus in provinciæ administratione peccasset, alias certe in multis delinquisse, propter quæ poenam illam sibi, suisque fratribus attulisset. Hoc nimurum est christianæ humilitatis ingenium, suis tantummodo culpis et privatas, et publicas calamitates adscribere, nullumque supplicii genus vel pro levioribus noxiis sibi non deberi, firmissime judicare. Sed quoniam animi sincera demissio nullatenus magnanimitati repugnat, illud denique apud se constituit, nihil non tentandum, ut extremis malis, quacunque via posset, occurreret. Sine mora Matritum versus iter arripuit, ut simul cum P. Xaverio Idiaquezio, qui tribus ante mensibus eodem venerat, sese ad pedes Regis abjiceret, quanta contentione posset obtestatus, ne Societatem indicta causa damnaret, sed locum daret objectis criminacionibus respondendi. Hac mente Turrem usque Lodonensem processit, quæ leucas non amplius quatuor Matrito distat. Hic obviam illi venit quidam ex domesticis gloris suæ, Comitis de Cervellione, cordatissimæ in primis feminæ, ad quam scripserat Ignatius, ut viam sibi ad alloquendum Regem sterneret. Ab ea modo tale responsum habuit: Matriti adeo commutata, imo etiam perturbata esse omnia, ut pro Jesuitis verba facere plenum esset aleæ: quotquot ibi de Societate degerent, in eisque Idiaquezium, una omnes nocte repente comprehensos, continuoque Getafium amandatos, inde

Car-

Carthaginem abducendos: si porro ipse pergere contendat, magnis se periculis objiciendum, atque accessum ad Regem certissime non habiturum. Postremum hoc verbum altissime Osorium perculit, qui cætera vel pericula, vel incommoda nihili habuisset, dum conveniendi Regis spes sibi aliqua facta esset. Nunc, quoniam eo progressus fuerat, unde citius ferre Carthaginem, quam Sanctanderum poterat pervenire, rhe-darium suum cum literis ad Arandæ Comitem, qui supremo Consilio præterat, Matritum dimisit, ut viam sibi, quam tene-re debebat, indicaret. Cum autem in his literis aperte si-gnificasset, optatius sibi fore Sanctanderum petere, quo au-diebat majorem subditorum suorum partem convenisse; tam justis ejus optatis non gravate Comes assensit. Imo illi via-toriā remisit tesseram, in qua neque itineris terminus, ne-que profectionis designati erant dies; sed utrumque Osorio ad ipsius arbitrium apponendum reliquit. Tantum, qui eum bene noverat, illius tribuebat fidei, vel cum regni finibus ex-cedere jubebatur!

Hac habita facultate, Sanctanderum reverti constituit. Sed antequam eo accederet, literas in ipso itinere ad suos de-dit, in quibus, cum suæ moræ causas exposuisset, hæc fer-me adjungebat. Cum sibi ab Arandæ Comite potestas facta esset, quam vellet custodiam maritimam eligendi, propterea Sanctanderensem elegisse, quod sciret maximam provinciæ suæ partem eo fuisse compulsam. Interea dum ipse adesset, si quid opus esset alicui, adiret Eugenium Colmenarem (hu-ic erant inscriptæ literæ) quem sui vicarium ad suum us-que adventum designabat. Gratias sese agere Deo quam ma-ximas pro submissione, ac patientia singulari, quam in aus-cultando, exequendoque Regis edicto, usque ad Ministrorum admirationem (quod in itinere audiebat) omnes exhibuissent. Perspectam sibi esse pietatem omnium, ob quam ex præsenti calamitate proficerent, et singulorum moderationem, ut ne minimo quidem verbo quemquam externorum offenderent. Vehementer cupere, preces quotidie fundi pro Rege, pro re-gia sobole, pro regiisque Ministris: diemque a singulis exi-gi religiose, dum in ea custodia detinerentur. Patere omni-bus, navigationem imminere diuturnam, ac difficilem, quam

probabili mortis periculo Doctores plurimi æquiparandam esse censuerunt. Hortari propterea omnes, ut animi sui rationes inirent, utque majori cuique solatio esset, particulari, vel generali confessione conscientiaz nævos eluerent. Se, ut brevi afforet, pro viribus curaturum: ubi adesset, qua posset ope, aut consilio, nemini defuturum. His Osorii literis magna omnibus alacritas et ad labores sustinendos, et ad ingeminanda opera pietatis accessit. Ipse per viam consolatoris officium passim exercere tenebatur. Multi enim viri graves ad eum confecti lacrymis procedebant, quos prudentis sermone, vultuque tranquillitatem, et constantiam exhibente sublevabat. Sed cum venisset Turremcrematam, occasionem habuit exercendz caritatis opportuniorem. Novitos ibi reperit variis terroribus exagitatos, qui cognito illius adventu, ad eum in diversorum properarunt. Eos veluti filios amplexus est peramanter: timorem, qui eis injectus fuerat, ne a Patribus rejicerentur, eripuit: animos ad viriliter decertandum adjecit. Inde Burgos profectus, relicta, quæ sibi offerebatur, melioris hospitii commoditate, in publicum diversorum secessit, ut facilius posset ægrotantes aliquot Socios invisere, qui apud Benedictinos Patres diversabantur. Postridie ad eos veniens, omnes ad unum est allocutus, et consolationem ingessit, quam poterat in præsenti. Optimis illis Monachis amplissimas egit gratias pro eorum in ægrotos impensa cura, iisdemque filios suos tenetreme in posterum commendavit. Tandem Sanctanderum ingressus, magna omnium lætitia fuit exceptus, adventuque suo illos, qui pertimuerant, ne quid ei funestius eveniret, omni solicitudine liberavit. Advenientibus deinde Novitiis tunicam Societatis imposuit, quam violenter, ac minaciter deponere coacti fuerant: nec facile internosci potuit, religiosam ejusmodi vestem illene lætius dederit, an ipsi reperirent. Antequam inde discederet, literas ab Arandz Comite accepit, quibus rogabatur, ut dimissionem a Societate concederet P. Gregorio de Iriarte, quem ipse Comes paulo ante Sociorum expulsionem ad se vocaverat, eundemque adhuc juvenem, neque ulla impeditum infirmitate, ab exilii lege voluit exceptum. Super his eo tempore multa spargebant multi, quæ nos consulto prætermittimus, cum nihil exploratum

tum liquido habeamus. Osorius autem , qui nullius gratia , vel metu a sequendo recto deflecteret , quamvis jam intra custodiā illam esset inclusus , libere respondit Comiti : Quas daret ipse dimissorias literas , nullius fore roboris , ut Gregorius legitime se crederet exauktoratum : id a Pontifice Summo , vel certe a Generali Præposito Societatis esse obtainendum : itaque ad eorum recurreret alterutrum , si tuto vellet in negotio illo procedere . Postmodum consensa navi , Ferrolium cum cæteris venit : ubi cum jam omnes provinciæ Socii convenissent , cymba per capacissimum illum portum discurrens , singulos invisere , amplecti , de salute perquirere , de patientia , constantiaque retinenda efficaciter commonere . Inter alia , quæ tunc constituit , ut rectus in itinere maritimo teneretur ordo , singulis navibus Rectores attribuit , quibus ii subessent , qui in iisdem vehebantur . Nimirum ubique locorum prima erat Osorii cura his diligenter prospicere , quos Deus suæ custodiaz commendaverat .

Calvium in Corsica post navigationem duorum fere mensium appulsus , cum ibi difficiliora essent omnia , occasiones proinde habuit prudentiam , et caritatem suam perhibendi multo frequentiores . In primo ad illam urbem accessu non pauci Sociorum suburbanas aliquot domos , male licet materia-
tas , occuparunt , multoque plures in Cœnobium S. Francisci confugerunt , quod non procul ab urbe distat . Hi omnes intra paucos dies gravissimis cœperunt terroribus agitari . Nam rebelles Corsi , qui sua in vicino monte castra posuerant , ad Sociorum usque domos excurrentes affirmabant , abeuntibus Gallis militibus , quorum aliquos in Hispanorum naves con-
scendisse jam viderant , se Calvium occupaturos , antequam novum Genua præsidium adveniret . Jamque illorum aliqui Cœnobium Franciscanorum , quamvis Sociis esset oppletum , intraverant armati : alii prope litus aggerem exstruebant impo-
nendis tormentis bellicis , quibus ab ingressu portus advenientes naves arcerent : aliisque moliebantur alia , quæ proximam indica-
bant obsidionem . Hæc Socios omnes , sed eos maxime habe-
bant sollicitos , qui remanserant extra urbem . Id cum vide-
ret Osorius , non dubitavit et urbis Prætorem Gallum , et Hispanæ classis Præfectum , qui nondum e portu solverat , libe-

libere, constanterque admonere: *Alienum omnino esse, ut ipse quidem existimabat, a mente Catholici, et Christianissimi Regis, homines Societatis medios inter duas gentes relinquere, quæ acris essent bello decertatura.* Ad hæc Præfectus respondit: Corsos propterea undique tumultuari, quod spe dejecti essent potiundi urbe post Gallorum discessum. Gallos porro (cum et illi, qui nudius quintus naves ascenderant, revocati fuisse in arcem) non ante profecturos, quam adventarent Genuenses copiæ: quibus advenientibus, nihil profecto esse, quod Socii timerent sibi. Prætor vero, Sociorum sortem dolere se, dixit: sed quæ post discessum suum exorto bello contingerent, nullo sibi jure imputanda. Permisit tamen, ut ii omnes urbem subirent, quos ad Cœnobium, et suburbium, et sparsas ruri domos magno esse in periculo videbat.

Osorius, quoniam aliud obtinere non potuit, hac habita Prætoris facultate, suis, ut intra urbem sese reciperent, imperavit. Multi etiam e Bæticis, cum Argajolæ, ad quam ejecti fuerant, tectum invenire non possent, Calvium itinere terrestri commigrarunt: partimque ad suburbium constitere, partim recepti sunt intra moenia. Itaque numerabantur ibi nongenti circiter Socii, quibus excipiendis nimium quantum angusta erant Calviensium domiciliorum spatia. Id tamen, quamvis haud minimum esset malum, non æque illos solicitabat, ut imminentis belli non vana formido. Corsi vacuefactum Sociis Cœnobium statim majori numero occupaverunt: et cum adventantem Genua triremem conspexissent, quæ militem advehebat, turbulentius circa tormentum bellicum agebantur, quod ad extrema portus erexerant. Id causæ fuit Hispano Præfecto navium, ut Corsis, misso ad eos legato, denuntiaret: si Genuensem triremem se coram hostiliter aggrediantur, non impune facturos. Conquieverunt his Corsi, quibus eorum imperator Paschiasius Paulus injunxerat, ut adversus Hispanos tam milites, quam religiosos omnimodam humanitatem, atque observantiam exhiberent. Milites ergo Reipublicæ pacifice in portum, indeque in urbem sunt ingressi. Sed abeuntibus paulo post navibus, quibus Galli omnes erant impositi, Corsi conatus suos ad premendam obsidione urbem instaurarunt.

Videbant hæc Socii, seque invicem ad sustinenda obsidio-

dionis incommoda cohortabantur. Sed cum aliqui essent animo timidiiores, non defuit inter eos, qui ad tristissimum illum rerum omnium aspectum usque adeo conturbaretur, ut primum ipse sibi, deinde aliis etiam persuadere contenderet, ex obligata Societati fide neminem ad subeunda tam manifesta vitae pericula posse constringi. Etenim in magno hominum numero nullum unquam despere, optandum quidem esset, sed vix sperandum. Multoque id minus sperari poterat in ea Sociorum calamitate, quibus, ultra ea quæ passi erant, longe gravissima impendere credebantur. Ipsi enim per eos dies audierant a Corsis, urbem magna vi tormentorum esse verberandam, seque in prima illa nocte a Gallorum discessu, vel per murorum ruinas, vel applicitis scalis, in eam irrupturos. Ac licet ab hostibus tentata irruptio exitum non haberit, quod providenti Deo tribuendum censemus, nil tamen mirandum est, si quorumdam animi ex imminentis periculi magnitudine præter morem commoverentur: quoniam in cæco illo, nocturnoque impetu, quem timebant, perdifficile fuisset Corsis suorum observare ducum imperia, ut neminem laderent Hispanorum. Neque alienum a vero fuerit asserere, inter Socios viginti novem, qui Calvii sepulti jacent, etsi nullus hostili ferro ceciderit, quosdam tamen eorum vel ex terore belli ægrotasse, vel certe ex multarum rerum penuria, quam bellum induxerat, celérius occubuisse.

Verumtamen Osorius, cum imprudentem illam propositionem audisset, quæ a nonnullis agitabatur incaute, eidem sine mora occurendum sibi esse duxit. Convocatisque in consilium præstantissimis viris, quorum doctrina, vitæque integritas perspecta erat inter omnes, horum gravissimum judicium paucorum opposuit temeritati: coque pacto perniciosa illam opinandi, loquendique licentiam, unde maxima pullulare possent incommoda, vel in ejus ortu compressit. Pauci aliquot, qui falsa illa opinione seducti, fuga sibi consulere decreverunt, sese in angustias conjecterunt iis sane difficiliores, quas declinare tentaverant, suamque præcipitem deliberationem ipsi met postmodum reprobarunt. Cæteris, qui nulla mortis pericula æque ac turpem fugam perhorrescebant, nihil prætermisit Osorius, ut, quod in ea poterat temporum difficultate,

leva-

levamen afferret. Et quanquam initio , tumultuantibus , et urbem aggredientibus Corsis , vix aliud potuit efficere , quam ut suos consiliis , et opportunis admonitionibus adjuvaret , atque in fiduciam obtinend^e tranquillitatis erigeret ; tamen antequam belli furor omnino resedisset , non pauca constituit , quæ ad commune Sociorum bonum , et privatam juvenum informationem in spiritu , et literis pertinebant .

Hi omnes , qui ad urbem in primo belli discrimine con fugerant , domos sine ullo delectu , prout scilicet cuique latibulum aliquod reperire licuisset , occuparunt . Sed Osorius paucis post diebus omnes per certas distribuit domos , certosque illis Rectores designavit , ut ubique , quantum fieri posset , domesticæ disciplinæ ratio servaretur . Tirocinium quam maxima potuit accuratione constituit , eodemque delectos quosdam viros destinavit , qui præclaris vitæ exemplis ad studia virtutum novitiis essent incitamento . His addidit Magistros rhetoricæ , et humanitatis , ut illos , qui secundum suæ probacionis annum agebant , erudirent . Eos quoque , qui tertium probandi erant , in eadem tirocinii domo , sed in alio ejusdem membro collocavit : ut et se mutuis adjuvarent exemplis , et neutri aliorum exercitationes impedirent , quibus utrique pro diversa ipsorum conditione vacabant . Adolescentibus , qui per navigationis intercapelinem dialecticas , et physicas institutiones penitus excipere non potuerant , in unam congregatis domum , suos etiam Magistros adjunxit : voluitque , ut in medio Sextili , cum nondum armorum strepitus conticuisset , scholas suas repeterent , ne quam haberent in absolvendo philosophico cursu retardationem . Cæteram pubem , quæ theologicis notionibus erat imbuenda , in aliam remisit domum , eamque Doctoribus instruxit opimis : ut quoniam summa erat librorum inopia , hanc locupletissimo docentium penu suppleret . Facta ibi ad consuetam inter Hispanos diem studiorum renovatione , sacra doctrina cum magno numerosæ juventutis ardore cœpta est pertractari : paucisque post mensibus theses quoque propugnatæ sunt publice , quibus multi Bæticorum Patrum adfuerunt . Sic musas , et literarias de re divina concertationes , quæ vel nunquam audiæ ibi fuerant , vel diutissime ab illa urbe exulaverant , in eandem Sociorum exilium induxit .

xit. In alia denique domo nonnullos conjungit ex junioribus Sacerdotibus, qui literarum curriculum paulo ante confece-
rant, ut in ea mathematicis incumbenter disciplinis. Multi,
quibus hæc, et his similia nunquam ab Osorio in tam magnis
rerum omnium angustiis perficienda esse videbantur, postquam
ea tam apte, tamque ordinate constituta fuisse viderunt, exi-
miam hominis prudentiam, et invictam in exequendo constan-
tiam valde collaudarunt.

Præterea literis, et legationibus missis, multa, quæ ad
quotidianum victum, et sacrorum etiam usum in ea urbe de-
siderabantur, aliunde curavit asportanda. Corsorum ducibus
meritas egit gratias pro exhibita erga Socios obsidionis tem-
pore humanitate: simulque ab eis petiit, ut commeatus ex in-
teriori insula, quæ illis subjecta erat, Calvum invehiri pate-
rentur. Quod cum illi facile concessissent, non multa quidem,
propter asperam locorum conditionem, sed tamen aliqua obtenta sunt, ad lacrymabilem Sociorum egestatem suble-
vandam. Cum deinde Labrone, et Genua, atque aliis ex lo-
cis portidores aliqui devenissent, per eos effecit Osorius, ut
multa, quæ maxime opus erant, neque uspiam Calvii repe-
riebantur, sibi ex continenti mitterentur. Hoc modo nonnullos
obtinuit libros, et copiam aliquam sacrae supellectilis, cuius
ob defectum pars magna Sacerdotum ad aras operari non po-
terat. Varia insuper Genua comportavit ferramenta, quibus
Adjutores illi, qui fabrilia tractare noverant, et fulcra com-
pingerent sublevandis e terra lectulis, qui hactenus super nu-
do solo jacuerant, et sedilia, et mensas, et alia necessaria fa-
bricarent. Quosdam etiam ex Adjutoribus, qui pistores olim
fuerant, cum Sacerdote, qui eisdem præcesset, collocavit in
conducta domo, cui furnus inerat, ut in ea panificium ex-
ercent. Quo prudenti consilio Sociorum indigentie oppor-
tune providit, atque aditum vexationibus, quas antehac pas-
si fuerant, magna ex parte præclusit.

Neque suorum tantum, sed aliorum etiam commodis in-
servire, tanquam propriam sui muneric partem reputabat O-
sorius. Non diu postquam Galli majori copiarum numero Cal-
vium iterum occupaverant, Marchioni Tillyo, qui arcem il-
lam cum potestate obtinebat, certus affertur nuntius de obitu

Mariæ Leczinskiaæ, Galliarum Reginæ Christianissimæ. His acceptis literis, Tillyus de persolvendis ei justis cœpit statim recognoscere. Sed hærebat animo, neque rem eo, quo par erat, decore perficiendam sibi esse sperabat, cum et artifices exstruendo tumulo, et peristromata parietibus templi obducendis in egentissima illa urbe deessent. Hæc secum volvebat tacitus, cum Osorius ad eum veniens, postquam dolorem ex interitu Reginæ conceptum expresserat, æquum sibi visum esse dixit, aliquam grati animi significationem erga illam ostendere, quæ Societatem complexa fuerat amore, ac benevolentia singulari. Decrevisse itaque cum Sociis suis, quantum præsens rerum tenuitas sineret, Reginæ benemerentissimæ parentare. Probavit Tillyus Osorii consilium, multisque pietatem illius commendavit. Sed quoniam tibi deliberatum est, inquit, hæc facere, satius erit, existimo, si ambo partitis inter nos curis, eodem die parentalia regia exequamur. Annuit his libenter Osorius, qui susceptas adornandi templi partes per suos illos artifices explevit, quos paulo ante commemoravimus. Hi cenotaphium ereverunt, eique pyramidem imposuerunt justæ magnitudinis, cuius summo in apice coronam, sceptrumque regium aptissime collocarunt. Ad obtegendam vero machinam, cum alia velamina non suppeterent, partim Sociorum pallia, partim stamineas adhibuerunt telas, quas Genua pro conficiendis sibi vestibus asportaverant: iisdemque Sacellum templi maximum exornarunt. Hæc intra biduum peracta sunt, ut optaverat Tillyus. Eodem tempore nonnulli, jubente Osorio, varia carminum genera, et elogia sepulcralia latina, græca, et hebraica composuerunt, quæ ad geminam tumuli faciem, ejusque latera, et alibi per templum affixa fuerunt. Cum tertius illuxit dies, Socii a summo mane multa fecerunt Sacra, ut Reginæ pacem apprarentur. Deinde Archipresbyter cum ministris suis Sacrificium majori cœrimonia inchoavit, concinente choro Sociorum aliquot, qui suam modulandi peritiam jam alias, vel in quorumdam funeribus, vel in Sanctorum solemnitiis demonstraverant. Interea milites tympanorum discordantium pulsu, tubarum, aliorumque instrumentorum sonitu, et tormentorum iteratis per intervalla quadam explosionibus funerariæ illi actioni majestatem,

ac decorem non modicum adjungebant. Sacro peracto mysterio, unus e junioribus, qui theologicis vacabant studiis, laudationem funebrem de suggestu pronuntiavit, quam Tillyus, cæterique duces attente, ac libentissime auscultarunt. Denique post prandium vespertinæ pro defunctis preces similiter celebratz fuerunt cum cantu. Tillyus pro his omnibus maximas Osorio gratias egit, et orationem funebrem, inscriptions, et epigrammata, quæ a Sociis scripta fuerant, ut ea Parisios mitteret, ab ipso postulavit.

Gallorum in Corsicam reditus Hispanorum ab eadem exi-
tum acceleravit. Quo die solemnitas agebatur S. Ludovici Gal-
liarum Regis, cum jam sero esset, rumor coeptus est undi-
que dissipari, Jesuitas propediem inde alio educendos. Pos-
tridie mane tredecim haud procul apparuerunt naves Gallicæ,
quæ Calvum recta contendere videbantur. Vix illæ portum
intraverant, cum Prætor Sociis injunxit, ut intra eum diem
naves sine mora concenderent. Multis apud illum egit Oso-
rius, ut consensionem in perendinum, vel saltem in crasti-
num differri permitteret. Quod cum obtainere vix speraret,
ad ea procuranda, quæ maxime instabant, cogitationes suas
convertit. In primis ægrotos illos, qui maritimum iter inire
non poterant, in eadem conjuxit domo, eique Sacerdotes du-
os apposuit, quorum alter Rectorem ageret, alter vero Con-
fessarium: tres item robustos laicos, inter quos unus erat
Pharmacopola; ut nihil eis vel ad animi, vel ad corporis sa-
lutem deesset. Neque his satis se egisse ratus, Comitem Cou-
sanum adiit, qui unus inter Gallorum duces et humanissimis
suis moribus, et egregiis christianæ pietatis exemplis Hispa-
norum animos sibi conjunctissime devinxerat. Huic curam
suorum, quos Calvii relinquebat, cum Osorius commendas-
set: *Habebunt in me, dixit, parentem providum, matremque
solicitam: citiusque mibi cibus, quam illis deficiet.* Virum sâ-
ne in paucis commendabilem! qui Martiales inter strepitus
tantam erga Deum, et homines pietatem exhibere didicerat.
Voluit insuper Osorius, ut adolescentes, qui philosophicum
cursum absolverant, ante profectionem consuetum ingenii pe-
riculum subirent. Sed cum excederent tricenarium numerum,
illos per varias Magistrorum domos ternos divisit: itaque o-
mnes

mnes brevi tempore profectus sui dederunt specimen. Præterea nonnullos jussit per domicilia omnia discurrere, ut monetam Corsicam, siqua esset, colligerent, et cum alia, quæ ubique recepta esset, commutarent. Alios denique misit ad naves, ut inter navarchos explorarent, cujus Regis imperio, Catholicine, an Christianissimi e Corsica educerentur? quo tandem pertrahendi? quanta esset navium capacitas? quæ vicitus ratio? aliaque id genus comperirent, quæ ad ulteriora capienda consilia, lucem sibi possent afferre. Hi cum redissent, quæ ad naves cognoverant, retulerunt. Jesuitas ex communi utriusque Regis sententia ad oram Liguriæ perducendos: novos ibi ministros affuturos, qui eis commorationis locum designarent: Telone decretum fuisse, ut Jesuitæ in ratione victus perinde ac nautæ simplices haberentur: e navibus, quæ Calvium appulsæ fuerant, quatuor ad S. Bonifacii portum esse destinatas, ut commorantes ibi Jesuitas reciperen, neque ante illarum redditum cæteras prefecturas esse Calvio. Id cum certo comperisset Osorius, a Prætore Tillyo tandem obtinuit, ut præproperæ concensionis decretum revocaret: ipseque sedatius potuit efficere, quæ ad imminuenda suorum inter navigandum incommoda excogitaverat. Præter alia multa, quæ prudentissime per eos dies fuit executus, navem aliam conduxit, quoniam eas, quæ Telone venerant, tot recipiendis hominibus nimium angustas esse cognoverat.

Post menses demum quatuordecim, quos Castellani exiles inter magnos labores, nec levia vitæ discrimina duxerant Calvii, ad Ligures sub Gallorum ductu sunt deportati. Hic eos inducere conabantur Galli, ut conductis Genuæ navibus Centumcellas peterent, indeque in ditionem Pontificiam desilirent. Sed Osorius, cæterique Provinciarum Præpositi, qui Genuensi in portu aderant, constanter eorum conatibus restiterunt, et quoties de re illa sermonem ingerebant, unanimi responderunt consensu: *Nunquam se commissuros, ut sponte sua Centumcellas adirent: e Corsica non suo arbitratu, sed Gallorum jussu excessisse: iidem, quæ in mandatis habere se dixerant exequerentur, ut Socios in Genuense litus exponerent: tune ipsos, cum alibi manere non possent, ad Pontificis ditionem itinere terrestri profecturos.* Sic enim existimabant, debitam Pontifi-

tifici Summo reverentiam minime ab se violandam , si profec-
tionem illam non sponte , sed coacti suscepissent . Ab eo con-
silio cum nullis artibus dimoverentur , omnes tandem , post
toleratas per triginta dies in Genuensi litore gravissimas mo-
lestias , Segestam Tigulliorum devehuntur . Hic paucos conquie-
vere dies : et cum jam singuli ad conficiendum iter unciales
argenteos quindecim a Ministro Catholici Regis accepissent ,
per Ducatum Parmensem , et Mutinensem ad Bononiæ pro-
vinciam advenerunt . Pauci , quibus id concederat Osorius ,
phaselis ad Ligurnum portum progressi , inde per Etruriam
in eandem cum cæteris ingressi sunt regionem .

Antequam reliqui Socii Segesta digrederentur , Osorius Bononiam usque præcesserat , ut de ratione hospitandi eos per-
tractaret . Cum autem per illam anni stationem conducendis
intra urbem domibus non modicæ occurrent difficultates ,
per vicina Castella , et Suburbanas Bononiensium Villas do-
micia perquirenda curavit , in quæ omnes quamprimum fieri
posset , reciperentur . Hi Mutinam interea in varias divisi tur-
mas adventabant : indeque ad designatum ab Osorio locum
Rectores singuli cum suis subditis discedebant . In quamlibet
earum domuum copiosum destinavit Sociorum numerum ,
tum ut religiosæ consuleret disciplinæ , quæ melius inter plu-
res vigere solet : tum etiam , ut ex accumulata multorum
pensione communibus cujusque domicilii sumptibus facilius
subveniri posset : quod in illa comparandæ omnigenæ supel-
lectilis necessitate vix aliter potuisse obtineri . Constitutis in
eum modum Sociorum habitationibus , ipse in Bianchinam se-
cessit Villam , quæ septimo ab urbe milliario sita est ad La-
vinum inferius . Voluit enim exemplo suo Socios inducere , ut
ruri libenter habitarent : quod ipse multis justissimisque de
causis urbanæ commorationi , eo præsertim tempore , præfere-
bat . In eadem sede amplius sexaginta Socios collocaverat , in
quibus erant adolescentes circiter quadraginta , qui philoso-
phicis ibidem instruendi erant disciplinis . Atque hujus præ
cæteris diligendi sibi loci , eam Osorio fuisse causam existi-
mo , ut pubes illa , in qua provinciæ Castellanæ spes ultima
vertebatur , diligentius sub ipsius oculis in literis proficeret ,
ac virtutibus . Ibidem aliorum curæ pari atque alibi solicitu-
dine

dine invigilavit. Ac ne quid gravioris momenti sine illorum consilio statueret, qui Consultorum munere fungebantur (cum ii procul degerent, et itinera per hiemem essent impeditissima) nonnunquam eum, qui sibi a secretis erat, cum mandatis ad eos dimisit: cognitaque illorum sententia, consultius ea, quæ in deliberationem venerant, peragenda decrevit. Castrifranchi prope Arcem Urbanam denuo academiam illam instituit, et auxit, quæ Calvii fuerat inchoata. Eo quippe non paucos misit juvenes Sacerdotes, ut eorum alii Mathesim sub designatis Magistris discerent, alii vero in græcis, et hebraicis literis perficerentur. Alia denique alibi constituit, quæ in novo illo rerum statu peropportuna erant ad retinendam domesticam disciplinam.

Postquam triennium in provinciæ præfectura compleverat, quanquam libentius privatam egisset vitam, Bononiam tamen, ad regendam Sociorum domum, compulsus est proficisci. Multi enim ab anno 1770. ex vicinis pagis intra urbem illam se seceperant, conductis opportuno tempore domibus, quæ ipsorum usui magis essent accommodatae. Ex iis quædam O-sorio fuit commendata: in eamque Socii sex et viginti convererunt, quorum plerique juvenes erant, qui paulo ante consuetum studiorum, et probationum cursum absolverant. Ut in his conceptum jam ardorem spiritus, et amorem in literas promoveret, multa ille, quæ ad utrumque juvare poterant, ad minicula suppeditavit. In primis ædicularam domi suæ constituit, quinque instructam aris, in quarum maxima divinum Sacramentum debita cum facultate, ac reverentia reposuit. Eandem decentissimo sacrificiali apparatu, et elegantibus ornavit imaginibus. Hic multas ipse ducebat horas, cæterosque, ut eodem interdiu recurrerent, hortabatur. Hic præter quotidiana de more Societatis religiosa exercitia, frequentiores, quam in Hispania fieret, habebantur exhortationes. Earum aliquas juvenibus demandabat, tum ut otium, dum commentando, et scribendo incumbunt, bene collocarent; tum ut usum aliquem caperent in exercitatione dicendi. Sed nemo plures quam O-sorius habuit, cujus sermonibus sapientia plenis, cœlestique unctione perfusis, multum omnes ad terendos perfectioris vitaæ tristes incitabantur. Deinde bonam librorum copiam coemit,

mit, qui de rebus præsertim sacris, de doctrina morum, de Ecclesiastica historia, deque aliis religioso viro dignis agebant. Ac ne illi conspersi pulvere, situque obsiti jacerent in pluteis, duos per hebdomadā domi suæ congressus instituit. In eorum altero, quod alibi quoque fiebat, de rebus moralibus agebatur: in altero disserendum erat de historia Ecclesiastica, vel de iis, quæ virum Ecclesiasticum maxime deceant. Osorius ipse, ut in omnibus, quæ cæteris præcipiebat, suo præi- ret exemplo, dissertationes duas diligentē elaboratas studio, solidaque illustratas eruditione, in designatis diebus coram aliis recitavit: et sic illis viam aperuit, quam tenere possent in novo illo, atque utilissimo arguento pertractando. Præterea triclinium, et vestiarium ita dispositū, ut in eorum quolibet omnibus sibi subditis, quidquid opus haberent, in commune ministraretur. Credebat enim, in religiosa familia multum de contentione virtutum, ac literarum fore detrahendum, si unicuique privata sui victus, et vestitus cura relinqueretur. Nullam ideo, cum provinciæ præterat, diligentiam non adhibuit, ut communis vitæ ratio vigeret ubique. In hac autem Bononiensi domo ut eandem retineret; mille circiter unciales argentos, qui sibi dono missi fuerant, libentissime impendit. Nam præter illa, quæ in exornando Sacello, vestiarioque instruendo, ac cæteris utensilibus comparandis insumpserat, quædam etiam habitacula ære suo construxit, ut quo singuli commodiore habitatione uterentur, eo etiam impensius mentalibus, ac literariis incumberent exercitiis.

In ea domo placidissimos agebat dies, et illa juvenum manus sub erudito, religioso, et honoratissimo sene in studio virtutum, ac literarum nobili æmulatione procedebat, cum alatus eversæ Societatis nuntius susceptum vivendi modum coegerit abrumpere. Osorius, quamvis acerbitate infortunii hujus intime senserit, Dei tamen, ejusque Vicarii decretis sese plena cum demissione subjiciens, incunctanter jussa fuit executus. Suis relictis sociis, ab illa etiam domo recessit, quam semper in deliciis habuerat. Atque hic non sine jucundo animi sensu meminisse potuit eorum, quæ ipse olim cuidam responderat. Cum videret is, qui in prædicta domo Ministri gereret munus, Rectorem suum, quidquid pro suo qualicunque

que commodo ab amicis , et propinquis acceperat , in ea sus-tentanda domo consumere ; illi aliquando dixit , si quolibet tandem casu domus illa dissolveretur , quas pro ea expensas fecerat , nunquam sibi esse rependendas . Sed Osorius : *His ego , inquit , ne tantillum quidem commoveor , cum sciam , Deum esse solvendo cumulatissime*. Nec vero spes eum sua de-cepit . Nulla enim vita commoda , nulla mundi hujus oblecta-menta tantum illi solatium afferre potuissent , quantum dein-ceps expertus est , cum in alteram immigrasset domum , quæ urbi propinqua erat . Ibi ab urbanarum rerum perturbatione semotus , cum duobus Sacerdotibus , et quodam laico , quem *Œconomum* suæ domus constituit , tranquillam vitam duxit in silentio , et patientia , atque in aliarum usu virtutum , quas a teneris didicerat exercere .

Etenim , ut aliqua de Osorii virtutibus singillatim dicam , eminebat in eo singulare religionis studium , quo Deum , ac divina præcipuis reverentia signis prosequebatur . Inde ad pro-movendum sacrorum cultum nullis parcebat sumptibus , ut in his præsertim locis fecisse illum vidimus , in quibus aliquam Sociorum domum cum potestate administravit . Et vero Sal-manticæ præter illa , quæ jam opere compleverat , alia etiam ad majorem templi ornatum excogitaverat , quæ exequi tem-porum difficultate præpedito non licuit . Bononiæ vero in ma-gnis rei domesticæ angustiis nihil habuit antiquius , quam ut Sacellum pulcherrimum erigeret , in eoque sedem Christo Do-mino constitueret , ut et multiplici Sacrificiorum oblatione , et iteratis multorum adorationibus coleretur . Ipse quotidie mul-tas ibi horas perseverabat precando , adorandoque Deo suo , cuius consuetudine mirifice recreabatur . Mane quippe ita ma-ture surgebat , ut rem divinam facere inciperet , cum cæteri excitabantur a somno : et longas hiberni temporis noctes ibi-dem pene integras insumebat , donec ad cœnam cum reliquis evocaretur : idemque per æstatem in pomeridianis horis so-litus erat efficere . Sic solidos dies vel in cubiculo volvendis libris , vel in Sacello fundendis precibus exigebat . Nec nisi raro extra limina domus egrediebatur , nonnullorum coactus obsecrationibus , qui nimium valetudini timebant suæ , nisi eam una , vel altera per hebdomadam suscepta deambulatione

tue-

tueretur. Siquando vero vehementius illum urgerent aliqui, ut frequentius exiret domo, Medicorum objecta sententia, qui necessarium hoc sibi esse censebant; ingeniosus erat de more in eorum objectionibus dissolvendis. Nam domi manens tantam in faciendo motu collocare se operam contendebat, quantum posset, si longam extra domum conficeret ambulationem. Quod ut probaret, omnia illa recensebat opera, quibus ipse, dum alii deambulatum pergerent, intra domum exercebatur. In his tamen operibus, quamvis exercendo servirent corpori, pietatem pariter, et caritatem cum humilitate conjunctam excolebat. Tunc enim et in domestico verrendo Sacello, et in detergendis, atque ornandis altaribus occupabatur: prætereaque in superioris tecti cavum sæpe concendens, ligna inde in culinam, et fasces in caminum deportabat, ut Socii sub vesperum redeentes, fovendo per hiemem igni præparata omnia reperirent.

Ex eodem religionis studio vota illa, quibus se Deo arcctori vinculo perfectionis obstrinxerat, diligenti accuratione servavit. Inter delicias opulentæ domus enutritus, deinde parsimoniam religiosi victus ita libenter amplexus est, tanta-que constantia retinuit, quasi eidem innatus fuisse: communemque aliorum vivendi, ac vestiendi morem sic adamavit, ut nunquam aliquid illi contrarium visus sit admisisse. Postquam Romæ docendi munus absolverat, inde in Castellam redditurus, viatoriam penulam, quæ apud Italiam Socios usitata erat, conficiendo itineri adhibuit. Sed illam, quippe ab Hispanorum usu abhorrentem, ad regni fines depositus, ne quid in provinciam suam invehheret, quod receptis in ea moribus adversaretur. Neque illa tantum, quæ intuentum patabant oculis, sed reliqua etiam communia, et vulgaria esse cupiebat. Cum aliquando interula quadam veste indigeret, eamque satis commodam habere potuisset; quoniam ab iis aliquatenus discrepabat, quibus induiti erant cæteri, non ausus fuit illam sibi desumere. Tantum ab eleganti vestium concinnitate non solo affectu, sed opere ipso discesserat! Nihil habebat proprium, ac ne illa quidem sua reputabat, quæ legitima cum facultate obtinuisse. Salmanticæ, bene libentibus Superioribus, tablinum fecerat pro facilitori librorum, et stu-

diorum usu. Cum deinde in aliud cubiculum pertransisset, instabat ille, qui relictum ab Osorio cubiculum occupaverat, ut is tablinum suum ad novam illam sedem transferret. Id autem persuaderi non potuit Osorio, qui tablinum illud non sibi, sed cubiculo construxisse, respondit. Et hæc quidem, cum privatus esset, agebat. Postquam vero publicam aliorum curam suscepit, maximeque in illius triennii spatio, quo totius provinciæ Sociis per varias terræ, marisque plagas jactatis præfuit, indefessam ubique adhibuit diligentiam, ut communis, et pauperis vitæ ratio fideliter ab omnibus teneretur. Et quanquam aliqui domesticis legibus in ea tam notabili mutatione rerum nonnihil laxamenti dari posse censebant; ipse tamen nullis aut rationibus, aut exemplis a sententia sua discessit, semperque pro antiquo paupertatis jure tuendo decer-tavit. Postquam venerat Calvum, Socios omnes admonuit, ut acceptam pensionem, et peculium, si quod haberent, apud Superiores suos deponerent, neque aliquid sine venia eorumdem expenderent. Contendentibus deinde Ministris, qui solvendæ ibi pensioni designati fuerant, ut eam singuli acciperent, et, ut cuique libitum esset, administrarent; Osorius eorum conatibus obstitit, religiosaque constantia respondit: persuaderi sibi non posse, hanc esse Catholici Regis mentem, ut ipse tam præcipuam officii sui partem negligerer, suisque subditis contra ea, quæ sancte promiserant, liberum pecuniarum usum relinquere. In eadem urbe Sacerdos, qui libras aliquot chocolati secum ab Hispania deportaverat, ubi magisterium exercebat, facultatem ab Osorio petiit utendi eis in tempore probationis tertiaræ, quam initurus erat ibidem. Sed cum id antiquæ consuetudini repugnaret, obtinere utique non potuit ab Osorio, qui præcise illi respondit: *In tertia probatione vel omnes, vel nullus.* Adeo erat inexorabilis in remittenda veteri disciplina. Nec vero si severitatem in hac parte cum aliis exhibuit, quidquam propterea sibi ipse indulgebat. Quidquid ex aliorum liberali pietate reciperet, quidquid item industria sua per id tempus ipse conquereret, ad sublevandas provinciæ necessitates, et indigentium procuranda comoda conferebat. Suarum interea commoditatum oblitus, si quid illi deesset, non ideo aut tristitia, aut impatientia, aut alia

alia qualibet animi perturbatione commovebatur. Vidi ego illum non semel (ait quidam assiduus ipsius comes , et secretorum particeps) etiam parco illo destitutum victu , qui ceteris quotidie ministrabatur , vel ob nimiam inservientium incuriam , vel ob ipsam perturbati temporis iniquitatem . At nunquam ab eo verbum ullum audiri , vel indicium aliquod observavi , quo dolorem , aut displicantiam innueret ; sed tantam potius tranquillitatem , et pacem , quæ magnam mibi moveret admirationem . Postquam provinciæ gubernacula deposuerat , deliberatum est de rigore communis vitæ mitigando , ut quorundam desiderio fieret satis , quantum Societatis jura permetterent . Ad eam deliberationem inter alios adhibitus fuit Osorius , qui sententiam de scripto dixit , in quo multo doctrinæ pondere , ac manifestis Instituti testimonii confirmavit ea , quæ ipse paulo ante per omnes Sociorum domos statuerat . Factoque dicendi fine subjunxit : Si quis ad ea , quæ hic ego exposui , perspicue solideque responderit , libenter ipse in contrariam sententiam ibo . Sed Osorii scripto perfecto , nemo fuit , qui responsonem illi dare tentaverit : unde nihil super his , quæ in deliberationem venerant , fuit innovatum . In extremis vitæ suæ annis nihil de paupertatis studio remisit . Defuerant illi eo tempore , quo his maxime indigebat , numeraria quædam subsidia , quæ olim sibi a beneficis remittebantur . Et tamen neque ipse aliquid fecit , neque ab aliis effici passus est quidquam , ut nobiles ejus , divitesque propinquai opem sibi aliquam subministrarent . In suburbana illa domo , ad quam recessisse diximus , latam in re tenui peragebat vitam , de nullo unquam hominum conquerens , Deique providentia plene confisus . Atque ita humanarum rerum a se abjecerat solitudinem , ut ne pensionem quidem suam administraret , cuius curam alteri demandaverat : ab eoque solum teruncios aliquos exigebat , ut eos inter mendicos dissiparetur , quos tenero miserationis affectu prosequebatur .

Qui longo annorum cursu intimam cum Osorio consuetudinem habuerunt , nihil unquam in ejus verbis , aut factis observarunt , quod pudicitia candori vel minimum adversaretur . Testis etiam virginei sui pudoris fuit aliquando primarius quidam Eques , qui cum fortuito apud ilium esset , dum

e cubili surgebat, eximiam ejus modestiam in induendis vestibus ita fuit admiratus, ut exinde præclarum, et multo quam antea præstantiorem opinionem de Osorio, deque cæteris Societatis hominibus conceperit. Cum autem in tuenda castitate adeo esset diligens, in aliis etiam ejusdem virtutis studium promovere curavit. Audierat de Virgine quadam paupere, quam ne de facie quidem noverat, decentissimas nuptias ea solum de causa repudiasset, quod vehementer cuperet virginitatem suam Deo intra religiosa claustra consecrare. Id sat satis habuit Osorius, ut, nemine deprecante, dotem illi conferret, sumptusque faceret necessarios, donec sacrum velum accepit in Coenobio quodam Virginum, in quo memor semper extitit tam singularis ab eo accepti beneficii. Egregia indolis juvenem, quem parentum inopia detinebat, ne Sacerdotium peteret, quod digne obiturus esse credebatur, libera-liter etiam adjuvit, ut Toletum pergeret, ubi Curiam e primariis obtinuit, quam multa cum laude, multoque cum animalium fructu administravit.

Jam circa ea, quæ ad obedientiam pertinent, promptus erat, ac diligens, non solum dum ipse in minoribus esset, sed etiam cum cæteris imperabat. Si quando decretum aliquod Superiorum tantisper exequi distulisset, dum eos de probabili emersuri damni timore admoneret, interea tamen animo erat paratissimo ad eorum ulteriora jussa exequenda. Quod si illi nihilominus imperata sua urgere perstitissent, Osorius, relicta proprii opinione judicii, parebat incunctanter, atque obortis inde nonnunquam incommodis alia via occurrere conabatur. Supra singulos domorum Rectores ita invigilabat, ut eorum auctoritatem apud inferiores defenderet, sed nihil propterea de benignitate detrahheret, quæ subditis deberetur. Neque frequentes quorumdam ad se recursus approbabat in his præsertim rebus, quas ipsi jure suo possent decernere: unde solitus erat eos ad Societatis leges remittere, ut juxta illas rem propositam ipsi definirent. Nihil vero ad Osorii obedientiam comprobandam æque valet, ac testimonium, quod de illo dedit Franciscus Xaverius Idiaquezius, vir omni exceptione major. Is, cum provinciam Castellanam administraret, ac de successore diligendo jam ageretur, Romam ad Præ-

positum Generalem scripsit, Ignatium Osorium aptissimum si-
bi videri ad munus illud cum dignitate sustinendum. Commem-
oratisque aliis illius dotibus, de his, quæ ad obedientiam per-
tinent, sic affirmabat: Nullum inter eos novi, quibus ego a-
liquando præfui, qui mihi promptius, ac submissius, quam O-
sorius, in omnibus obedierit. Cum autem id scriberet Idia-
quezius, jam tum, præter Burgense Collegium, Tirocinium
quoque rexerat, Collegiumque Salmantinum, quorum in ut-
troque frequentissimus erat Sociorum numerus. Proindeque
ad ostendendam hujus viri obedientiam nihil dici potuit si-
gnificantius. Et quoniam hoc evasit oratio, paucis etiam at-
tingam quid Osorius ipse de obedientia Sociorum sui tem-
poris judicaret. Non multo antequam ex hac vita cederet,
cum sermo de Societatis rebus incidisset, auditus est dicere:
*Quantum ego ex annalibus Societatis agnovi, et ex gubernandi
usu comperi, virtutem obedientię, quam S. Ignatius in deliciis
habebat, non minus perfectam fuisse judico inter posteriorum
temporum Socios, quam in diebus Ignatii fuerit.* Cujus præcla-
ræ sententia pondus tanto reputandum est majus, quanto dif-
ficilior erat Osorius in his, quæ ad mores pertinent extollen-
dis, nisi consummatum aliquid attigissent.

Cum et clarissima generis dignitate, et præstantibus in-
genii dotibus inter plurimos emineret, modeste adeo, ac de-
misso agebat cum omnibus, quasi præclara illa naturæ dona
vel penitus non haberet, vel solus ipse ignoraret. Nunquam
de his ille sermonem inferebat, neque si alias aliquis intulis-
set, jucundam præbebat aurem: multoque libentius cum insi-
mis, et rudioribus, quam cum Magnatibus, et Sapientibus ver-
sabatur. Dum Methymnae Philosophiam docuit, nonnunquam
recreandi animi causa deambulationem cum discipulis usque
ad Collegii villam suscipiebat. Hic longus illi sermo cum arat-
oribus, et fossoribus, multaque cum eis de agrorum cultu,
deque agriculturarum instrumentis disserebat. Cumque inde ad
suos discipulos regrederetur, in has, aut his similes voces so-
litus erat erumpere: *Rectius, credo, mecum egissent Superiores
nostris, si me potius ad villam aliquam procurandam, quam ad
volvendos libros, et frequentandas cathedras destinassent.* Ita
alienus erat et ab honoribus appetendis, et ab ingenii sui vi-
ribus

ribus, quod plerique solent, supra meritum estimandis! Romæ, ac Bononiæ multi viri principes, nonnullique purpurati Patres, quibus nota erant Osorii decora, frequentem cum eo consuetudinem habere desiderabant. Sed ille, nisi aut imperio, aut necessitate coactus, nunquam adduci potuit, ut in eorum intraret limina: neque constat, adiisse unquam ad Cardinalem Spinulam, quem Romæ nactus est, et cui erat consanguinitate conjunctus. Inter illos, qui eum honoris, et amicitiæ causa Bononiæ conveniebant, non defuit, qui domum illi suam ad habitandum obtulerit: quam quidem liberalitatem gratissimo rependit animo, sed eadem uti penitus recusavit. Verum excellentem animi moderationem in eo maxime ostendit, quod neque honores, neque despctus, quibus non semel affectus est, illum ab exaggeratione mentis altissima, et a sua tranquillitate dejiciebant. Sæpissime a nobilioribus, et optimatibus magnis amplissimi honoris significationibus fuit exceptus: sæpe etiam perinde habitus, ac si vulgaris homo esset, planeque sortis infimæ: nonnunquam atrocibus calumniis appetitus, et insolentibus oneratus injuriis: aliquando vero parum decenter coram frequentissimo Doctorum cœtu palam insimulatus est imprudentiæ. Sed in hoc tam vario dissimilium rerum occursu æquabilitatem suam constanter adeo retinuit, ut neque inter honores elatus, neque fractus animo inter despectiones appareret. Hæc omnia pari discrimine habere videbatur: aut si quid inter duo illa extrema interesset, id erat utique, quod honoratiora, quantum posset, effugeret; viliora vero sponte sua quereret, et appeteret vehementer. Cum in ea domo, cui Bononiæ præfuit, propter adversam temporum conditionem Sacerdotes omnes decrevissent ministerio cuidam operam dare, quod laboriosum erat, et abjectum, firmissime apud se statuit in eo exercendo opere cæteris exemplo suo præire: multisque aliorum suasionibus opus fuit, ut a consilio recederet, quod manifestam vitæ suæ perniciem attulisset. Quantum denique ab omni honoris appetitione distaret, quantumque sibi ipse diffideret, tunc etiam evidenter ostendit, cum provinciæ præfecturam conatus est ante diem deponere. Literas ad Præpositum Generalem dedit, quibus eum suppliciter, et enixe deprecabatur, ut alteri munus illud

de-

deferret, cui se imparem, atque ineptum esse agnoscebat. Quod ut suaderet, tam multis, atque ad speciem validis usus est argumentis, ut quemlibet alium facile in suam adduxisset sententiam. Sed Præpositus, cui jam ab eo tempore notus erat Osorius, cum illum Romæ in Theologiarum magisterio Collegam habuerat, et qui singularem ejus prudentiam in provinciæ administratione jam ante perspexerat, et collaudaverat, longe absfuit, ut rationibus ab insigni ejus moderatione profectis assentiretur. Itaque animos illi addidit, ut onus portare pergeret, quod hactenus laudabiliter sustinuerat, nec vellet provinciam suam iis defraudare bonis, quæ ab ejus prudenti solitudine reportabat.

Enimvero Socios in illo magistratus sui triennio per maris undas, terræque regiones varias huc illuc ejectos, tanta prudentia gubernavit, quantam a prudentissimo quoque in pacifico rerum statu quisquam sperare potuisset. Habebat, inter alias ad gerendum imperium dotes, excelsam animi magnitudinem, quam nullæ laborum moles facile superarent: quod in illo difficillimo tempore, in quo alia ex aliis oriebantur incommoda, plurimum eum juvit ad capienda consilia, quibus prompte malis occurreret insurgentibus. Erat insuper natura mitis, et suavis, pronusque ad aliorum erroribus indulgendum, quos ob ipsam temporum acerbitatem benignius excusabat: sed æque tenax juris, ac legum, nec facilis quidquam de disciplina remittere propter cujusquam gratiam, aut metum. In scientia autem juris domestici quotidiana illius lectio ita profecerat, ut in eo esset versatissimus: solitusque erat dicere, neminem se cæteris præpositorum, qui perfectam Instituti notitiam non haberet. Sed quanquam et peritia legum, et rerum usu, et perspicuo eminebat ingenio, adeo tamen ab omni fastu, et arrogantia erat alienus, ut non modo libenter alios audiret, sed sponte ipse a multis consilia peteret, quibus posset in rebus decernendis adjuvari. Atque in his maxime, quæ gravioris essent momenti, præter eos, qui sibi a consiliis erant, quosdam etiam probatissimos viros, ut consultius rem quamque decideret, in consilium advocabat. Quos cum audisset, sententiam illam, in quam aut omnes, aut major eorum numerus adierat, novo ipse rationum pondere

dere ita confirmabat, ut prudens quilibet rerum æstimator, quod in deliberationem venerat, neque sapientius, neque majori cum æquitate decerni posse, cognosceret. His ad impe-randum artibus instructus, provinciæ suæ Socios ubique locorum prudentissime rexit. Calvii præsertim, inter frequentes belli terrores, et assiduas ex omni genere molestias, domesticum religiosæ vitæ ordinem ita constituit, ut nonnulli e Bæticis Patribus, qui in Suburbio ejusdem urbis degebant, Osorii prudentiam, et constantiam sæpe suspicerint, et laudaverint. Neque illi tantum. Supremus ipse Societatis Moderator, cum ab oculato teste audivisset, quæ Calvii ab Osorio fiebant; quam exacta per omnes Sociorum domos vigeret disciplina; quanta contentione juvenes, eorumque Magistri ad studia literarum incumberent; quam apie denique omnia es-sent disposita; non potuit, quin Osorium coram Assistentibus collaudaret: deindeque literas ad eundem misit, quibus illi de optimo Sociorum regimine gratulabatur. Idem Præpositus Generalis, cum Osorius, absoluto jam magistratu, in proximum Bononiæ vicum discessisset, ad successorem ejus scripsit, gratissimum sibi facturum, si Osorium juxta se haberet, quo facilius posset ejusdem consiliis uti, et vestigiis insistere, quæ ille inter administrandam provinciam adeo prudenter, ac feliciter impresserat. Bononiam ergo venire debuit, ubi Provincialis sedem fixerat, illique in expediendis, quæ occurrebant negotiis, non modicam opem tulit. Sic illa calamitas exilii, quam Osorius ipse pro sua modestia, ad luentiam superioris vitæ socordiam, evenisse sibi crediderat; ad ostendandam maxime prudentiam ejus, aliasque præclaras do-tes in Sociorum commodum exercendas, dicenda est deservisse.

Multi quidem Sociorum inter singularia Dei beneficia computabant, quod in ea miseranda rerum commutatione tamè provinciæ suæ dedisset Moderatorem, iis humanis, divinisque præstantem donis, quæ tum maxime requirebantur ad tempestatem illam quanto leviore fieri posset damno sustinen-dam. Dum ea vehementius desæviret, nemo illum turbatum vidit, multoque minus animo concidentem. Sed tunc ille in primis ad divinam implorandam opem recurrebat, iis Cœlitibus interpositis, quos frequenti religione venerabatur. Dein-de

de perspicaci suæ mentis acie vias omnes investigabat , per quas posset in re qualibet ad feliciorem exitum pervenire . Tandemque in his exequendis , quæ semel ad eum finem opportuna judicasset , acerrimam adhibebat diligentiam . Nec dubitabat quoscunque homines , etiam infimæ classis , incunctanter adire , suppliciterque deprecari , quoties ab eis auxilium aliquod obtainere speraret pro suorum necessitatibus sublevandis . Omnesque adeo mansuete , et affabiliter alloquebatur , ut plerumque illorum animos sibi facile conciliaret , iidemque palam assererent , tali viro , ac tam solito Superiori nihil omnino posse denegari . Si quando vero , vel in avertendis malis , vel in commodis procurandis , nihil industria sua proficeret , nunquam illi caritas deerat , ut subditorum animos , quo-cunque modo posset , recrearet : semperque in promptu illi erant verba suavissima , saluberrimaque consilia , quibus eos ad patientiam , et constantiam erigeret inter adversa . Ut autem verbis vim adderet efficaciorum , exempla quoque dabat fere quotidiana , quibus alii ad sustinenda fortiter adversa poterant excitari . Etenim in turbulentio illo præfecturæ suæ tempore passus est ipse cum omnibus , et supra omnes ; siquidem aliorum labores proprios sibi ipsi efficiebat et ratio sui muneris , et suæ miserationis affectus , qui eum ad negligendam sui curam non semel adegit , ut aliorum commodis inserviret . Sed inter tot adversantis fortunæ casus nunquam ab animi æquabilitate , quæ constantem virum decet , visus est defecisse .

Eandem animi constantiam vel in extrema infirmitate , quæ molestissima fuit , ac diurna , cum multorum admiratione retinuit . Sub finem anni millesimi septingentesimi septuagesimi sexti apoplexi , et rheumate adeo graviter laborare cœpit , ut exinde per continuos viginti menses , quos in lecto decubuit , acutissimis doloribus urgeretur . Ab eo jam tempore , cum Bononiæ Sociorum domum regebat , convulsionibus interdum pertentabatur , quas aliqui gravioris mali prænuntias existimabant , proptereaque illum hortabantur , ne tanta contentione mentibus insisteret exercitiis . Sed Osorius per eos maxime annos divina frequentius pertractabat , et quasi præsentiret , non diuse inter homines versaturum , ferventiore in Deum spiritu ferebatur . Cum deinde vis morbi tandem erupit , multis virtutum

tum exemplis aperte demonstravit, quantum ex sua cum Deo consuetudine profecisset. Per duos circiter annos ita lectulo affixus, ut nunquam sinistro lateri posset insistere, dolorum acerbitatem invicta patientia toleravit. Multi ad eum veniebant, ut aliquam in tam diuturno, ac periculo morbo consolacionem ingererent. Sed perspecta illius animi tranquillitate, perpetuaque voluntatis suæ ad Dei beneplacitum submissione, ab eo cum admiratione discedebant, multique lacrymis non poterant temperare. Qui assidue illi aderant, multo magis tolerantiam ejus admirabantur, soliti nonnunquam dicere, sese quodammodo desiderasse, ut gemitum, aut vocem doloris indicem promeret, quo facilius, et opportunius possent delinimentum aliquod adhibere. Sed Osorius acerrimi vim doloris sereno premebat vultu: et quanquam remediis uti non renuebat humanis, divina tamen præcipuo quodam usurpabat studio. Obtenta privati Oratorii facultate, unam quotidie Missam, non raro duas, ex suo lectulo audiebat, aperto semper capite, etiam si nonnullum inde incommodum experiretur. Frequenter de cœlesti ferculo participabat, ablutis prius conscientiæ suæ maculis ad pœnitentiæ fontem, ut ubiores ex vitali cibo fructus perciperet. His alia multa pietatis opera superaddebat, tum audiendis libris, qui de divinis agerent; tum precibus fundendis ad Mariam Virginem, aliosque non paucos de numero Beatorum; tum etiam sententiis aliquot brevibus iterandis, quibus opem a Deo frequenter, et humiliter implorabat. Inter hæc promptus erat ad exequenda Medicorum præcepta quælibet, nullamque potionem sumere recusabat, quantumvis amara esset, aut injucunda: parique submissione iis omnibus obediebat, qui ei sua in infirmitate ministrabant.

Sed cum parum medicamenta omnia proficerent, ex Medicorum consilio ad Porrectanas deportatus est thermas, ubi calidæ scaturiunt aquæ, quæ multis fuerunt proficuae. Iter illud, quod vulgo triginta duo mille passus habere creditur, in oblonga lectica, cui lectulus erat inditus, sine magna difficultate confecit. Ex balneorum usu nonnihil initio visus est relevari: sed cum ea sub æstivis maxime prodesse soleant caloribus, qui jam præterierant, per quam modicum inde levamentum accepit. Propterea sequenti anno idem iter opportuno-

niore tempore instituit ex illorum consilio , qui nihil non tentandum censebant, ut tanti viri consulerent valetudini . Verum hoc sedulum amicorum studium id tandem effecit , ut Ignatius Osorius , qui , clarissimis licet ortus natalibus , semper tamen libentius cum humilioribus vixerat , quam cum proceribus , vitam quoque in obscurō , atque humili loco finiret : quod eidem pro eximia animi sui modestia perjucundum fuisse non dubito . Etenim cum Porrectam iterum advenisset , per integrum mensem ibi commoratus , nunquam ad thermas potuit accedere : et cum viribus quotidie deficeretur , animi potius , quam corporis saluti prospexit . Quod Bononia fecerat , hic etiam perrexit efficere , ut Sacrum quotidie audiret , divinaque Sacra menta frequenter , ac religiose reciperet . Evangelia illa cum psalmis , et precibus , quæ pro juvandis infirmis designata sunt ab Ecclesia , sæpe recitari sibi petebat , ab eisque magnum animi solatium , imo etiam et dolorum deliniumentum reportabat . Eodem modo quotidianas fundebat preces ad multos e Beatis viris , ac feminis , quibus peculiari affectu fuerat semper addictus , ut felicem per eos mortem impetraret , quam ipse vehementer cupiebat , et tranquillo , atque hilari expectabat animo . Rogatus a Parocho , ubinam , et quo modo vellet inhumari ? In quovis loco sacro , et sine ulla pompa , respondit . Nempe , qui semper ab omni fastu abhorruerat , moderationem suam ad sepulcrum usque retinuit . Ardenter desiderare se ajebat , divinis mysteriis opportune præmuniri , ut robur inde reciperet , ad viriliter in extremo confliktu decertandum : il ludque tandem pro votis obtinuit . Undecimo Kal . Augusti novendiales incepérat preces in honorem Parentis , et cognominis sui Sancti Ignatii , quem semper religiosissime coluerat . Novendialibus in ejusdem pervaigilio peractis , confessionem etiam peccatorum instituit , ut Eucharistiam sequenti die de more reciperet . Sed benignissimus Patronus devoto clienti præmium devotionis suæ repræsentasse videtur ; et quem in longiore vita suæ tractu filium non degenerem habuit , in morte quoque multis sibi similem reddidit . Nam Osorius , postquam rite confessionem absolverat , graviori urgeri coepit periculo : propterea que sub illius noctis crepusculum sanctissimo refectus est Viatico , et paulo ante medium noctem extremam quoque re-

cepit unctionem. Applicitis deinde pœnarum remissionibus, commendataque Deo anima solemnibus precibus, cum invidenda quadam tranquillitate ultimum emisit spiritum anno Domini 1778, ætatis suæ 65, die 31 Julii, feria sexta, quam ille semper ob memoriam Dominicæ Passionis summa religione venerabatur. Atque in his tribus moriendi conditionibus omnimodam habuit cum S. Ignatio similitudinem, qui eodem die, eademque feria, et totidem natus annos obivit.

Sepultus est Osorius in Parochiali templo Porrectæ modestissimo funere, ut ipse petierat, nullaque ad ejus tumulum posita inscriptione sepulcrali. Hæc sane conspicuis clarissimi Viri meritis non fuisse indebita; sed ut perennaret ibi nomen Osorii, minus quidem erat necessaria. Quoniam apud illam gentem, quamvis modico cum ea tempore conversatus, suarum vestigia virtutum tam alte reliquit impressa, ut illas multis post ejusdem obitum annis recenti adhuc, et jucundissima recordatione commemorarent. Cæteris, qui longam cum Oso-
rio vitæ consuetudinem habuerant, peracerbus fuit ejus interitus. Doluerunt enim omnes tantum amisisse Virum, generis splendore magnum, sed generoso splendoris hujus contemptu majorem; ingenio mitem, et placidum; mentis amplitudine ornatum eximia, qua divinas subtiliter, ac profunde pertracatabat scientias, et humana solerter expediebat negotia; temperantem in lætis, in adversis vero constantia præditum singulari; qui denique omnes vitæ suæ rationes ad honorem Dei, et hominum commoda promovenda destinaverat. Sed nobis hoc malum eo tolerandum est moderatius, quod et ille, ut speramus, cœlesti jam adscriptus est patriæ, et nos in hoc ærumnoso exilio præclaris virtutum ejus exemplis ad beatam illam civitatem obtinendam possumus excitari.

CLEMENS RECIUS.



Ex honestis, piisque parentibus natus est IX Kalendas Decembres anni MDCCIII in regni Legionensis oppido, quod Torrecillam Ordinis vocant, e quod subeat equestri Ordini S. Joannis. Fratrem habuit natu minorem, Bernardum Recium, qui vestigia majoris insecutus, ipse quoque Societati Jesu nomen suum dedit: et postquam provinciaz Castellanaz præclaris virtutum omnium illuxerat exemplis, in Americam trajiciens, Quitenses populos ministeriis Apostolicis strenue per multos annos excoluit. Inde ad procuranda provinciaz sua negotia in Europam regressus, post labores, et carceres impavide semper, latanterque toleratos, Romam tandem permisus est advenire. Hic inter assidua pietatis, et caritatis opera reliquam vitam duxit, eidemque laudatissimum finem, relichto suavi sanctitatis odore, ante annos non ita multos imposuit. Bernardi acta diligentie collecta studio Gaspar Janerius Italico sermone perscrispsit, Fulginizque typis edidit anno 1794.

Clemens sub Parentum, et Magistrorum vigili disciplina pueritiam suam laudabiliter egit: et cum egregiam naturæ indolem obtinuisse, christianis, elementariisque rudimentis jam bene instructus, latinam quoque linguam brevi percepit. Elucebat jam tum in puer morum candor ingenuus, unde spem multi non dubiam concipiebant illius futuræ probitatis. Nec diu ille distulit expectationi, quam de se moverat, cumulate respondere. Cum attigisset ætatis annum decimum quintum, mundanis rebus nuntium remisit, et tironibus annumeratus est Societatis Jesu mense Aprili, anno millesimo septingentesimo decimo octavo. In ea positus religiosæ perfectionis schola, modestiam, et silentium, aliasque virtutes ita didicit observare, ut vitiosa declinaret extrema, quibus aliqui professionem vitæ sanctioris austriore, ac tetrico vultu minus gratiosam, et amabilem reddunt. Sic enim in adimplendis tirocinii officiis erat

erat exactus, ut nihilominus affabilis esset omnibus, et judicii maturitatem suis superiorem annis ostenderet. Inde ad studia literarum progressus, in his addiscendis perseverantem adhibuit diligentiam: et cum aliunde perspicuo, et expperecto esset ingenio, humanas pariter, et divinas scientias multa cum laude fuit assecutus. Eas deinde, cum Sacerdotio jam esset initiatuſ, jussus est aliis tradere, quod ubique cum ingenti approbatione, atque auditorum insigni fructu perfecit.

Primum humaniores literas docuit in Seminario Villagarsiensi, ubi discipulos suos in latini proprietate sermonis, in rhetoricis, poeticisque præceptis solerti, et infatigabili eruditivit studio. Sed cum leges castigate loquendi traderet, opportune quoque instillabat recte vivendi documenta, tum sapientissimis monitis inculcandis, tum etiam exemplis integerimæ vitæ exhibendis. Ita de illo testificatur vir quidam fide dignissimus, qui per id tempus frequenter, et intime cum eo agebat: idemque adjungit, cum ad eum ingredetur, non semel reperisse illum perfusum lacrymis, quas non aliunde credebat fluere, quam ex ferventi, ac tenero ejus inter orandum affectu. Apud cæteros Collegii Socios, atque etiam inter incolas illius populi, externosque discipulos magna erat de doctrina, et virtute Clementis existimatio. Eandem Vallisoleti retinuit, dum ibi Philosophiam explicit in Ambrosiano Collegio. Facta deinde solemní quatuor votorum professione, quam emisit anno 1737, quo die cœlestis nuntius Mariam Virginem salutavit, novum inde sumpsit ardorem ad Dei gloriam, et salutem hominum promovendam. Post hæc Theologiæ Magister designatus, illam diu Segoviæ docuit cum manifesto discipulorum profectu, et communii Doctorum acclamacione. Increbuit hæc plurimum inter cives, cum orationes sacras habere cœpit in templo. Sive enim vitia reprehendenda susciperet; sive virtutes, earumque sectatores commendaret, adeo apposite utrumlibet tractabat argumentum, ut nihil aut vehementius, aut ornatus fieri posse, suis auditoribus videretur. Eamque bene dicendi laudem, ubicunque verba faceret constanter fuit assecutus: unde per universam provinciam optimi Oratoris famam semper obtinuit. Segoviæ vero ex hac duplici concionandi, docendique munere, quod

quod eodem obivit tempore, multam sibi laborum segetem comparavit. Cum enim ad opinionem doctrinæ integritas etiam accederet vitz, quam omnes ex religiosa morum gravitate, atque affabili cum cæteris agendi modo agnoscebant, quam plurimi veniebant ad ipsum, non solum ut conscientiam deponerent delictorum, sed etiam ut domestica, civiliaque negotia ex illius consilio ad prudentiæ, ac justitiæ leges componerent. In his audiendis, ac dirigendis multas cum indefessa patientia, et caritate ponebat horas, egregiumque reportabat industriæ, ac sapientiæ suæ fructum: qui cum ad plurimos pertineret, per Segoviensem ora faustissimo rumore, et magna Clementis commendatione ferebatur.

Quamvis notum Superioribus esset, Clementem in urbe illa et erudiendis discipulis, et juvandis omni ope animis utilissimam operam collocare; cum æque perspectas haberent singulares ad gubernandum dotes, quibus cœlitus erat instrutus, eum a docendi munere ad Sociorum regimen advocarunt. Breveque omnibus patuit, electionem consultissimam fuisse, licet Clemens longe aliter pro sua humilitate sentiret. In Collegio, cui primum præses debuit, non leves occurrabant causæ, quæ nimis arduam ac difficilem redderent illius administrationem. Sed ille prudentia, et constantia sua, divinaque adjutus ope, quam frequenter implorabat, difficultates illes ita superavit, ut ejus solerter industriani, regendique peritiam omnes cum admiratione laudaverint. Et cum ea plenumque sit Moderatorum conditio, ut inferiorum querelas omnino vitare vix possint, tamen de Clemente Recio illi etiam perhonorifice, reverenterque loquebantur, quibus, si humana spectetur infirmitas, non deerat color aliquis ad obloquendum. Adeo ab studio partium erat immunis, ut cum vel præmia, vel poenas decerneret, nullam violatæ justitiæ incurriterit suspicionem. Deinceps Collegium Compostellanum, Methymnense, Salmantinumque rexit, in quibus Societatis Juvenes ad majores scientias informabantur. Magnam in his domibus vigilantium adhibuit, ut juventus illa cum observantia legum exacta, quæ religiosæ succus est vitz, strenuam quoque in acquirendis scientiis diligentiam conjungeret, illasque ad altissimos fines dirigeret, divinæ scilicet gloriæ, et salutis hominum

num procurandæ. Magnam itidem prudentiam ostendit in lapsibus, ad quos proclivis est juvenum ætas, vel provide præcavendis, vel iisdem, dum æquum erat, dissimulandis, vel denique cum res exigeret arguendis, et corrigendis. Quod cum efficeret, gravissimum adhibebat verborum genus, cuius pondera nemo non cederet; sed tamen ita grave, ut in eo paterna potius auctoritas, quam censoria severitas appareret.

Dum his diligenter instabat curis, provinciæ Præpositus illum ad se vocavit, ut inter lustranda Collegia consiliis ejus uteretur, sibique ab epistolis inserviret. Hoc munus, quod magna omnium approbatione Clementi delatum est, ita ille sustinuit, ut expectationem quam de se moverat, experientia potius auxerit, quam imminuerit. Re ipsa mirabili benignitate promptum se, atque officiosum omnibus exhibebat, qui ad eum coram, aut per literas recurrebant, ut consilium ab eo peterent, vel solatium quærerent in adversis. Quin etiam, ut a viro accepimus summæ fidei, sua ipse sponte, neque alio, quam sinceræ caritatis actus impulsu, nonnunquam illis suam operam pollicebatur, quos verecunda quædam cunctatio prohibebat, ne illum deprecatorem adhiberent. In alios vero ita beneficia conferebat, ut ipsi potirentur optatis, neque tamen beneficii auctorem agnoscerent: quod eo præstantius est beneficentia genus, quanto minus inter homines usitatum. Cæteras laboriosi sui munericæ partes accuratissime implevit: et cum passim prudentiæ, ac religiosæ integritatis, aliarumque virtutum vestigia impressa relinqueret, aptissimus ubique reputabatur, cui aliquando totius provinciæ cura demandaretur.

In eadem sententia erant, qui de summis provinciæ rebus consultabant: sed iidem timebant vehementer, ne Clemens pro notoria sua modestia munus illud refugeret, adhibita infirmæ valetudinis excusatione. Quanquam enim robustissima corporis constitutione hactenus fuisset, ex assidua tamen laborum contentionе multum ab antiqua deciderat valetudine. Itaque, ut effugium illud, si qua via posset, homini modestissimo præcluderetur, id Consultores effecerunt, quo præclarum de ipso conceptam opinionem indicarunt. Antequam Romanam pro designatione novi Præpositi Provincialis literas mitterent, a Medicis, qui frequentius Clementi aderant, exquisierunt,

runt, possetne ille munus hoc sine detimento suæ valetudinis sustinere? Quod cum illi pro testimonio affirmassent, Consultores suffragia sua simul cum eo testimonio ad Præpositum Generalem remittunt. Præterat eo tempore Societati R. P. Laurentius Riccius, qui Clementem Romæ cognoverat, dum is inter Electores comitiis interfuit, quæ ibidem habita fuerant anno 1755, magnamque de illo jam inde habebat existimationem. Nunc ergo volens, ac libens provinciam Castellanam illi decrevit anno 1761. Atque ut spem omnem declinandi honoris eriperet, eum admonuit, nequid contra tentaret, cum certissime non esset exaudiendus. Clemens itaque, quamvis haud parum repugnante animo, *vehementerque metuentes* (sic ille ad Generalem scripsit) *citius se illo munere conficiendum*, quam illud ipse conficeret, prompte tamen humeros supposuit oneri, et periculum amittendæ salutis pro tuenda obedientia facile contempsit. Dum viribus utcumque valuit, per omnes Sociorum domos religiosam disciplinam, humanarum, divinarumque literarum studia, cæteraque ministeria diligenter promovit, atque omnes paternam ejus solicitudinem cum gudio suspexerunt. Sed antequam triennium sui magistratus absolveret, ita ejus salus concidit, ut in eo portando onere longius progredi non potuerit. Licet enim equitatio-
nis motus, et frequens mutatio cœli multum ei prodesse potuissent, ut Medici existimaverant, ex cæteris tamen itinerum molestiis, ac præsentim ex gravissima negotiorum mole, quæ nunquam ipse perfunctorie tractabat, sed exquisita quadam perficiebat diligentia, nimium quantum debilitatus fuit viribus. Itaque cum invaletudinem suam Præposito Generali fideliter exposuisset, ab eo tandem obtinuit, ut Provinciæ curam deponeret, postquam illam communi omnium plausu per biennium administraverat. Tantam vero lætitiae voluptatem ex abdicatione illa percepit, ut infirmo etiam corpori novus vigor accesserit, et spem multis fecerit, pristinæ restituendum esse firmitati. Et quanquam eos spes illa fefellit, Clemens tamen in longos vitam suam produxit annos; in quibus Socios, si minus publicis obeundis muneribus, consiliis certe, atque exemplis plurimum juvit.

Cæterum, ut a contractis incommodis valetudinis penitus
Lib. II. k

tus convalesceret, vix quidem sperari jam poterat in procellosis illis temporibus, quæ supremum minabantur exitium hominibus Societatis. Hanc ille medullitus diligebat, et cum variis in locis violenter impeteretur, majorem vim, ad humores sui corporis perturbandas, illæ habebant calamitates, quam ad sedandos medicamenta. Apud Hispanos quidem nondum vis eruperat tempestatis, quanquam aliqua subinde nubila consurgebant, quæ illam portendere videbantur. Quidam enim facile movebant lites, quæ multam Societati conflare poterant invidiam. Ipsi etiam Recio, dum Salmanticæ Sociis præerat, satis molestæ lites intentatae fuerunt, in quibus expediendis, ac defendendis tantum studii, ac laboris contulit, ut detrimentum salutis suæ inde provenisse, non temere possit existimari. Sed in Lusitania graviores procellæ insurrexerant, quibus Socii vel in exilium acti, vel in arctissimas destrusi sunt custodias. Cum Vallisoletum hujus rei fama pervernit, Clemens orationem habiturus erat ad Socios, quod fieri solitum erat in pervigiliis Sanctorum aliquot, ut omnes ad eorum sequenda exempla ferventius incitarentur. Accepto ergo tristissimo nuntio, quam jamjam dicturus erat orationem recedit, novamque aliam intra brevissimum tempus composuit. In ea tenerimum suum erga Societatem amorem, et ob recentem cladem dolorem vehementissimum, aliaque eidem argumento convenientissima tam vivide expressit, ut in auditoribus præter admirationem eloquentiæ suæ, dolorem etiam, et compunctionem, cæterosque affectus, quibus ipse tenebatur, efficaciter excitaverit. Non multo post in Gallia etiam variis modis exagitari coeperunt Socii: primumque suis sedibus, deinde regno etiam excedere coacti sunt, multique in Hispaniam configurerunt. Hæc omnia Clementis torquebant animum, nimiumque recuperandis sui corporis viribus adversabantur: siquidem affectiones animi, dum in hac sumus concretione mortali, ut præcipuam habent efficientiam ad roboram valetudinem, sic etiam habent ad infirmandam.

Cum deinde Hispanis quoque Sociis indictum fuit tandem exilium, adeo erat infractis viribus, ut Ministri regii censuerint, sine imminenti vita periculo non posse cum cæteris proficisci. Propterea Vallisoleti menses aliquot mansit in-

ter

ter filios S. Francisci de Paula , quorum solicita caritate recreatus , viam deinde potuit arripere , quamvis ægra semper , ac debili valetudine , ut suis fratribus adjungeretur . Valliso-leto Carthaginem venit longo satis , difficileque itinere , ibique consensa navi , ad Corsicam appulsus est secunda die Novembris anni 1767 . Inter navigandum multa perpessus est adversa , quæ nihil tamen de illius animi constantia detraxerunt . Jam diu erat , cum assiduo tremore manuum laborabat , et accedente modo frequenti jactatione navis , vix ea per se poterat exequi , quæ ad vitæ usus maxime sunt necessaria . Sed inter tot maritimi , vel terrestris itineris incommoda non illum expostulan tem audisses : quin potius dum aliquid adversi occurseret , plerumque festivum aliquod dictum ore renidenti proferebat , quod suam in perferendis malis indicabat alacritatem , et opportunum erat insuper ad spiritualem aliquem fructum in adstantibus ingenerandum . His vero , qui sibi opem aliquam contulissent , prolixas agebat gratias , eorumque beneficentiam humanissimis verbis , atque intimis affectibus rependebat . Quidam ex illis , qui Clementi per id tempus inservierunt , hodieque cum admiratio-ne commemorat et constantem ejus in laboribus tolerantiam , et altissimam animi demissionem , qua perinde aliorum erga se officia excipiebat , quasi penitus immerenti fuissent exhibita . Post decimum mensem iterum a Corsica solvit in Liguriam , indeque per Hetruriam profectus , Bononiam venit , multum ex itinerum molestiis , et suæ valetudinis incommodis afflatus .

Quibus nota esset extrema corporis macies , ad quam in Hispania redactus fuerat , vix sibi persuadere potuissent , Clementem per tot viarum incommoda Bononiam tandem fore adventurum . Sed ille sub extenuato corpore animum gerebat eximum , erectamque mentem in Deum , ad quem in omni adversantium rerum conflictu cum fiducia recurrebat , ut vires sibi sufficeret ad sustinendum . Hæc eadem animi magnitudo plurimum ei contulit , ut gravissimum illud vulnus , quod ex insperata Societatis suppressione recepit , patienter , et æquanimiter ferret . Quamvis enim illam præ oculis amaret suis , divina tamen consilia profunda veneratione reveritus , nullam

interposuit moram , ut ea quæ jubebatur , expleret . Deposita Societatis veste , quam semper digne gestaverat , veterem vivendi morem , quantum sibi licebat , constantissime retinuit . Paulo supra sexennium deinde vixit , affecta semper , imo etiam debiliore processu temporis valetudine , sed animo ad pietatem impigro , atque in omnem exercendæ virtutis occasionem intento . Admonebatur enim ipsa sui corporis imbecillitate , non longe abesse diem , quo mortalem poneret sarcinam , indequæ novos capiebat animos ad mercedis æternæ meritum in dies accumulandum . In pervestigandis , ac detergendas animi maculis , quanquam diligens antehac fuerat , majorem modo conatum adhibuit , seseque totum attenta quadam inquisitione perscrutabatur , nequid uspiam adhæresceret labis , quod divinis posset obtutibus displicere . In extremo vitæ suæ anno frequentius ad se vocabat Sacerdotem illum , quem habebat conscientiæ judicem , cum eoque multa de iis colloquia conserebat , quæ potissimum juvare possunt ad mortem feliciter obeundam . Alias etiam pietatis exercitationes ferventius per id tempus exequebatur : tandemque in his obeundis pene dici potest immortuus . In ipso S. Francisci Xaverii pervigilio , dum Mariani Rosarii preces in Sacello domestico cum domesticis aliquot de more persolvit , repentina corruptus est apoplexi , cuius vi torpente lingua , præcipienti respondere non potuit . Accurrunt statim exterri , et expertem sensu collocant in strato : alius ad Medicum , alius vero properat ad Confessarium . Is in divinæ providentiæ laudem erumpens : *Crediderim , ait , S. Xaverium in solemnibus ejus Clementem nostrum corporeis absolutum vinculis secum velle deducere . Et vero ille quamoptime comparatus est ad migrandum : nam præter alia huic ingredienda via peropportuna , paucis ab hinc diebus totius vita noxas in sacro tribunal expiavit . Quod autem de imminentí ægrotantis obitu dixerat , haud aliter , quam ille suspicabatur , evenit . Nam Clemens in die festo S. Xaverii animam egit anno Domini 1779 , ætatis sue 76 . Corpus ejus decenti funere tumulatum est in æde Sacra S. Nicolai ad viam , quæ S. Felicis appellatur .*

Inter virtutes , quæ Clementis animum exornarunt , divina elucebat fides , cuius vigor dignoscetur ex reverenti ,

ac modesta corporis conformatio[n]e , qua Deum frequenter adoraturus sese sistebat in templo: ex incensa quoque aviditate , qua Sacrificium quotidie peragere desiderabat , vel , si minus id posset , eidem saltem adesse , sacramque participare convivium , quamvis multa interim incommoda ob debiliorem valetudinem devoraret: ex intimo denique affectu , quo in his , quæ ad divinum cultum attinent , sese constanter exercuit . Puerum Jesum , Matrem Virginem , hujusque Sponsum castissimum tenerimo pietatis sensu prosequebatur: in eorumque honorem quotannis vestiebat puerulum , feminam , ac virum pauperes , qui Sacram illam familiam , quoad ejus fieri poterat , exhiberent . Ad solemniores B. Virginis ferias cum ferventiore spiritu celebrandas , nove[m] sibi desumebat dies , in quibus eminentissimas ejus dotes contemplabatur , et orabat prolixius , et alia religiosi cultus opera frequentabat . Inter beatos cœlestis aulæ cives præcipuo venerabatur studio S. Ignatium , ejusque filios , qui Sanctorum adscripti sunt fastis : et eorumdem cultum apud alios etiam promovere curavit . Egregiam quoque operam contulit ad augendam inter Hispanos S. Jacobi Apostoli religionem . Nam quo tempore deliberatum est de instituendo festo Apparitionis S. Jacobi Hispaniarum Patroni , Clemens Compostellano Collegio præterat: ibique rogante Andrea Gondaro , qui Mesochori dignitate in æde principe fungebatur , lectiones , ut ajunt , secundi Nocturni omnino ipse composuit: reliquas Officii partes in eum modum , quem in Breviario Hispanico videre licet , aptissime accomodavit ; hymnis tantummodo exceptis , quos ipse Joachimo Larizio politissimi oris adolescenti , qui philosophicis ibidem vacabat studiis , conscribendos injunxit . Scio equidem , Faustinum Arevalum , quem multis mihi nominibus carum , nonnisi ægre adducor , ut in hac parte corrigam (adeo cultis pariter , et eruditis ejus delector scriptis) totum illud Officium in sua *Hymnodia* adjudicare Larizio . Sed quicumque Faustinum meum in eam opinionem induixerint , ii mihi de hac re tota non bene videntur instructi . Ego certe , post diligentem adhibitam inquisitionem , ut Clementi totum præter hymnos attribuam , testes habeo fide dignissimos : quorum alii sub eodem Clemente vivebant tum Compostellæ , alii de-

in-

inde Clementem ipsum, quod hic ego posui, confirmantem audierunt. Nec verisimile est, negotium adornandi preces Sacerdotales eo tempore datum fuisse Larizio, quo is de ratione illas fundendi nihildum noverat. Correctionem hanc spero non gravate laturum Arevalum, qui olim admonitiones meas pronis auribus, et lenissimo excipiebat animo. Quanquam cum subtili esset, facundoque ingenio, et infatigabili assiduitate, paucis admodum monendus erat, ut per amoeniorum literarum spatia pede curreret inoffenso. Scilicet, quid grandior futurus esset, jam tum manifestis portendebat indiciis. Nec rursus Janerio assentior, qui Clementi nostro in Vita sui fratri Bernardi totum illud officium attribuit, ne hymno quidem excepto, qui Larizio sine dubio debet adscribi.

Valde etiam afficiebatur Clemens erga S. Joannem Chrysostomum, cuius opera libentissime volutabat: nullusque dubito, quin multum inde profecerit ad eximiam christiani Oratoris laudem, quam apud omnes obtinuit, facilius assequendum. Sed idem dolebat saepe, quod Graecorum literas, quas olim summis tantum labris attigerat, non ita didicisset, ut posset Chrysostomum nativo sermone loquentem capere, atque aureos ejus eloquentiae latices sincerius in ipso fonte potare. Denique singulari pietatis affectu reverebatur inclytum illum Sacratioris arcani assertorem, S. Joannem Nepomucenum. Huic in Vallisoletano S. Ignatii templo sumptuosam, et elegantem constituit aram, ad quam in ejus natali die solemnne Sacrum cum panegyri celebrari curavit, dum ipse Vallisoleti permanxit. Exilio deinde lege promulgata, egit cum Paulanis Patribus, apud quos aliquandiu mansisse diximus, ut illius peragendi festi curam ipsi susciperent. Conficiendae autem doti, ex qua fructus redire possent pro sumptibus in posterum efficiendis, quidquid sibi reliquum erat, fere totum libentissime impendit, ut suæ plenius satisfaceret devotioni. Id vero fiduciæ, quam repositam habebat in Deo, luculentum etiam extitit testimonium. Nam quo tempore procul a patriis finibus propulsabatur, non dubitavit his sese adminiculis spoliare, quæ sustentandæ valetudini tot præsertim annis, et incommodis debilitatæ, multi alii omnino sibi necessaria facile credidissent. Sed ille spem suam in eo, cui cura est de om-

nibus, solide collocaverat: ideoque inter labores varios, et ærumnas, quibus frequenter fuit exercitus, in Dei providentia tanquam filius in paterno sinu acquiescebat. Bononia sub extremis vitæ sue annis rogabat eum quidam enixe, ut ab se aliquid pecuniarum acciperet, quod obsequii, et grati animi causa libentissime offerebat. Verum Clemens, quamvis largissimus in agendis gratiis fuerit, multisque benevolentiam illum extulerit, ut aliquid tamen reciperet, adduci nequaquam potuit.

Fiduciam fovebat caritas, qua ferventer ferebatur in Deum, ut ex ejus inter orandum suspiriis, aliisque suavissimæ devotionis indicis apparebat. Huc ille cogitationes suas omnes, consilia, et studia omnia diligenter intendit, ut et ipse intime Deo adhaereret, et alios ad inhærendum ei qua posset cumque viri perduceret. Hinc ardor ille, quo Socios frequenter adhortabatur, ut majorum exempla secuti, et Ignatii non degeneres filii, divinam ubique gloriam solicite promoverent. Hinc etiam conatus impiger, ut in adversis rebus, quibus maxime probatur amor, se totum cum divina voluntate componeret. Nam inter diuturnas corporis infirmitates, et graviores animi molestias, quibus ob assiduas Societatis oppugnaciones affiebatur, suam in Deum mentem convertens identidem, cunctaque ab eo providissime gubernari considerans, sese in illius manus secure, totoque conjiciebat. Neque in his malorum incursibus auditus est homines iugulare, sed omnino divinis intentus ordinationibus, quidquid sibi molestum ex aliorum vel inconsiderantia, vel malitia obveniret, patienti et constanti animo propter Dominum tolerabat. Magna etiam erat Clementis caritas erga proximos, quos doctrina, et consilio plurimum adjuuisse jam vidimus. Socios vero, quibus diu præfuit, paternis visceribus complectebatur, nullumque levamenti genus iisdem indulgere renuebat, quod domesticæ non obsisteret disciplinæ. Hanc ille gravem appellabat crucem, qua Superiori non licet subditos exonerare; licere tamen dilargiri fomenta, quibus ad eam portandam promptiores redundantur, et alacriores. Nunquam ex tenui Collegiorum censu retardabatur, quominus suorum, vel etiam externorum necessitatibus abunde subveniret, quoties id caritas exegisset: viditque

que largitatem suam ex inexhaustis divinæ providentia thesauris, quibus fidebat plurimum, aliquando compensari. Dum Collegium regebat Compostellanum, regionem illam ob nimiam annonæ difficultatem dira fames afflixit, quæ copiosos mendicorum greges compulit intra urbem. Senatus inter alia, quæ ad eam sublevandam calamitatem prudentissime disposuit, Religiosorum familias interrogavit, quid quæque posset ad egenorum sustentationem subministrare. Clemens, auditis Consulitoribus suis, sententiam probavit unius, qui summam duplo majorem quam cæteri designaverat, proindeque mille drachmas donare decrevit. Id in præsentibus rei familiaris angustiis multorum movit admirationem, et Nendorum Archidiaconus, qui tenues Collegii redditus non ignorabat, eam Rectoris liberalitatem ita suspexit, ut donum eidem miserit, quod tanti æstimatum est, quanta erat summa in subsidium pauperum destinata. Nec potuit pius Clementis animus, quiu Dei quoque suspiceret beneficentiam, qui promissam indigentibus, et nondum erogatam stipem tam prompta remuneratione rependit.

De illius in regendo prudentia tam constans erat Sociorum opinio, ut quo tempore delata ei fuit præfectura provinciæ, multi sibi invicem gratularentur, neque timendum esse dicerent, ne per illud triennium legum concideret observantia. Hæc sane viguit ubique, dum ipse provinciam administravit. Quantum vero, et quam suaviter eandem promoveret in Collegiis, quibus præterat Rector, poterit ex his facile conjici, quæ de illo, dum Salmantica regebat Socios, quidam eorum his verbis testificatur. *Per annum, inquit, Salmantica vixi sub Rectore Clemente Recio, cui Socii tum suberant nonaginta. Possunque fidem facere, nunquam me quemquam illorum audisse, qui de Rectore suo conquereretur, quamvis exactam vellet in omnibus disciplinam. Nec vero reprehensiones deerant, et punitiones. Sed cum præclara ejus exempla paterent omnibus; cum ipse frequentes haberet adhortationes, divina semper unctione perfusas; cum etiam correptiones ipsæ justissimæ essent, et paternum spirarent amorem, nullus erat querelis locus, sed omnes ad officium fortiter, et suaviter impellebantur. Quoties aliquem de admisso commonebat errore, paucissimis agebat verbis, eaque ad caritatis, et prudentia leges ita*

ita dimetiebatur, ut nihil ibi neque probrosum esset, neque superfluum. Nonnunquam, verbis omnino parcens, correxit errantes. Socii duo, qui simul procedebant in urbem ad negotia domestica procuranda, tardius aliquando redibant ad prandium. His quodam die sero adventientibus obviam prodidit Clemens in ipso Collegii aditu: nec dubitabant illi, quin suam merito argueret tarditatem. Sed mirati sunt viri prudenter, qui præteriens tacitus, satis habuit ostendere, cunctationem suam sese de industria observasse: quod et ipsis fuit pariter satis, ut promptiores essent in posterum. Ad eum in angustiis, et afflictionibus suis magna cum fiducia confugiebant Socii, nec dubitabant intimos animi recessus illi aperire, quem perinde atque amantissimum Patrem habebant: sentiebantque læti, quantum ipse polleret consilio ad recreandos afflitos, et perturbationem animi dispellendam. Inter alios quidam ad eum venit, magna animi anxietate commotus, eo quod exercendo muneri, quod sibi a Provinciali demandabatur, sese ineptum prorsus agnosceret: longamque rationum seriem exposuit, quibus evincere conabatur, officium illud sibi minime convenire. Clemens, cum omnia patienter, ac sine interpellatione auscultasset, his tantum respondit verbis: *quidquid tibi per obedientiam injunctum fuerit, incunctanter aggredere: ab eaque semper regi te sinas, et procul aberis ab errore.* Hoc auditio responso, fatetur is, qui ab ejus ore illud accepit, omnem statim posuisse solicitudinem, et animos nec opinato recepisse ad ejus muneris executionem, in eoque nunquam tedium, aut difficultatem expertum fuisse, quamvis illo per annos plurimos et in Hispania perfunctus fuerit, et in Italia.

Fortitudinem, et patientiam illius comitem, in aggredientibus conficiendisque rebus arduis, et sustinendis adversis exhibuit. In diuturno Sociorum regimine multa sibi occurrerent necesse erat, cum domesticis, et extraneis, ad quæ superanda non vulgari pectoris robore opus esset. Sed ille nullius canis, vel auctoritate detinebatur, quominus domi vigorem legum, foris autem suorum jura constanti animo tueretur. Archiepiscopus Compostellanus a quodam Clementis subdito, cui vir alias Ecclesiasticus injuriam intulerat atrocem, per spe-

ciem conciliandꝫ inter illos pacis, rem exigebat, quam bono suorum nomini contrariam putabat Clemens, ideoque permittendam sibi esse non censuit. Datis igitur ad Archiepiscopum gravissimis, ac sapientissimis literis, illum a consilio suo resilire coegit. Et cum Pr̄esul ipse perspecta cause justitia, liberam Clementi reliquisset viam, ut controversiam alio pacto dirimendam curaret, adhibiti deinde Judices causam illam Rectori Societatis adjudicarunt. Salmanticꝫ quoque suam perhibere constantiam debuit, ut conatibus multorum obsisteret, qui contra illius Collegii jura satis molesta contentionे insurgebant. Ut ea sarta, tectaque servaret, multa scripsit ipse, quæ, cum esset legum bene peritus, præcipuam inter causidicos laudem promeruerunt. Hos autem labores, et contrac tam inde, ut credebant multi, valetudinis ruinam constanti patientia toleravit. Nec labores tantum, et dolores, sed injurias etiam aliquando sustinuit, quibus repellendis non aliud armorum genus, quam mansuetudinem, et patientiam objectit. Civis erat in urbe quadam, qui apertas cum Societatis hominibus gerebat inimicitias. Is quodam die, nescio quam erumpendi stomachum nactus occasionem, et Socios universe omnes, et nominatim Clementem, qui coram aderat, acrioribus ac pungentibus verbis insectabatur. Clemens, qui suam facile dissimulasset injuriam, pro Societate, cujus honorem peti videbat, nonnulla cum ingenita sibi gravitate, ac moderatione respondit. Sed illius verba vehementius furorem hominis incenderunt, qui procacius in Clementem ipsum patientissime sustinentem invectus est, donec tandem infrendens, ac multa secum obmurmurans, inde discessit. Post dies aliquot, cum indignitatem audaciꝫ suꝫ sedatius considerasset, quemdam amicorum ad Clementem allegavit, ut sibi diem, atque horam præstiteret, in qua posset eum sine arbitris convenire. Cum id obtinuisse, gladium, quo præcinctus erat, ad cubiculi januam in reverentia signum depositus: ad eumque ingressus, multis pœnitentia significationibus suam ipse impudentiam incusavit, veniamque de illatis sibi, Societatiue injuriis suppliciter petiit. Postmodum venit ad eum Clemens in domum suam: relichtoque in procœtone socio, solus cum solo longum sermonem habuit, a quo suffusi uter que

que lacrymis recesserunt, quas ab altero sincerus delicti dolor, ab altero solarium inde perceptum expresserat. Denique vir ille in sux testimonium reconciliationis, ad augendum in ea urbe religiosum S. Ignatii cultum, legatum quoddam instante jam morte testamento reliquit. Tantum apud eum potuit efficere Clementis invicta patientia, qui vel dum petulan-
tius impetebatur, nullam contra illum offensionis vocem emisit.

Animi modestiam, et temperantiam aliis etiam in rebus frequenter manifestavit. Cum gravibus jam afflictabatur incommodis, multam ex colloquiis, et consuetudine Sociorum reportabat consolationem. Si qui autem negligentiores essent in eo caritatis officio exhibendo, nunquam de illis auditus est conqueri. Quinimo si coram ipso aliqui reprehenderentur, tanquam minus urbani, vel parum officii memores, statim eos ob ipsorum occupationes excusabat, vel etiam culpam in se omnem rejiciebat. *Novi enim ego, ajebat, quam fastidiosa sit infirmitas mea, quæ me difficilem reddidit, ac morosum.* Hæc autem, vel cum tranquilliore animo esset, adeo sincere iterabat, ut non alio respicere videretur, quam ut se coram Deo deprimeret, et hominibus. Erga illos, qui sibi frequentius aderant, gratissimum animum et verbis, et operibus demonstrabat, eorumque obsequia tanquam sibi prorsus indebita recipiebat. Quod si nonnunquam ex humorum intemperie insuavius aliquod verbum sibi excidisset, quod illos etiam leviter posset offendere, veniam ab eis protinus, quamvis multo inferiores essent, submisso deprecabatur. Nihil enimvero ab ejus modestissimo ingenio magis erat alienum, quam ut molestiam aliquam aliis inferret. Ipsemet intimo familia-ri suo ingenui testatus est, dum provinciæ gubernaculum tenuit, multo magis sux valetudini obfuisse difficultatem placendi omnibus, et necessitatem aliquibus displicendi, quam cæteram negotiorum molem, quæ suis ubique humeris incumbebat. Et quam obtinuit restorationem virium post depositam provinciæ curam inde sibi credidit advenisse, quod jam liber esset ab odioso illo munere corrigendi. Bononiæ cum ad aras propter salutis incommoda non posset eadem semper hora operari, juvenem ex Superioris præscripto delegit, qui sibi, dum moneretur, in Sacello domestico ministraret. Is

post non multos dies , nescio quid negotiorum prætexens , ab injuncto sibi officio recessit . Siluit humiliter Clemens , nec voluit de inurbano juvenis facto ad Superiorum referre . Sed cum hoc illi aliunde innotuisse , castigatum juvenem ad Clementem redire coegit , atque operam suam constantius in posterum polliceri . Excepit illum Clemens humaniter , atque optimis , ut solebat , consiliis instruxit : sed oblatum sibi servitium admittere recusavit : *Nolo enim , dixit , cuicunque hominum creare molestiam : nec te ab initio eisdem adhibuisem , si nossem , hoc a te gravate suscipi ministerium .* Adeo erat in cavadis aliorum offenditionibus circumspectus !

Denique humanarum despiciuntiam rerum in fidei obseruantia religiosæ professionis ostendit . Quod in Societatem Jesus fuisset adlectus , inter eximia Dei beneficia recensebat : atque ut dignam pro tanto dono gratiam referret , in animum induxit omnes susceptæ disciplinæ partes fideliter adimplere . Et vero a tirocinio ipso ad extremam usque vitam constantem religiosi viri opinionem obtinuit , quam apud omnes mundanarum contemptu rerum , ac divinarum studio sibi conciliavit . Promissam Deo paupertatem , parvo semper contentus , exacte servavit : ac siquid interdum in sui , vel aliorum commodum vellet expendere , peculiarem ad illud rogabat sibi fieri facultatem , amplioribus privilegiis uti non volens , quæ Superiores ei concederant ob perspectam ejus prudentiam , et notam suæ valetudinis infirmitatem . Ad tuendum castimoniz decus , vigilem adhibuit oculorum , et aliorum sensuum custodiā , circumspectam verborum gravitatem , et asperam sui corporis macerationem , vel cum illud multis morbi incommodis satis erat debilitatum . Dum feminas alloqui necesse haberet , verecundo quodam pudore suffusus , ea paucis agebat verbis , quæ præsens negotium exigeret , et , quantum ratio permetteret , inde brevissime discedebat . Ut obedientiæ supremum gradum attingeret , judicium suum imperantibus submittere studuit , etiamsi voluntatis suæ inclinationi contraria præcipierent : quod in provinciæ magistratu suscipiendo maxime ostendit , quo nihil erat humillimo illius animo , atque etiam saluti suæ magis adversum . Neque vero majoribus tantum , sed inferioribus etiam subjiciebatur , eorumque sententiæ in his , quæ agen-

agenda sibi essent, vel omittenda, facile consentiebat. Observarunt id saepe contubernales sui, quorum unus Clementis docilitatem, dum Bononiae viveret, ita describit: *Gratissimum erat, dignumque admiratione spectaculum, videre hominem ea prudentia, iis doctrinae, atque honorum luminibus decoratum, qui perinde ac puer parvulus ad aliorum nutum regi se sineret, et quaecunque sibi innuerentur, prompte perficeret.* Nimirum quod longo religiosæ vitæ usu didicerat, ut alterius potius, quam suo arbitrio viveret, idem facile in cana etiam senectute retinuit. His igitur, aliisque virtutibus exercendis, ad obeundam feliciter mortem, per totius vitæ decursum, maximeque in extremis temporibus diligentí studio se comparavit; eamque proinde pretiosam in conspectu Dei fuisse, possumus sperare.

MARCUS GORDALIZA.



Grajali Legionensis dicētesis oppido natus est Marcus anno salutis nostrae 1717, undevigesima die mensis Aprilis. Societati Jesu inter domesticos Adjutores adscriptus fuit decima septima Novembris die 1736. Dum tirocinium posuit, industriam suam, et judicii maturitatem Superioribus ita probavit, ut hi munus illi commiserint, quod non adeo facile tironibus consueverat demandari. Degebant ea tempestate in Collegio Villagarsiensi P. Joseph Felix de Vargas, vir in provincia Castellana multis conspicuus meritis, qui et illam rexerat, et alia præclara munia dignissime obierat. Idem provinciam Baeticam, Visitator ejusdem a Præposito Generali renuntiatus, lustraverat universam. Sed jam gravis annis, et brachiis impeditus, proptereaque ad plerosque vitæ usus alterius ope indigus, emeritam senectutem in ea tranquilla sede ducebat. Et quanquam ibi duo plerumque Valetudinario præfecti erant, alias pro tironibus infirmis, alias vero pro Sociis antiquioribus constitutus (tirones enim a familiari cum veteranis congressu abstinebant) Marcus tamen, cuius virtuti fidebat Rector, ab eodem designatus est, ut Josepho assidue in omnibus inserviret. Hac ille suscepta cura, senem quotidie induere, et exuere vestibus, cibum illi, potumque ad statas horas præbere, lectum ejus sternere, cubiculum verrere, immunda mundare vasa, cætera, quæ opus illi essent, diligenter exequi. Omnia vero gratiose adeo, et amanter exequebatur, ut ipse Joseph, postquam inde Marcus discesserat, officiosam illius caritatem, aliasque virtutes ejus cum magna ejusdem laude frequenter commemoraret.

Post exactum tirocinii tempus ad ea destinatus fuit ministeria, quæ suæ conditionis hominibus imponebantur. Itaque Coquum, et Promum egit, et rei domesticæ Procuratorem. Quidquid autem sibi fuisse injunctum, id prompte aggre-

grediebatur, et peragebat exacte. Nec rerum agendarum varietate præpediebatur, quominus debitam studio pietatis operam diligenter impenderet. Erat enim promptus in inchoan-dis spiritualibus exercitiis, nec properus in absolvendis: in observantia regularum exactus, erga Sacerdotes obsequiosus, loquendi parcus, laborandi studiosus, et in his quæ ageret, aut loqueretur, gravis sine offensione, modesteque circum-spectus. Cum autem cæteris ejus laudibus maturum etiam iudicium accederet, et expedita esset prædictus mente, domesticis carus erat, magnoque in honore apud exteror habebatur. Id Pintiæ maxime videre licuit, dum ille Ambrosiani Collegii negotia procurabat. Redemptores vectigalium quamdam ibi controversiam adversus religiosorum Ordinum cœtus super solutione portorii excitarunt. Ad eam dirimendam indicta sunt comitia, in quibus post multiplices sessiones cum adhuc sub judice lis esset, omnes Cœnobiorum Præsides duos sibi de-legerunt viros, qui rem cum Publicanorum principe conficerent. Ex iis unus fuit Marcus noster, cuius prudentiæ, et tractandarum rerum peritiæ plurimum confidebant: atque is cum Collega suo litem illam magna cum utriusque partis approbatione composuit.

Post hæc Ludimagistri munus exercuit in urbe Legionensi, ubi assiduitate sua, atque optima ratione instituendi pueros elementis literarum, et fidei, ludum illum celebriorem reddidit, et frequentiorem. Pueros inopes peculiari caritate complectebatur; eisque libros, et chartam, cæteraque ad scribendum instrumenta gratuito subministrabat. His sustinendis sumptibus munificum sibi quæsierat largitorem, virum illum clarissimum Josephum Goyrium, cuius sapientiam, integritatem morum, et sollicitum salutis animarum studium Hispania suspexit: qui, postquam Pontificales infulas instanter oblatas constantius ipse rejecerat, conceptoque voto nunquam eas recipere promiserat, renuntiatus fuit Abbas Canonicorum Regularium in Monasterio Legionensi S. Isidori. Inde ad exco-lendos prædicatione populos frequenter procedebat cum aliquo ex hominibus Societatis, quam diligebat impense; sed maxime cum Bernardo Roderizio, quem ad excursiones sacras Socium sibi dari, relicto Collegii Sanctanderensis re-

gi-

gimine, a Superioribus obtainuerat. Intra urbem et exemplo
vitæ, et consiliorum prudentia, et sacrorum administratione
omnibus mirabiliter proderat, adhibita etiam in pauperes in-
signi misericordia. Hæc bene nota cum esset Marco, non du-
bitavit pientissimum adire vitum, eique miseram multorum
conditionem exponere, qui a frequentandis Scholis summa
parentum egestate prohiberentur. Nec multis agendum sibi
fuit verbis, ut misericordem Abbatis animum infleteret ad
pietatem. Itaque magno civitatis bono effectum est, ut et illius
liberalitate, et Marci industria multi etiam ex mendicu-
lis literas, et christianam doctrinam a teneris edocerentur.

Huic magnæ caritatis, nec modici laboris muneri sedu-
lam Marcus navabat operam, cum jussus est in exilium abi-
re perpetuum. Hic ille non animo concidit, sed proscriptio-
nen illam non tam ut poenam a Rege inflictam, quam ut
opportunitatem a Deo oblatam aspexit, ut ferventius in san-
ctitudinem morum per incrementa virtutum incumberet. Et
vero cum vitam adhuc laudabilem egisset, illam deinde in
exilio egit multo laudabiliorem. Contra sinistros fortunæ ca-
sus patientiam semper inconcussam opposuit. Diurnis renum doloribus, et calculorum morbo vexatus, tanta animi pace,
tantaque constantia cruciatum illum sustinuit, ut, mirantibus
juremerito cæteris, nunquam propterea vel decumberet lecto,
vel quidquam de consuetis religiosæ vitæ oneribus detrectaret.
Exilii calamitatem, ortasque inde molestias innumerabiles adeo
non indignanter tulit, ut gauderet potius frequentes sibi dari
occasions, in quibus posset aliquid pro Domino tolerare.
Laboriosa qualibet, vilioraque ministeria, quæ frequenter
per id tempus etiam emeritis imponebantur, prompto ille sus-
cipiebat animo, et perseveranti exequebatur humilitatis exem-
pli. Calvii per plurimos menses visus est fere quotidie, ad
comparandum fratribus victum, in suburbium, et continen-
tem ei portum descendere: indeque, non sine utili multorum
admiratione, per longum et aspernum clivum in domum
suam onustus gravi sacco reverti. Neque ideo cessabat do-
mi, cum nusquam toto illo tempore reperiretur, nisi aut la-
boriosis intentus officiis, aut orans in templo, aut in cubi-
culo suo pia lectioni deditus, aut precationi.

Con-

Constantem hanc ad incumbendum laboribus diligentiam ex nobiliore quodam studio vincendi seipsum eruebat. Cum enim acriore ingenio esset, atque ad iram, et honoris appetitiam proclivi, conatus omnes ad frangendam naturam adhibere constituit, ut ex iis unus affirmat, quibuscum Marcus arcana sua communicabat. Propterea labores sibi impositos, eosque præsertim, qui cum abjectione aliqua essent conjuncti, libenter exequebatur, ut aviditatem propriæ excellentiæ superaret. Cum ipse aliunde sedulam continendi sui curam haberet, innatamque gravitatem jucunda comitate sermonis temperaret, apud alios in familiari consuetudine lenis, et affabilis habebatur. Nec solum tumorem mentis, et vehementiorem cohibuit indolem, sed corporis etiam contumaciam vario asperitatum genere coercedbat. Qui cum eo in Hispania vixerant, immites verberationes admirabantur, quibus se frequenter cädere solitus erat, et constantiam, qua id supplicii genus nunquam per statos dies intermittebat. In exilio vero, cum propter domorum angustias, et frequentiam contubernialium id sine teste non facile posset efficere, observarunt Socii, qui cum eo Rattensem incoluerunt Villam, in propinquum nemus sæpe discedere, ibique densas inter arbores abditum dira se flagellatione torquere. Frequenter etiam acuminata catena ferrea alterutrum cingebat femur: quod vel in septem ultimis vitæ annis factabat, cum jam sui esset juris, et ab jugo religiosæ disciplinæ solutus. Per idem tempus jejunium observabat omnibus sabbatis, ut etiam in pervigiliis festivitatum Mariæ Virginis, et prima feria sexta cuiuslibet mensis. His autem macerationibus frequenter adjungebat Sacramentorum usum, quo nihil efficientius ad rebelles animi, et corporis motus sub rationis imperio continendos. Itaque, præmissa diligenti peccatorum confessione, aliisque religiosis operibus, sacræ mensæ accumbebat fere omnibus diebus festis, multisque profestis, in quibus anniversaria recurrebat memoria vel Sanctorum Societatis, vel aliorum, quibus singulariter devotus erat, et prima sexta feria quorumcunque mensium in honorem Sanctissimi Cordis Jesu.

Ex divini hujus convivii religiosa frequentatione didicit
Lib. II. m Mar-

Marcus illius mores exprimere, qui in hunc mundum non venit ministrari, sed ministrare. Cum suam in gremium Societatis cooptationem inter singularia Dei dona connumeraret, nullam hujus beneficij auctori majorem gratiam vel habere se posse, vel reddere existimabat, quam ut Socios amaret intime, et iisdem propter Deum fideliter inserviret. Eo caritatis impulsu ductus, non solum demandata sibi ministeria, quibus cunctis in commune proderat, diligenter exequebatur; sed in privatorum etiam obsequium labores quoslibet libenter, et sponte suscipiebat. In terrestri æque, ac maritimo itinere, præsto erat omnibus, qui ejus opera utilarentur: eandemque beneficiandi aliis sedulitatem exhibuit, ubicumque locorum commoraretur. Postquam vero Societas disjecta fuerat, de laudabili juvandi alias studio nihil adeo remisit, ut illud potius auxerit, et intenderit. Inter Hispanos, qui Bononiæ tum morabantur, longævus quidam erat Sacerdos, Jacobus Salgadus nomine. Hic per amplius vinti annos infatigabilem Operarium egerat Compostellæ, ubi et voce, et scriptis libris, et assidua excipiendi confessiones constantia omne hominum genus, sed rudiores præsertim, et abjectiores ad recte vivendi tramitem compellere non cessabat. Raro prodibat domo, nisi ut animorum saluti prospiceret, vel ut interdum sapientissimum illius urbis Pontificem alloqueretur, Bartholomæum Rajoium de Losada, apud quem ob indefessam juvandi homines curam magno in honore habebatur. Ex iis autem laboribus non intermissis, et ex frequenti orandi studio, cui fuit semper multum addictus, gracillimo erat corpore, facieque admodum macilenta. Ejectus deinde in exilium, gravioribus obnoxius fuit incommodis: et postquam Bononiæ venerat, cum tantum hæreret ossibus, aliena quam qui maxime indigebat ope.

Hunc ergo benemerentissimum senem, septuagenario majorem, et morbo laborantem Marcus noster ita fovendum suscepit, ut fidem illi suam obligaverit, non ante ab eo recessurum, quam mors alterutrum occuparet. Per septenii spatium, quo Salgado superfuit vita, in eadem cum illo domo habitavit: ibique omnes diligentissimi servi partes explavit, vel potius amantissimæ matris officia præstitit; cum in

eo

eo sibi non aliam mercedem proponeret , quam ut Deo gratum faceret , et in ægrototo Dei filium respiceret : et cum aliquam a superioris vita laboribus vacationem sibi non immerito potuissest assumere , totum illud tempus in servitium infirmi senis libentissime dedicavit . Nec modo externa illa usurpabat ministeria , quæ ad levamentum corporis , et cubitculi munditiam , et totius œconomiam domus pertinebant , sed alia etiam , quæ ad confovendum ægroti spiritum spectabant . Quotidie illum per aliquod horæ spatium pia lectio ne recreabat , et cum ad aras operari non poterat , Sacerdotem aliquem inquirebat , qui coram ipso in privata ædicula ficeret , eique divinam porrigeret Eucharistiam . Dum Salgadus Sacrificium potuit peragere , solicite curavit Marcus , ne unquam illi consuetum deesses stipendium , quod inter Hispanos , ad sublevandam ægrotantis senis inopiam , non difficulter inveniebat . Fortasse etiam illud a Bononiensibus nonnunquam accepit : quod , licet mihi certo non constet , facile tamen concesserim evenisse . Sic enim scirpiculum evellam cuidam , qui de Marco mecum aliquando colloquens , multis illum laudibus cumulabat . Sed hoc in ejus correctissimis moribus excipiebat , quod interdum ab ignoto aliquo , qui per errorem Sacerdotem illum existimabat (incedebat enim , ut alii quidam ejusdem classis , approbante Cardinali Malvetio , induitus habitu clericali) stipem pro celebranda Missa ultro sibi oblatam accepisset . Id quidem , ab alia omni adjunctorum consideratione sejunctum , criminatione dignum esse non inficiabor . Verum qui nosset hinc honestissimos Gordalizæ mores , inde solicitam ejus curam , ut Salgadum omni officiorum genere sublevaret (hanc ignorabat , credo , qui Marcus me coram reprehendebat) nihil in eo vituperandum esse censeret , quod oblatos sibi numos acciperet , ut eos Salgado traderet Sacrificium celebraturo ; facta interim sponsione donanti , voluntatem suam omnino fore adimplendam .

Dum Marcus levandas Salgadi valetudini diu , noctuque sedulus incumbebat , sui nihilominus animi spiritualibus reficiendi exercitiis omnem arripiebat occasionem , unusque duarum referebat sororum imaginem : Marthæ , quæ Domino solicita ministrabat , et Mariæ , quæ ad illius pedes accidens , dulcis-

simis ejus verbis pacifice recreabatur. Primo mane mentali vacabat orationi , divinoque intererat Sacrificio . Deinde , curam ægroti cum religionis actibus semper alternans , Sanctorum legebat vitas , aliosque pios libros , quorum bonam habebat copiam . Quotidie preces illas fundebat attente , quas , vel a Bernardino de Bustis , ut Colinus autumat , vel a quovis alio , pio certe ac erudito auctore compositas , Ven. Frater Alphonsus Rodriguez recitabat in honorem immaculati conceptus Mariae Virginis : easque idem Alphonsus , hortante , ac jubente Dei Matre purissima , apud alios studiosissime promovit . Dum vivebat in Hispania Marcus , Officium parvum , ut loquimur , recitabat : proindeque idem fecisse in exilio , verisimile existimo ; quanquam nihil de hoc certi possum asserere . Illa per singulos dies gaudia recolebat , doloribus intermixta , quibus Deus fidelissimi nutricii sui constantiam alternis roborare voluit , et experiri . Ante prandium alia duo auscultabat Sacra , suasque actiones omnes et cogitationes attenta scrutabatur indagine , ut siquid minus rectum invenisset , prompta corrigeret poenitentia : idemque ante nocturnam quietem agebat . Post prandium redibat in templum , in quo nudo semper capite perseverabat , quamvis longum ibi maneret spatium ; donec illius jussu , qui ejus regebat animum , pileolum debuit imponere . Redeuntibus per anni cursum magnæ Matris celebrioribus festis , preces illi novein dierum offerebat , ut etiam Sanctis Ignatio , et Xaverio , atque aliis e beatorum choro , inter quos S. Antonio Patavino valde singulari addictus erat devotione .

His omnibus si frequens ejus recursus ad poenitentiæ tribunal , et Eucharistiae mensam , atque alia , quæ cunctis fere sunt communia , superaddantur ; facile colligi poterit , Marcum per eos septem annos solidos duxisse dies admirabili religionis , et caritatis varietate intertextos . Et tamen parum habebat ille , si totos fere dies vel in templo , vel domi sua orando , et inserviendo Salgado insumeret , nisi etiam per urbem quandoque incedens , misericordiam in pauperes exercebat . Ut factu pulcherrimum erat , sic erit auditu non injucundum , quod hic vir , in exilii constitutus angustiis , ad succurrendum egenis fecit . Modicum peculium suum in ternas di-

visit

visit partes: primam moderato suo victui assignavit, alteram in expensas sui funeris reponebat, tertiam pauperibus erogabat. Postquam vero sufficientem exequiarum sumptibus cumulasse summam existimavit, quidquid ex tenui suo victu supererat, totum in subsidium egenorum convertit. Quantam autem constantiam in his servaret misericordiae operibus exequendis, ab hoc uno illius facto discere licebit cuivis. Inter numerosam mendicorum turbam, qui Bononiae vias obsident, quidam naturae virtus, reptando magis, quam incedendo, per terram trahebat corpus. Miserandam hominis conditionem dolebat Marcus, quam ut pro suis facultatibus deliniret, quidam ei largiebatur quotidie. Sed cum Bononia valetudinis causa discessurus esset, tantam pecuniae summam cuidam amicorum reliquit, quanta satis erat, ut mendico illi per anni spatium consuetam stipem in dies singulos erogaret. Ita misericordiam in pauperes non suis tantum, sed alterius etiam manibus exercebat.

Marci vitam tandem sospitem servasse videtur Deus, quando necesse fuit, ut ægeranti, senioque confecto Salgado de-serviret. Hic octogenario major Bononia obiit anno millesimo septingentesimo septuagesimo nono: et gratissimo erga Marcum discessit animo, qui fidem illi datam ad mortem usque, imo etiam usque ad sepulcrum plene servavit. Sed cum illum decenti funere composuisset in tumulo, non diu post coepit ipse debilitari viribus, sensim macrescere, tandemque sanguinem sputare. Ideo, suadente Medico, profectus est Centum, cuius urbis cœlum eo morbi genere laborantibus Bononiensi benignius existimatur. Nec tamen ullum valetudinis commodum inde illi accessit. Duos paulo amplius menses in ea urbe commoratus, supremum diem obiit ibidem VI Kal. Octobres millesimi septingentesimi octogesimi primi, expletis vitæ annis sexaginta quatuor. Qui morienti Marco astitit, literas ad quemdam Bononiam misit, quibus et mortis ejus genus, et alia quædam refert, quæ ad confirmandam virtutis ejus opinionem non parum faciunt. Earum hic exemplum subjicio, ut brevem hanc de Marci rebus narrationem absolvam. Noveram olim, inquit, in urbe Legionensi Marcum, in quo alii semper humilitatis, obedientiae, assiduitatis ad munus

sum,

suum, et ad omnia religionis opera, ceterarumque virtutum exempla non sine incitatione ad simile studium inspiciebat. In his vero mensibus, quos modo nobiscum vixit, magnam cum divina voluntate consensionem exhibuit, singularemque patientiam inter molestias sui morbi, quippe profectas ab ordinatione Dei, a qua ne transversum quidem unguem discedere optabat. Inde secum ipse pugnabat strenue, ut naturæ impetum frangeret, et a Confessarii nutibus ita pendebat, ut puerulus ab ore parentis sue. Dum ei per morbum licuit multas mane ac vespere ducebat horas in templo: cum jam foras ire non potuit, Eucharistiam e domo sua conversus in templum adorabat. Diligentem adhibebat præparationem ad percipienda sacra mysteria, qua religiose, et cum fructu suscipiebat. Hac autem, ut alia pietatis opera, eo dirigebat, ut se compararet ad mortem, quam ferebat ante oculos semper, et attenta præmeditatione versabat. Omnia sua minutissime disposita: et se totum in Dei manus plene conjecterat, cum, illucescente vigesima sexta Septembris, gravis eum invaserit insultus. Adfui ego propere, et confessionem ejus excepti. Alii statim ad Parochum, ut Viaticum, et Unctionem extremam afferret. Sed antequam ille adasset, Marcus magna animi pace, magnisque incensus desideriis adherendi Deo, quem sub aliena specie recipere optabat, ingeminatis actibus fidei, spei, et curitatis, ex invocata S. Ignatii ope; inter suavissima cum Jesu, et Maria colloquia animam Deo tradidit, ingenti etiam inter nos tam amabilis viri relicto desiderio. Centensium quoque civium in morte Marci dolor innotuit, quorum aliqui funeri adesse voluerunt. Inter eos Sacerdos quidam mibi testatus est, ab iis, qui circumspectos, et religiosos defuncti mores observaverant, eximiam ejus probitatem fuisse laudatam, atque adeo virum virtute præstantem ab eis fuisse reputatum.

JOANNES THOMAS A S. CHRISTOPHORO.



Inter illos, qui per decursum labentis seculi Societati nomen suum dederant in Castellana provincia, Joannes Thomas apud omnes, qui cum eo viverent, severus disciplinæ custos, spiritualibus addiectus rebus, humilis, et studio macerandi corporis, continendique animi deditus semper audivit. Propterea et mihi, et aliis visus est dignus, cui suus in hoc insignium Virorum catalogo jure merito tribuatur locus. Patriam habuit Vianam, in regno Navarræ nobilem urbem, et in vitales emissus est auras XII Kal. Januarii millesimi septingentesimi sexti. Ad Societatem id ætatis accessit, quæ bene apta erat ad ponderanda status onera, quem suscipiebat, et ad confoverda virtutum semina, quæ illius animo mandanda erant in tricinio. Huic initium fecit anno ejusdem seculi vigesimo tertio pridie Idus Februarii, cum vitæ annum septimum decimum attingebat. Sacram illam solitudinem libenter amplexus, eam studiose coluit, totusque fuit in jaciendis solidarum virtutum fundamentis, quas deinceps per omnes vitæ gradus constanter exercuit.

Ad literarum studia progressus, ut ea feliciter et ex sententia procederent, Patronum sibi delegit Sanctum Aloysium, cui præcipuam, neque intermissam unquam professus est devotionem. Sub auspiciis ejus ad scientias cum virtutibus copulandas animum sic adjecit, nihil ut illis detractum vellet, sed potiores his partes daret, atque ita mentem humanis excoleret disciplinis, ut voluntatis culturam per sapientiæ cælestis studium pluris faciendam sibi esse statueret. Existimabat enim verissime, in studiis se maxime progressurum, si rectissimum in eis finem sibi præfigeret, et nihil propterea de religiosa perfectione remitteret. Hinc ad exercitationes omnes spiritus erat promptissimus, et in iisdem adimplendis accuratissimus. Quotidiano meditationis horariæ penso non pauca

ca ex abundanti superaddebat spatiis, quones a majoribus sibi esset permisum. Hoc autem orationis studium, quod familiare sibi fecerat ab initio, processu temporis ita retinuit, ut septuaginta jam annos natus, et eo amplius, atque in aliena domo incolens, multo mane surgeret ad orandum: ab ea que laudabili consuetudine, dum spiritum duxit, nunquam cessavit. Ex frequenti vero divinatum rerum usu ad humanae percipiendas scientias nihil adeo fuit retardatus, ut magnum potius inde adjumentum traheret, ad easdem facilius assequendas. Etenim, cum tranquillo animo, et ab inutilibus curis libero ad studendum accederet, altius in illius mente insidebant species rerum, quas pertractabat, eademque firmius hærebant infixæ. Deinde, cum otio, ac superfluis collocationibus bellum indixisset perpetuum, longiora sibi tempora suppeterbant, quæ literariis impenderet commentationibus. Magistris denique, ac Superioribus dicto audiens in omnibus, nusquam ab eorum præscripto discedebat, eosque sedulo volvebat libros, quos illi designassent: unde, rejectis curiosis, aut qui certe præsentis non essent temporis, ad ea, quæ tunc instabant, tota animi contentione ferebatur. His adjutus præsidiis, et ingenio præditus perspicaci, primos inter condiscipulos honores tulit, permensisque gymnasiorum spatis, in facultatibus, ad quas admotus fuerat, vere Magister evasit.

Quanquam doctrinæ copiam, quam Joannes ab scholis reportaverat, ob insignem ejus modestiam non omnes facile agnoscerent; Superiores tamen, qui et vim ingenii, et apparatus acquisitæ scientiæ optime noverant, postquam tertium probatus fuerat in spiritu, illum designarunt, ut juventuti Societatis Philosophiam primum, deinde Theologiam, postremo Scripturam sacram explicaret. Et cum in diuturno magisterii tempore judicij rectitudinem, studium servandarum legum, nec vulgare prudentiæ specimen exhibuisset, ætate jam maturus, ad præcipuos assumptus est provinciæ Castellanæ magistratus. In duplice hoc munere Rectoris, et Magistri majorem vitæ suæ partem exegit: in eisque præclara reliquit exempla, quæ hic breviter ad imitandum proponimus, quibus ea perlegere placitum fuerit. Ac primum in docendi munere, cum Magistrorum regulas attente inspexisset, eam sequi viam statuit,

tuit, quam Societas a Professoribus teneri suis vehementer optabat: ut scilicet auditores ad obsequium et amorem Dei, tum in lectionibus, cum se occasio ferret, tum extra illas ita moverent, ut non minus, quam in scientiis, in probitate vita proficerent. His optimi Doctoris legibus semper intentus, omnem ubique adhibebat Joannes diligentiam, ut discipulis prodesset suis non modo dictandis, et explicandis, repetendisque facultatibus, quas tradebat, sed illorum etiam spirituali bono consulens perquam studiose. Id vero et quotidiani moderatissimæ vitæ exemplis, et frequentibus sermonibus efficiebat, quibus modo cunctos in aula, modo singulos privatim alloquens, ad virtutum studium adhortabatur, quo placere Deo quemque oporteret. Varios item dispertiebat libros inter discipulos externos, qui opportuni erant ad pie-tatis gustum in eis excitandum, vel promovendum. Cum domesticis autem singulari, nec vana quidem usus est industria, ut eis lamentabilem multorum conditionem exponeret, qui apud remotas Indorum gentes, propter Evangelicarum operarum inopiam, Dei misera ignoratione laborant. Exarserat olim ipse vehementi desiderio in Americam, aut in Asiam trajiciendi, ut Christum infidelibus populis annuntiaret. Sed cum transmissionem illam Superiores ei justis de causis denegassent, quod efficere ipse per se non potuit, per alios compensare constituit. In eaque procuranda compensatione felix adeo fuit, et industrius, ut ex adolescentibus Societatis, qui Compostellæ illum philosophica traden-tem audierant, octo ad provincias ultramarinas enavigaverint, ubi laudabiliter per annos plurimos laborantes, Magistri sui votis plenissime responderunt. In his erat Dominicus Muriel, qui Faventia, dum hæc scribimus, laboribus semper utilibus, et strenuis, heroicisque virtutibus exercitæ vitæ gloriosum finem imposuit, accurrentibus ad ejus tumulum multis, qui mortualis vestis laciniis, et capillos eidem præcide-runt. Non deerit, credo, qui præclara Dominici gesta colligat, ut quæ ille pro Dei gloria, proque salute mortalium fecit, ac pertulit, ad commune multorum exemplum evulgentur.

Dum Joannis discipuli per Americam, et Asiam erudi-endis in fide populis discurrebant, ipse interim in Europa

strenuam conferebat operam, ut saluti prospiceret animarum. Et quanquam omne hominum genus pro virili parte adjuvabat, tamen in trahendis ad Christum pueris, et adolescentibus conatum quemdam adhibuit singularem. Compostellæ, Salmanticæ, aliquisque in urbibus non paucos adolescentium ad retinendam, vel ineundam optimæ vitæ rationem induxit. Vallisoleti vero, ubi diutius magisterium exercuit, et ubi frequentior studentium concursus suam exacuebat industriam, multos eorum ad virtutem impensis prosequendam incitavit. Erecta pridem fuerat in Ambrosiano Collegio, ubi Joannes Theologiam, deindeque Sacros libros per aliquot annos exposuit, Scholasticorum Congregatio sub patrocinio S. Aloysii. Hanc ille, cum per id tempus eidem præfектus fuisse, ita diligenter administravit, ut incrementum addiderit, et splendorem. In primis diploma Pontificium, quod vetustate corrosum erat, fidelissime transcribendum curavit, ut et concessa privilegia, et injuncta pietatis opera facilius possent omnes agnoscere. Deinde juvenes, qui Congregationi nomen jam dederant, et quos ipse magno numero eidem fecit adscribi, frequenti exhortatione admonebat, ut cum diligentí literarum studio vitæ quoque conjungerent innocentiam. Eam porro sub auspiciis Angelici Patroni facile conservatueros, si, declinata pravorum comitum consuetudine, adhærerent bene moratis, vestigiaque prementes intemerati juvenis Aloysii, frequenter ac devote divina perciperent Sacra menta. Ad ea ex Sodalitii legibus semel saltem in mense debebant omnes accedere: curabatque Joannes perdiligerent, ne quis in condictam abesset diem, et ut cuncti religiose convivio sacro interessent, quod in his diebus nitidiore cultu instruebatur. Præterea in Dominica Septuagesimæ, cum frequentissimus erat auditorum numerus, S. Aloysii festum solemní ritu celebrabatur, adhibitis symphoniacis, habitaque in ejus laudem oratione sacra, quam vel ipse dicebat Joannes, vel Magister alius, vel externorum aliquis Sacerdotum, qui gymnasium frequentaverant Ambrosianum. Denique sub finem jejunii maximi per dies octo exercebat Joannes usitatis S. Ignatii meditationibus quotquot de studentium numero, ex alienis quoque gymnasiis, ad eas vellent accedere. Conveniebant

bant autem multi in Sacellum templo contiguum , quod Deiparæ sine labe conceptæ dicatum erat , sub ejusque denominatio-
ne instituta etiam ibi fuerat altera Congregatio pro Sena-
toribus , aliisque civibus , cui Joannes similiter præfuit . In eo
Sacello , quod bene spatisum erat , quinque ante meridiem
horas , ac fere totidem post meridiem perseverabant omnes ,
partim audiendis meditationum argumentis , ad quæ propo-
nenda peculiari Joannes pollebat gratia ; partim iisdem men-
te agitandis ; partim excipiendis instructionibus , et hortatio-
nibus ; partim denique auscultando anagnoste , qui librum a-
liquem temporis congruentem ex editiore loco legebat . Cum
domum dimittebantur , commonebat eos Joannes , ne super-
fluis curis intenderent , nedum vanis indulgerent fabulationi-
bus ; sed eorum potius , quæ in Asceterio perceperant , me-
moriam taciti refricarent : domi autem , vel in templo suam
quisque conscientiam accurate discuterent , ut eam deinde sa-
lutari confessione lavarent , et melioris vitæ ordirentur initia .

His adeo prudentibus consiliis , et assidua illa novissimo-
rum hominis tractatione , gratissima quædam pietatis æmula-
tio vigebat in omnibus , plerique mores emendabant , non-
nullique inde ad claustra religiosa transferebantur . Duos ego
novi adolescentes , ambo florentes ætate , ingenio præstan-
tes ambo , et opibus abundantes , qui per scientiam civilis
Juris , cui tum simul degentes operam dabant , haud exiguum
spem honorum alebant in pectore . Hi , cum audissent de ex-
ercitiis spiritualibus , quibus Joannes Thomas studiosos juve-
nes erat informaturus , ad eum sic accedere constituerunt , ut
inde quemdam alterum Thomam adirent , qui prope Divi Am-
brosii habitabat , et saltandi ad numerum Magister percelebris
habebatur . Tedium videlicet illius sacri recessus harmonicis
modis , et choreis relevare intendebant . Hac mente Sacellum
primo die subierunt . Sed cum Joannem divina suggesterent
audissent , et , quæ ille suggesserat , tacitis ipsi mentibus re-
cogitassen , facile in longe aliam adiere sententiam . Inde e-
nim digressi nihil jam de saltationibus cogitarunt : rectaque
progressi domum , fenestram illam aperire noluerunt , unde
frequenter cum vicinis colloquia miscere solebant . Vix etiam
inter se loquebantur ; sed in conclavi tacite deambulantes , in

superioris vita^z actus inquirebant, ac de ratione illam melius instituendi serio recogitabant. Tam alte, quæ a Joanne audierant monita, in eorum animos descenderunt. Tandem intra paucos dies, cum nondum alter alteri mentem suam aperte manifestasset, uterque Societati nomen dare constituit. Communicatis deinde consiliis, Joannem adierunt: factoque periculo convenienti, post non multos dies, admirante Academia, in qua celebratissimum erat utriusque nomen, in tirocinium Villagarsiense pertransierunt. Neque hunc solum fructum, sed alios insuper ex cultura nostri Joannis tum Castellana, tum etiam Americanæ ceperunt provinciæ. Nam quod initio Compostellæ fecerat, alibi perrexit efficere, ut earum novi orbis nationum causam ageret, quæ operariorum defectu in tenebris infidelitatis jacent immersæ. Si quos autem tanto i-doneos operi, ad illudque a Deo instinctos invenisset, eos et consilio, et omni ope adjuvabat, ut conata perfec-tius, ac facilius exequerentur. Pompelone cuidam adolescenti, qui animum ad eam Indicam expeditionem induxerat, legendam dedit (eidemque, ut aliis deinde traderet, commen-davit) Vitam Francisci de Ugalde Societ. Jesu, qui paucis ante annis in Paraquaria, dum Mataguaios in mysteriis fidei summo studio erudiebat, perfide ab iisdem fuerat interemptus. Hoc modo qui profectionem illam meditabantur, instructos volebat Joannes quanta eos manerent pericula, quantoque in-digerent præsidio virtutum, propositis laudati Francisci exem-plis, qui priusquam ad barbaros mitteretur, jam eo proces-serat sanctitatis, ut fundendi pro Deo sanguinis arderet de-siderio.

Non solos juvenes, sed viros etiam, et feminas ad Christianæ vita^z tramites sive publicis, sive privatis sermonibus in-citabat. In illa publice dicendi exercitatione tam longe abe-rat, ut inanes flosculos, et futilis quasdam sententiolas con-sectaretur, ut neque illos probaret omnino, qui grave cæ-te-roqui sequuntur dictionis genus; sed longos in adornanda oratione dies insumunt, deindeque totidem in eadem ad ver-bum memorizæ commendanda. Censebat enim, satius plerum-que fore, si Oratores sacri præcipua tantum orationis capi-ta mandarent scriptis, illaque secum diu, multumque medi-ta-

tarentur: sic enimvero non difficile secutura verba, meliusque auditorum animis consultum iri, cum minimo inanis auctoritate gloriae periculo. Ipse certe per eam annuntiandi Evangelii viam incedens, quam S. Franciscus Borgia in libro, quem de hoc argomento composuit, plurimum etiam Oratori Christiano commendavit, cum magno compendio temporis, magnum itidem operæ suæ pretium invenit. Nam illius verba, cum ex ferventi meditationis officina prodirent, facilius auditorum animos incendebant, et quæ proferebat ipse cum intimo sensu, altius in aliorum mentibus infigebantur. Eundem tenuit dicendi morem in exhortationibus ad Socios, quas alibi sæpe, sed Vallisoleti frequentius ad illos habuit, qui tertiam ibi probationem, instruente Joanne, peragebant. Ex iis hodie quoque aliqui commemorant, in ejusmodi conciunculis quam apposite ad conditionem audientium loquuntur; quam etiam ex animo, quæcunque loquebatur, exponeret, ut firmissime illorum cordibus adhaererent. Appetente jam tempore, quo noviores illi Sacerdotes ad obeunda ministeria Societatis in varia prefecturi erant provinciæ domicilia, peculiari eos cura edocebat, quid domi, quid foris, quid in privatis, quid item in publicis officiis præstandum sibi esset, ut dignos Ignatii filios sese comprobarent. Clemens ille Recius, cuius virtutum specimen aliquod paulo ante dedimus, cum esset ejusdem Collegii Rector, singularem Joannis dexteritatem, indefessamque curam ab eo adhibitam in informandis illis Sacerdotibus ad mores Societatis, valde commendabat. Alii constantiam ejus demirabantur, qua nullum officii sui pondus detrectabat, neque illud vicarii cuiusdam humeris, ut nonnulli fecerant, imponebat. Quamvis multa eum urgerent negotia, tamen commissos sibi Socios in Villam, quæ longe aberat, aut alio quolibet, deambulandi causa comitabatur, ut eorum ubique consuleret utilitati. Multum erga ministerium explicandi pueris, et ignarisi rudimenta fidei afficiebatur ipse, aliosque similiter affici conabatur: et quos videret huic operi maxime deditos, nulla in re deerat, ut munus utilissimum promoveret. Francisco Gonzalio, qui Pompelone, dum Theologiam ibi profitebatur, festis procedebat diebus stipatus puerorum choro, ad quorum voces suavissime pia-

carmina decantantium, multi alii accedebant pueri, et grandiores natu; deindeque in platea consistens, explanationem insituebat Christianæ doctrinæ; liberaliter Joannes obtulit quidquid opus esset munusculis comparandis, quibus incitarentur pueri ad majorem divinæ legis notitiam acquirendam. Demum, ut ubique prodesset hominibus, ea plerumque in familiari collocutione tractabat, quæ ad animi profectum spectarent, vel quæ certe essent cum aliqua utilitate conjuncta. Alienam vero famam se coram imminui, ferre non poterat: aut enim sermonem alio sagaciter detorquebat, aut oblocutorem graviter sui commonebat officii. Nullo unquam metu, nullius respectu continebatur, quominus pro virtute, dum veniret hæc in discrimen, acerrime decertaret.

In diuturna Collegiorum administratione (Legionense, Palentinum, et Pompelonense, deinde Vallisoletana duo, Ambrosianum, atque Ignatianum gubernavit) cum vigilanti disciplinæ cura prudentiam, caritatem, et largitatem in suos, in se autem austерum, et submissum agendi modum, in Deum ac divina fiduciam, et pietatem exhibuit. Errata illa candide, atque aperte corripiebat, quæ facilius propterea negligi consuerunt, quod leviora esse credantur, ac nisi sit, qui aberrantem commonefaciat, sensim ad graviora perducunt. Eratque acutissima mentis acie ad prævidendum, quo tandem defectus quidam erumperent, nisi mature præciderentur. Ali quando juvenem Sacerdotem de commissis ab eo erroribus coarguebat: et cum in illo quædam notasset, quæ aliis non magni momenti esse viderentur, reprehensionem suam hisce verbis absolvit: *Vehementer timeo, ne tandem a Societate deficias.* Longe tunc ab infortunio illo aberat juvenis, qui perfectis probationibus omnibus, ad professionem quarti voti suo deinde tempore fuit admissus. In ipso professionis die cuidam amico, quem denuntiati sibi a Joanne periculi concium effecerat, exuberantem animi lætitiam aperuit, quod indissolubili vinculo Societati jam esset adstrictus. Verumtamen Joannes in ea denuntiatione, contra quam voluisse, vidit tandem se fuisse divinum. Nam Sacerdos ille post biennium deportatus in Corsicam, inde fugam inter primos arripuit, deindeque a Præposito Societatis, quantum quidem fieri poterat,

rat, dimissionem suam obtinuit. Alium quemdam adolescentem, qui segnius ad orandum mane Deum surgebat, hoc modo corripuit. Obviam illi factus, dum in Sacellum ibat, quo cæteri convenerant ad orationem, paucis admodum, sed efficacibus adeo verbis negligentiam ejus coarguit, ut ei lacrymas elicuerit. Quæ quidem lacrymæ non cito exaruerunt, neque genas tantum, sed animum quoque ad ferendum emendationis fructum irrigarunt. Unde optimus ille adolescens erga Joannem semper ob acceptas ab eo admonitiones gratissimum gessit animum, quem etiam num retinere, datis ad me literis, in hunc modum testificatur: *Ita me Joannes adjuvet ab excelsa cœlorum sede, in qua regnare ipsum spero, ut me, dum viventer, suaviter ac benigne correxit.*

Correctionem privatum mallebat adhibere, quam publice: neque poenam solitus erat imponere, sed plerumque delinquentem adhortabatur, ut a se ipse illam exigeret, quam suæ culpæ censeret accomodatam. Obtenta vero emendatione, nihil de præteritis cogitabat, nedum cum delinquentibus loqueretur: omnesque securi erant subditi, nihil sibi exprobrandum a Joanne, qui commissos olim defectus, et emendatione purgatos, perinde inviolabili premebat silentio, quasi de illis ad poenitentie tribunal cognovisset. Quod si publica essent delicta, ea publice quoque reprehendere non cunctabatur, ne contagione serperent, et imitatione nocerent. In Collegio, cui tum ipse præerat, literarium habebatur certamen, in quo aderant discipuli exteri, qui Collegii a libant Scholas, eorumque Magistri. Ex iis unus propositam thesim, desumpta ab Eximio Doctore argumentatione, acriter impugnabat. Sed æstu disputationis abreptus, præscriptos modestiæ fines excessit, et quæstionis Præsidem triumphantis in morem, nec sine aliorum fastidio perurgebat. Non tulit Joannes arrogantiam illam, quam ut statim reprimeret, exultantem oppugnatorem coram omnibus ita compescuit: *Qui Doctoris Eximiæ doctrinam tam bene didicisti, fac etiam, ut eximiæ Suarii modestiam inter argumentandum imiteris.* Ad hæc Magister ille sese continuavit: et quidam ex juvenibus, qui intererant concertationi, æque sibi placuisse affirmabat Rectoris liberam coercionem, et promptam submissionem Magistri: seque inde permotum,

ut

ut præclare de Societate sentiret, in qua potior haberetur modestia ratio, quem scientia. Paucis post hæc diebus Joannes Magistrum illum, ut palam ostenderet, nullum adversus eum amarioris animi vestigium retinere, secum deambulandi gratia per vias urbis deduxit: quod Magistro quidem honorificum accidit, iis autem, qui testes reprehensionis fuerant, valde fuit admirandum. Sic extrema illa duo, quæ non facile in eadem sede morantur, severitatem, ac lenitatem amico inter se foedere noverat copulare.

Cum esset in corrigendis delinquentibus impiger, et imperterritus, non erat tamen delictorum curiosus investigator. Quo tempore S. Ambrosii Collegium administravit, vix unquam e cubiculo pedem extulit, nisi ut Deum in sacra æde adoraret, vel communibus functionibus interesset, vel necessarium aliquod negotium expediret. Neque aliam fere deambulationem ad relaxandum animum usurpabat, præterquam in ambulacro, quod ante cubiculum suum usque ad templi murum protendebatur. In eo loco (quem, ut ipse frequenter commemorabat, suis gressibus, et iteratis ad Eucharistiam adorandam itionibus consecraverat magnus ille altissimæ perfectionis Magister simul, et exemplar Ven. Ludovicus a Ponte) nonnunquam Joannes spatiabatur, precibus, ut credebant omnes, aut meditationibus sacris intentus. Cæterum in superius Collegii deambulacrum, in quo juvenes habitabant, fere nunquam ascendit, ut hi hodie confirmant, qui tunc illius suberant potestati. Iidem ab ipso Joanne audisse testantur, eos neutiquam sibi gratum efficere, qui minimos quosque defectus passim ad se deferrent; eum magis timendum esset, ne inde caritas detrimentum caperet, quam ut ipse sufficienti rerum cognitione careret. In ea quippe sententia erat, religiosæ familiz Moderatorem, nisi velit domi suæ tanquam in aliena domo habitare, posse non difficulter per se ipsum agnoscere quidquid rectæ suorum gubernationi conveniat: nec vero, dum quidquam alicujus momenti non eveniret, opertore frequenter uti delationum subsidio, quæ subditorum animos inter ipsos, et a Superiore quoque poterant abalienare. Ipse certe, dum opus esset, rem quamlibet caute, sed diligenter indagabat, nec minus efficaciter corrigebat.

Illud

Illud etiam Præpositi prudentis habuit insigne, ut inferioribus administris liberam in officiis suis agendi relinquenter potestatem. Exigebat utique ab eis, ut commissa sibi munera fideliter adimplerent, et proprias officii cujusque regulas observarent, in quibus descriptam habebant singuli normam rectissimam operandi. Sed quominus in re quaque gerenda rationis suæ ductum sequerentur, et consilium pro loco, ac tempore caperent, non impediebat. Ex hac autem libertate, quam negotiorum curatoribus permittebat, non unam capiebat utilitatem. Nam et inferiorum animos sibi conciliabat, quorum solertia, ac virtuti fidere manifeste ostendebat; et ipsorum exacuebat industriam, cum eos nare sineret sine cortice, suisque luminibus uti; et tandem meliori rerum consulebat expeditioni, quæ plerumque aptius, ac diligentius pertractabantur. Siquem vero nihilominus invenisset desidia, vel alio quovis vitio in administratione sui muneric laborantem, promptum, atque opportunum remedium adhibebat. Alicubi Procuratorem habuit, non illum quidem desidem, aut inertem, sed qui pecunia nimium parceret, ac vix ea Emptori subministraret, quæ in quotidianos sumptus requirebantur. Joannes, ut huic malo occurreret, quod in detrimentum vergebatur omnium, et curationem habet sane quam difficilem, relicitis verborum circuitionibus, compendiariam tenuit. Pecunias a Procuratore petiit, quas Emptori deinde tradebat ipse, ab eoque rationem accepti et expensi sibi tantum reddi præcepit. Nihil ad corrigendam stricti hominis tenacitatem fieri profecto poterat efficacius.

Erga valetudine affectos quanta esset illius cura, ex hoc uno casu poterit internosci. Ædituum, dum summo mane ad orandum ibat cum reliquis, e cubiculo suo vehementer tussientem audivit. Continuo egressus, jussit eum ad lectum e vestigio regredi, curamque ipse suscepit, alterum, qui vices ejus ageret, designandi. Sed et in omnes caritatem suam, atque adeo liberalitatem, quantum poterat, extendebat. In his quidem, quæ ad communis vitæ rationem attinent, religiosam tueri moderationem studebat. In illis vero, quæ ad suum privatum usum spectarent, liberalis et generosus erat, si quisquam aliis. Multam etiam pro acceptis beneficiis gratiam habebat,

in eaque referenda nunquam sibi satis egisse videbatur. Id s^epē inculcabat Sociis, ut memores beneficiorum essent, atque illa pro virili remunerari non omitterent: hanc enim ajebat Sanctorum virtutem esse, quippe quæ humilitati tanquam proprio fundamento innitatur, mutuamque inter homines caritatem accendat, et mirabiliter ad amorem Dei disponat. Ex hac animi generositate illa etiam facilitas oriebatur, qua multa sibi subditis concedebat, quæ, illæso disciplinæ jure, ad sublevanda religiosæ vitæ pondera deservirent. Atque hujusmodi concessiones nonnunquam dispensabat sponte sua, quo gratiosius erat inexpectatum recipientibus beneficium. Aliquando illas rogantibus facultates dedit, quæ parum videri poterant convenientes. Sed in his concedendis ad infirmiorem patientis animum respiciebat, eamque opportune captabat occasionem ad salutare aliquod monitum circa illarum usum insinuandum. Hoc uno suæ benignitatis præsidio difficiliorem alicujus indolem sine ullo strepitu inflexit, et quibus initio nimia Joannis suavitas videbatur, evidentius prudentiæ suæ habuerunt postmodum argumentum.

Sed quanto indulgentior in alios erat, tanto in seipsum erat austerior. Paucos, dum potuit ac vires habuit, sine flagellatione dies prætermisit. Hinc autem conjicias licet, quam frequenter ciliciis, aliisque torquendi corporis artibus uteretur, quæ majori possunt cum dissimulatione adhiberi. Solutionem legum admittere, sive privata illæ forent, sive communes, quantum poterat, recusabat. Contendebat olim ab eo Medicus, ut jejunium quadragenarium, quod ejus infirmitate valetudini obesse poterat, summo jure non observaret, sed carnibus vesceretur, aut ovis. At vero Joannes, qui ad aliorum sublevandas infirmitates erat promptissimus, ut in propria causa Medico assentiretur, adduci non potuit. Credebat enim, si levissimum quoddam edulii genus adhiberet, quo sine aliorum nota poterat uti, præceptum illud integre servaturum. Hujus igitur cibi subsidio esuriales illas ferias tolerare constituit. Verum aliud, quod magis mirere, tunc accidit. Juvenis, qui mensis eo tempore ministrabat, per tres dies ferculum illud Rectori non intulit, sed aliud, quod ei non æque congruebat, apposuit. Fatebatur autem ingenue juvenis (haud mi-

minore deinde temeritatis suæ pœnitentia , quam patientie Joannis admiratione permotus) illud se juveniliter , seu potius pueriliter effecisse , ut Rectoris sui virtutem exploraret . Aitque , nunquam levitatem illam sibi exprobrasse , quamvis ei certo innotuisse : nec se timuisse quidem , ne alio quovis prætextu offensam illam ulcisceretur , quem sciret , privatas injurias facillime condonare . Enimvero Joannes , quanquam castigando corpori non segniter erat intentus , enixius tamen curabat animi concitationibus moderari . Longissime a cognatis , et amicis in exilio positus , quas accipiebat ab eis literas , solitus erat usque in crastinum non resignare : ut et vehementem de his agnoscendi cupiditatem infringere , et quæ afferrentur nuntia , seu lata , sive tristia essent , comparato prius ad utrumque animo , debita cum æquabilitate recipere . Eodemque modo invigilabat aliis repugnandi sibi opportunitatibus , ut strenue inordinatas retunderet appetitiones .

Nec sane multam adhibere debebat operam , ut occasions reprimendi sui extrinsecus quereret , cum ipsum ejus ingenium in quotidiana fere certamina illum adduceret , ac præclaram reportandæ victoriaæ materiem subministraret . Etenim ex quodam velut innato rectitudinis principio , quidquid rationi dissonum aut se coram fieret , aut alibi factum agnosceret , stomachum movebat Joanni , nec se facile continere poterat , quin illud pro meritis coargueret . Dum privatam agebat vitam , hujusmodi disceptationes prudenti consilio declinabat . Avertens quippe oculos ab aliorum defectibus , in se protinus descendebat , inspectisque tuberibus propriis , facile verrucis ignoscebat alienis . Sed gubernandi suscepto munere , cum errantes corrigere teneretur , præcipuum adhibere debebat studium , ne , ardentioris naturæ actus impulsu , præscriptos moderationi terminos præteriret . Eratque omnibus manifestum , quam sapientiam , quantoque conatu secum ipse decertaret , ut insurgentes iræ motus cohiberet , dum aliquem objurgabat , antequam in eum aliquid statueret . Nonnunquam vero illius animus vehementiori quodam æstu ante occupabatur , quam providere ratio posset , ne occuparetur . Tunc autem , etsi nullum gestum , aut verbum ederet , quod virum gravem non deceret , quædam tamen internæ commotionis indicia in

illius vultu apparebant, quæ ardente ejus indolem non obscure manifestabant. Hunc Joanni nævum inter egregias illius dotes reliquise videtur Deus, ut majori sibi esset ad virtutem incitamento. Sic enim aliquibus cæteroqui sanctitate conspicuis evenisse novimus, ut vitia quedam naturæ perfecte non vicerint, quæ nihilominus ad servandam, et augendam humilitatem insigniter deserviebant. Joannes quidem eo depresso pondere, contra superbiz flatus securior, ac tutior, tanquam saburra fundata navis, incedebat. Et cum aliunde adversus domesticum illum hostem, a quo frequenter lacessebatur, diligenter se meditatione præmuniret; dum in certamen descenderet, plerumque victoriam obtinebat. Si quando vero succumberet, detrimentum abunde noverat resarcire: nam et veniam petebat humiliiter, et se morosum, ac deridiculum esse, aperte confitebatur.

Hanc animi submissionem in adversis etiam rebus retinuit, quibus Deus electos suos vel aliorum hominum ministerio, vel per seipsum probare consuevit. Præpositus quidam provinciæ, dum Collegium S. Ambrosii recognoscebat, nescio quid in Joanne criminabatur coram juvenibus, qui ejus curæ commissi erant. Cum in illa frequentia Præpositum serio loqui non crederet, prima objurgantis verba modesto quodam risu suscepit. Sed cum videret, extra jocum rem agi, demissis oculis, obstipo capite, atque ore compresso acrem exceptit Præpositi reprehensionem. Ex juvenibus, qui tum ibi aderant, mibi unus asseruit, nunquam deinde audivisse Joannem aliquid afferentem, ad elevandam vituperationis illius causam, vel aliquid adversus Provincialem expostulantem, de quo potius semper honorifice loquebatur. Unde credebat ipse, Provincialem in coarguento Joanne non tam ad aliquod hujus crimen respexisse, quam ad manifestandam virtutem ejus in oculis subditorum, si qui forte essent, qui de illo sinistrius opinarentur. Quod ego tanto probabilius existimo, quanto certius aliunde compertum habeo, Provincialem illum de virtute Joannis ita præclare sensisse, ut eum aliquando virum sanctum denominaverit. Is calamitosam illam, atque inexpectatam ab Hispaniæ finibus expulsionem magna etiam animi moderatione sustinuit. Post denuntiatum exilii decretum,

sine

sine ulla perturbatione, atque aliorum potius, quam sui sollicitus, Judici senes enixe commendavit, quorum erat in Collegio S. Ignatii, quod ipse administrabat, et numerus ingens, et meritum singulare. Socios omnes hortatus est ad constantiam, atque ad agendas Deo ex animo gratias pro novo illo, quo eos dignabatur, beneficio. *Et quoniam meæ sunt partes, adjunxit, vestris commodis, quantum possim, invigilare; nec prævidere licet quorsum eruptura sit ista tempestas; ut omnes prudenter sibi prospiciant, meæ fungenda vicis facultatem unicuique facio.* Deinde inter molestias itinerum, naviumque angustias quam perfecte seipsum ad Dei voluntatem conformaret, apparebat ex ejus vultu, nullis adversorum incursibus concidente: apparebat ex verbis, quibus animos addebat Sociis, et promptiorum ad sustinendum alacritatem jucundissime collaudabat. Postquam Calvum devenerat, ubi omnia tristissima erant, et angustissima, cum quosdam lætitia exultantes, ac miros edentes risus animadverteret, in Dei laudes erupit, qui tantam in tot laboribus animi jucunditatem infundere. Cum tandem Societatem vidit eversam, humillime coram Deo prostratus, ejusque adorabili providentiaz reverenter submissus, in eodem tenore vitæ, quatenus integrum sibi erat, perseverare constituit. Nihil ergo de studio meditationis imminuit, nihil in servando silentio, et incolenda solitudine immutavit, nihil de utiliorum lectione librorum detraxit. Nullum hominem, nullam unquam feminam ad ministeria cubiculi admisit: et qui per id tempus non nisi ægre manibus suis uti jam poterat, alienas adhibere præ humilitatis studio delectabat.

In gravioribus etiam morbis, quibus per longum vitæ cursum non raro laboravit, et humilem, et patientem, et ad omnes inservientium, et medicantium nutus promptum sese perhibuit. Nam cum esset legum observantissimus, dum bene valebat corpore; nihil, dum male haberet, de his adimplere prætermitebat, que præscripta erant infirmis. Nullam perhibens propriaz voluntatis inclinationem, ab iis omnino se regi sinebat, ad quos cura sui corporis spectabat: aperteque in omnibus ostendebat, morbum perinde, ac sanitatem ipsam e Dei manibus se grate recipere. Aliquando Medici ab illius

strato recedentes, heroicam ejus patientiam, imperturbabilem pacem, et perfectum cum divina voluntate consensum ita sunt demirati, ut eum præstantibus sanctitate viris adæquaverint. Vallisoleti cum graviter ægrotasset, omnem Collegii administrationem Ministro suo commisit: sibi enim ajebat, eo tempore nihil aliud incumbere, quam ut Ministro, et qui sui curam agerent, in omnibus obediret. Nec secus deinde præstitit, nihil ipse concupiscens, ac nihil eorum renuens, quæ sibi ministrabantur; sed in id solum intentus, ut suavissimæ Domini providentia se totum cum fiducia, et tranquillitate committeret. Laicus, qui multas noctes ad illius lectum excubias egit, primam ægrotantis curam fuisse ait, ut nemini molestiam importaret, et a se beneficij loco peteret, ut noctem, quasi solus esset, ita secure transigeret. Adeo sui commodi neque rationem habebat ipse, neque ab aliis haberí desiderabat.

Bononiæ demum, ubi postremus eum morbus occupavit, cum invicta patientia, atque humili subjectione, insignem quoque pietatem exhibuit. Quo die quintum et septuagesimum vitæ annum explebat (is erat dies Apostoli Thomæ solemnis consecratus anno 1781, cuius etiam gerebat nomen, eumque præcide singulari cultu prosequebatur) primos morbi sensit insultus. Arcessiti Medici inter alia suæ artis subsidia, cantharides illi apponi decreverunt, quibus nullum fere horribilius est pharmacum. Sed qui hoc Joanni applicuit, dolorem, quem infligere natum est, multis partibus auxit. Cum postridie ad medicandam plagam accessit, quam venenatæ bestiæ nativa sua fecerant acrimonia, emplastrum illud, revulsa jam cute, iterum super vivam carnem imposuit. Quantum id ad irritandum dolorem valeat, cum vel sola recordatio exterritat, nemo non videt. Et tamen Joannes tormentum illud, deindeque molestam plagarum scarificationem, cæteraque cruciamenta morbi patienter adeo pertulit, ut qui circum aderant, serenum illius vultum, tanquam tranquilli indicem animi, jucunda cum admiratione suspicerent. Sive alimenta sumenda essent, sive potiones hauriendæ, sive aliquorum esset convertendus, suas propensiones oblitus, ad voluntatem ministrantium præsto erat in omnibus. Dum acrioribus dolorum stimulis pungeretur, dulcissima Jesu, ac Mariæ nomina reve-

ren-

renger ingeminabat: rursumque ridentem in duebat faciem, quasi nullum aliud requireret in afflictione sua solatum. Nec dubitare licet, quin præsentem illi opem in eo discriminé S. Aloysius benigne contulerit, cuius cultum non solum in Hispania, sed etiam in Italia curaverat promovendum. Imaginem ejus, Romano penicillo depictam, quam secum in omnibus peregrinationibus tulerat, et hierothecam, quæ reliquias immaculati Juvenis continebat, in sua pretiosiore supellectile numerabat. Illam sorori suæ legavit, in Azcoithensi Cœnobio S. Crucis pridem Antistite; quippe qui rectissime judicaret, effigiem modestissimi Aloysii nusquam posse opportunius, quam inter velatas virgines collocari: hanc autem illi dono reliquit, qui sibi propinquam mortem annuntiavit. Unde etiam eviderenter appetet, quam longe a timore mortis abesset, qui denuntiationem illam eo pignore munerandam voluit, quo nihil habebat carius. Hoc accepto nuntio, divinis communiri mysteriis petiit, quæ omnia deinceps religioso animo, ac tenero pietatis sensu cum receperisset, tranquillus in expectatione remansit. Aliquot ante obitum horas, cum ei rationis usum vis morbi ademisset, salutationem tamen Angelicam apte, devoteque pronuntiabat: donec tandem spiritum Deo redidit decima sexta Januarii die 1782. Honorifico elatus funere, jacet in Parochiali templo S. Nicolai ad viam S. Felicis. Omnibus ejus mors doluit, quos præclaris virtutibus fideli sibi conjunxerat amicitia. Sed eisdem solatio fuit non exiguo concors illorum testimonium, qui Joanni in extrema hora astiterunt: quorum ea vox erat unanimis, mortem ejus appetendam potius sibi visam esse, quam timendam, cum illam nulli angores animi præcessissent, sed contra serenitas tanta, ut initium æternæ beatitatis præsagire videretur.

SEBASTIANUS MENDIBURUS.



Oyarzum nobile oppidum in Vardulis, quos recentiori vocabulo Guipuzcoanos dicimus, Sebastianum huic mundo dedit anno septingentesimo octavo supra millesimum, secunda die Septembris. Parentum ejus pietas, ut ex fructibus arbor, poterit ex indole filiorum agnosci. Cum enim liberos quinque suscepissent, unus tantum ad familiæ columen domi remansit: alii duo masculi, Sebastianus, et Petrus, totidemque feminæ religiosam in claustris vitam hujus mundi deliciis prætulerunt. Petrus ætate minor, quod præbere cœperat sub genitorum cura specimen innocentia, procul ab ipsorum oculis constitutus, idem luculentius exhibere perrexit. Missus Villamgarsiam, ut latinis literis operam daret, inter multos, qui eodem erudiendi causa conveniebant, ita pietatem coluit, ut studentium exemplar haberetur, a quo possent omnes pueritiae laudabiliter exigendæ normam desumere. Coram eo contubernales ejus nihil inverecundum, aut procax audebant efficerre, vel effari: non quod timerent, ne sua nomina ad Præfectum studiorum deferret, sed quia eos modestus pueri aspectus, et ingens probitatis ejus opinio continebat. Postmodum Societati Jesu nomen suum dedit: et qui adhuc innocentem vitam duxerat, deinceps pene duxit Angelicam. Sic certe unanimi consensu sentiebant omnes, qui Petrum in tirocinio, deindeque in Collegiis habuerunt socium. Ab iis, quæ singularia videri possent, abhorrens, sese ad communem agendi modum omnino conformabat: eo demum contentus, si, quæ agenda sibi erant cum cæteris, ipse singulare modo perficeret. Sed quanquam ab ostentatione virtutis longissime aberat, omnes tamen ex modestissimo vultu, actionum gravitate, et comitate verborum, illius animi decora, quæ sub aspectum venire non poterant, conjiciebant. Eminebat ex ejus ore plus fere quam humanus pudicitia color, atque omnis

nis ejus agendi ratio nescio quid sanctitatis spirabat, quo misericordie capiebantur omnes, et ad eum amandum, peneque venerandum incitabantur. Magister alterius ordinis religiosi obvium illum habuit, dum intrabat ad salutandum quemdam Sociorum, a quo ante ullam salutationem quæsivit instanter: *Equis, precursor, est iste juvenis, quem hic proxime offendit? Enimvero sanctum oportet eum esse, cuius solo conspectu hæsi ego veneratione suspensus.* Sed quem alii magno in honore habebant, ipse sibi vilis erat, ac nullius pretii, omnemque despiciendi sui captabat occasionem. Quæstionem, quam erat publice propugnaturus, cum Magistro suo agitabat, qui ut occurrentem illi nondum explicaret: *Fingamus, dixit, animam tuam ad me transiisse.* Vix hæc audivit Petrus, cum exclamavit statim: *Jesu bone! si quod ais, Pater, accideret, quam improbam haberes ipse animam!* Par humilitati obedientia, cuius tam multa, et illustraria dedit exempla, ut perfectioribus in hac parte jure merito possit annumerari. Par etiam orandi studium, et servandæ disciplinæ constantia, a qua deflectentem vidisse, nunquam ejus æquales meminerunt. In ipso ætatis flore ob insigne meum ejus virtutem renuntiatus fuit præter morem Præfectus clarissimæ Congregationis, quæ Salmanticæ instituta erat pro Scholasticis Academiz. Hic in juvandis animis nullum ex iis laborem refugiebat, quibus onerari operarius robustissimus potest: quin etiam per æstatem expeditiones sacras ad Saiaguenses, et Batuecos suscepit. At operi dum insistit ardentius, labori succubuit strenuus juvenis, quem acerba mors sustulit ætatis anno trigesimo sexto, volventis seculi septimo et quinquagesimo. Domesticis, et extraneis lacrymas excivit interitus Petri. Nonnulli opifices eo die a labore cessarunt: alii defuncti pedes, et manus religiose deosculabantur: aliquis capillos illi præcidit, tanquam pretiosum pignus reverenter asservatrus. Multi Sociorum, quas olim tractaverat vestes, sibi certatim deposcebant. Multi etiam cives eorum petierunt aliquid, quæ viventi Petro inservissent: nec defuit, qui pro solemniore funere sumptus obtulerit, negans, tam sancti viri corpus vulgaribus exequiis efferri oportere. De præclaris Petri virtutibus plura in eis literis continentur, quas prelo excusas ad Castellæ Socios dedit Clemens Recius Salmantini Collegii Rector.

Sebastianus et sanguine , et moribus frater germanus Petri , sicut illum nascendi conditione diu antecessit , ita etiam moriendi tempore longe est subsecutus . Quid in pueritia gesserit , quibus usus sit præceptoribus , nihil certi possimus statuere . Sed enim qui omnem vitæ cursum ita peregit , ut receptam in Baptismo gratiam nunquam amiserit (eo attestante , cui Sebastianus sexto ante obitum mense totam vitæ seriem aperuit) eum necesse est et pueritiam , et adolescentiam , et ætates reliquas cum attentissima innocentia cura transegisse . Hanc ut in loco tutiore collocaret , religiosam vivendi formam amplecti constituit : factaque matura deliberatione , demum ad Societatem accessit Nonis Septembribus anno 1725. Ad tirocinii culturam cum animum spinis vitiorum liberum , et purum sceleris attulisset , in eo , velut in sponte feraci solo , insitæ virtutum plantæ radices egerunt altius , et lætissime germinarunt . Suspicioebant in eo novitii cæteri , ut eorum quidam etiam num superstes confirmat , fervorem animi in Deum , promptam et exactam spiritualium rerum tractationem , atque odium maxime , quo se sancte oderat , et corpus suum asperrime divexabat . Ab his optimis initiis inter studiorum occupationes nunquam descivit . Longum ac difficilem discendi laborem ita virtutis contentionе temperavit , ut illum neque rædio victus abrumperet , neque rursus inanis gloriæ cupidine assumeret ; sed tantum placendi Deo causa , et juvandi olim homines desiderio sustineret . Hac diligenti cura gravioribus bene instructus scientiis , ad splendida exercenda munera evasit idoneus , quæ delata illi fuerunt deinde . Sed ut eadem cum profectu animarum obiret , multum ei contulit tertius ille probationis annus , quem alumni Societatis , excusso jam academico pulvere , in secessu spirituali ponebant . Ibi enim Theologiz , quam recenter in Scholis audierant , mysticam adjungebant scientiam : eamque condiscere jubebantur non solum ex libris , sed præsertim ex frequentiore meditationis usu , et cultu solitudinis , in qua facilius divini vox auscultatur Spiritus . Ibi arma illa versabant assidue , quæ maxime opportuna erant , ut et seipso perfectius vincerent , et alios deinde ad superandas hostium insidias peritius erudirent . Et cum Sacerdotes illi novelli multa jam studiorum decursu

in-

inspessissent, quæ tirocinii tempore ob teneriorem adhuc ætatem vix bene noverant, siebat plerumque, ut unus ille tertius probationis annus ubiores virtutum fructus, quam integrum tirocinii biennium proferret. Mendiburus certe opportunitatem illam tam avide arripuit, ex eaque tantum animi ardorem deprompsit, quanto sibi opus erat, ut per vitam reliquam perfectioni suæ, et æternæ multorum saluti indefesso adlaboraret studio.

Pompelonem principem Navarræ urbem adire jussus, ibi docendo, concionando, sacras per diœcésim et extra illam excursiones ineundo, aliisque industrii operarii laboribus per annos triginta desudavit, ulterius etiam conatum infatigabilem provecturus, nisi supervenisset exilium. Docendi munus, juxta Societatis leges, a latinis literis inchoavit: in eisque tradendis, teneros puerorum animos non magis literarum scientia, quam pietate in Deum imbuendos curabat. Itaque saepè de diligendo Deo, de obeundis Christianæ vitæ officiis, fugiendoque peccato et privatim, et publice cum discipulis sermonem habebat. Merito enim credebat ipse, si timorem Dei suis auditoribus instillasset, et literis datus operam studiose, et alia omnia, quæ illos proprius attingerent, expleturos. Sed ludi negotium, et quæcumque alia domi agenda occurrabant, angustior Mendiburo campus, pro insatiabili laborandi studio, videbatur. Consentientibus igitur Superioribus, et Episcopo Francisco Ignatio de Annoa summe gaudente, constituit per æstivas ferias ad montanos Navarræ tractus, aliosque diœcesis populos quotannis excurrere, quibus ignota plerumque est vulgaris Hispanorum lingua, et sola Cantabrica utuntur. Propter sermonis hujus difficultatem, qui nimium quantum distat a cæteris per Hispaniam, imo etiam per universam Europam usitatoribus, et aliquam cum Hebraico habet affinitatem; non multi erant Sacerdotes, qui orationes habere ad populum, et expeditiones sacras suscipere auderent. Mendiburus, etsi a teneris eam linguam didicerat, modo tamen, ut omnibus prodesse posset, qui eadem utuntur, varias ejus dialectos penitus nosse contendit. Cantabrice autem loquuntur et Cantabri propriæ dicti, et Guipuzcoani, et Alavenses, et qui Navarram incolunt superiorem, et inferiorem. Ut peculiares cujusque pro-

vinciæ idiotismos perfectius disceret, præter accuratam privati studii diligentiam, illos e discipulis suis frequenter interrogabat, qui possent, ad exorta solvenda dubia, aliquam sibi lucem afferre. Hac animi demissione, et exquisita commentandi, scribendique assiduitate illud demum adeptus est, ut universim apud eas gentes consummatus Cantabrigi sermonis Magister, et perfectus haberetur Orator. Cum aliquando Azcoithiæ verba faceret, ubi multi sunt nobiles, et eruditæ viri, pendebat omnes ex disertissimo dicentis ore, neque unquam credidisse affirmabant, posse suam ipsorum linguam tantum eloquentiæ ornatum admittere. Quidam autem eorum ingenio, et eruditione celebris dixit, Ciceronem latine non magis proprie, et elegantius fuisse locutum, quam Mendiburus cantabrice loqueretur. In cæteris magni Oratoris dotibus actio ejus erat excellens. Decoro fuit aspectu, procerò corpore, beneque conformato: et quamcunque rem vellet significantius exprimere, eam non solum verbis, sed manibus etiam, ac totius corporis gestu in auditorum animos, atque adeo in eorum oculos ingerebat. Ad Suessitanos per multos dies orationes habuit: et cum illorum plerique interdiu laboribus intenti essent ruri, vel domi, ne cujusquam obesset commodis, concionem sub noctis crepusculum convocabat. Pronum erat, ut hominibus ex diurno labore defatigatis somnus eo tempore obreperet, qui etiam otiosos occupare solet, dum concionibus intersunt. Tamen in tanta auditorum multitudine, quantam ad eum diem nusquam alibi habuerat, nullus visus est, qui dormiret. Id Mendiburi socius, qui rem non immerito mirabatur, illius præclaræ actioni tribuebat, in qua nullum se ait vidisse præstantiorem. Hanc auditores illi, duplii ad suggestum accensa face, distinctius poterant observare: itaque conjectis in Oratorem oculis, cuius tanta erat ad excitandam attentionem facultas, arrectis etiam auribus et animis auscultabant.

His ad bene dicendum adminiculis, quæ natura, vel arte comparaverat, alia etiam accedebant, quæ ad faciendam fidem, et auctoritatem sibi conciliandam, plurimum habebant momenti. Nam et vitæ integritas, ortaque inde sanctitatis opinio, et indefessa juvandi omne hominum genus solicitude,

et

et insurgentes adversus conatus suos oppositiones, quas imperterritu superabat animo, magno illi adjumento fuerunt, ut copiosum ex laboribus suis fructum reportaret. Jam inde a primo in Pompelonense Collegium adventu præcipuam religiosi viri existimationem vel inter suos obtinuit. Quæ deinde apud exteris tantum invaluit, ut multi eum non nisi addita sancti appellatione nominarent: alii, dum gradiebatur per urbem (quod perraro efficiebat) ad fenestram, vel januam accurrerent, ut prætereuntem avidi, ac venerabundi consiperent. In locis, ad quæ annuntiandi Evangelii causa mittebatur, perspecta ejus modestia, et gravitate, totiusque vitæ ratione moderatissima, facile erat omnes ad præclare de illo sentiendum permoveri. Qualem vero teneret in missionibus agendi modum, argumento esse poterit, quod eum alicubi fecisse novimus. Multo mane consurgens, integram meditationi horam nunquam non impendebat. Sacris deinde operabatur in templo, quod efficiebat semper exacte, ac reverenter: parique reverentia in actione gratiarum ad longam moram perseverabat. Post hæc domum regressus, precum Sacerdotalium partem aliquam exsolvebat, dum modicum jentaculum apparabatur. Quod si tempus audiendi confessiones jam incepisset, inde templum repetens, omnibus omnium ordinum viris, ac feminis patientes præbebat aures, et lingua salutifera medebatur. Absolutis confessionibus, in ipso templo per quadrantem horæ suam ipse conscientiam discutiebat, ac tum demum in hospitium revertebatur, ut cibum, et quietem caperet moderatam. Post prandium psalmodiæ reliquum pensum absolvebat, rursumque pro sacro tribunali sedens, ab eodem paulo ante consurgebat, quam ascenderet in suggestum. Orationes in missionibus haberi solitas bene didicerat, easque ad ingenium suum, et ad conditionem auditorum optime accommodaverat, superadditis non paucis, quæ maxime utilia erant, ac propemodum necessaria: unde cum egregia sacri Oratoris laude magnam itidem industriæ suæ retulit utilitatem. Sed inter multorum plausus multos etiam habuit obtrectatores, qui frequentes illi patientiæ, constantiæque perhibendæ præbuerunt occasiones. Neque homines tantum, sed etiam maligni Dæmones ab inceptis eum conati sunt deterrere.

In-

Inter machinationes alias , quibus illi molestiam , ac terrorem injicere tentaverunt , non infreque nter , dum ab uno in alium locum sereno cœlo contenderet , derepente densissimæ excitatabant nubes , quibus omnia concussum iri videbantur . Id ipse Diabolicis tribuebat artibus , quoniam minaces illi nimborum apparatus , ostensa Crucifixi imagine , figuratoque crucis signo , protinus evanescebant . Quod cum sæpe fuissest expertus , nihil hujusmodi præstigijs retardabatur , quominus in destinatum locum ire pergeret sine metu .

Gum expeditiones illæ sacræ , quas per æstatem suscep-
rat dum Grammaticum agebat , magnis essent fructibus nobilitatæ , visum est Superioribus Mendiburum ab ea statione non removere , in qua simul cum profectu discipulorum tantum afferebat animis emolumentum . Itaque post triennium cœpit ibidem Philosophiam explicare , quod per integrum sexennium cum laude fecit , non interruptis propterea feriarum tempore Apostolicis in montana præsertim loca excursionibus . Cum jam prope erat , ut munus illud absolveret , contendit Illusterrimus Gaspar de Miranda , qui Annoæ ad Cæsaraugustanam metropolim evecto Pompe lone successerat , ut Mendiburus Theologiam in eadem urbe doceret . Cupiebat enim ve-
hementer , ne unquam populis curæ suæ commissis , qui Can-
tabrice , seu Vasconice tantum sciebant , tam strenuus dees-
set operarius . Provinciæ Præpositus , cui tum Antistiti opti-
mo gratum per omnia facere non licebat , præcipuam voto-
rum ejus partem explevit . Mendiburum ad regale Collegium Lojolæum , quod in eadem diœcesi situm est , Concionatorem destinavit , certus eundem remittere Pompelonem , cum pri-
mum sese opportunitas exhibuisset . Hæc non diu fuit expec-
tanda , nam in sequenti anno ad eam urbem rediit , Theolo-
giæ Magister designatus . In eo munere , quanquam ad om-
nes , ut antea fecerat , infatigabilem curam extenderet , pecu-
liari tamen studio in discipulos suos invigilavit , ut literis , et
bonis moribus diligenter informarentur . Etenim cum felicem
reipub. statum a recta juventutis institutione pendere fatean-
tur omnes , eos potioribus curis erudiendos esse juvenes exis-
timabat , qui viam ad Sacerdotale munus ingressi (quales ii
plerumque sunt , qui animum ad divinas scientias applicue-
runt)

runt) deinde sacrorum futuri sunt administrari, et animarum duces constituendi. Hos ergo omni ope, atque opere nitebatur et sacris bene imbuere disciplinis, et ad honestioris vita formam inducere, ut ad populorum in divinis rebus eruditionem Magistri evaderent habiliores.

Sed excelsus Mendiburi animus, et incomparabile promovenda virtutis studium non satis habuit discipulis prodesse suis, nisi et omnibus benefaceret, qui Scholas illas venturis etiam temporibus frequentarent. Sub clientela S. Aloysii Congregationem Scholasticorum instituit, eamque ad promovenda literarum, ac virtutum studia tam opportunis legibus communivit, ut, si nihil aliud Pompelone molitus esset, illa tantum immortale sibi nomen peperisset. In ea erigenda Congregatione illuc etiam respexit Mendiburus, ut spectacula de medio tolleret, quæ adolescentes illi studiosi nonnunquam exhibebant, per speciem quidem, ut S. Aloysii memoriā celebrarent; sed re potius vera, ut oculos civium passerent satis ingenti sumptu, nec modico studiorum detrimento. Multos enim impendebant dies, ut eos appararent ludos, in quibus aut equestres habendi erant per urbem decursus, aut agitandi vituli, aut in scenam mittenda fabula, aut aliud quiddam simile ad oblectamentum populi perhibendum. Difficile erat, considerata gentis indele, consuetudinem illam, quod tentatum fuerat olim incassum, penitus abrogare. Sed Mendiburus eam abolere non desperabat, si prius ingenuos Navarræorum animos ad pietatis studium excitasset. Sequastro Aloysio cœlestem imploravit opem, et adolescentes omnes, qui majoribus facultatibus operam dabant, sub finem ieiunii verni ad exercitia S. Ignatii per dies senos invitavit. Ipsa sacratissimi temporis opportunitas ad acceptandum invitationum adjuvit: et Mendiburus, ut vim adderet exercitiis, Philosophiæ, ac Theologiae Magistris persuasit, ut eorum singuli haberent ad juvenes exhortationem, quæ proprias cujusque diei clauderet commentationes. Omnia Mendiburo ex animi sententia successerunt. Juvenes attenta rerum æternarum meditatione, et Magistrorum cohortatione vehementi tam generosos spiritus ad meliora sequenda conceperunt, tantoque incaluerunt amore virtutis, ut unus e senioribus Collegii Patri-

tribus, nunquam se simile quidquam vidisse, fateretur. Hoc animi habitu comparatos facile Mendiburo fuit ad ea, quæ meditabatur, adducere. Omnes uno ore libenter consenserunt non solum de Congregatione formanda, sed etiam de accipiendis conditionibus, quæ sibi vellent imponi. Eaque statim rogata lex est : *Nequa profana spectacula in posterum eduntur; sed anniversarius Aloysii dies quam maxima poterit solemnitate quotannis in templo celebrator.* Aliæ deinde latæ sunt leges, ad optimam juvenum institutionem ordinatæ, quæ typis editæ omnibus, dum Dialecticam inchoabant, distribuebantur; ut quæ initio prudentissime decreta fuerant, ab iis, qui denuo adveniebant, fideliter observarentur.

Constituta in eum modum anno 1752 Aloysiana Congregatio Pompelonensis jucundissimos virtutum fructus, dum Societas in Hispania stetit, progerminare non desiit: earumque bonus odor non tantum intra Scholarum ambitum, sed etiam per civium domos, atque adeo per multas regni urbes placidissime spargebatur. Illi enim juvenes Magistris suis diligenter obtemperantes, ad studia literarum incumbebant attente, atque in templis frequenter conspiciebantur, agitandis mente divinis, fundendisque precibus cum insigni reverentia Numinis occupati. A divino colloquio digressos, haustus inde quidam pietatis sapor, et egregium modestiæ decus prosequabatur, quo cæteros ad amorem virtutis, vel taciti, permovebant. Quanquam verbis etiam, et manibus inserviebant aliorum commodis, tum sublevanda mendicorum inopia, tum etiam ægrotis in Nosocomio visendis, et consolandis. Præter privatam Sacramentorum frequentiam, unicuique ab animi ductore concessam, cuncti singulis mensibus in Societatis templum conveniebant stata die, ut simul acciperent Eucharistiam. Id tam præclaro religionis exemplo peragebatur, ut numerosa circumstantium turba mirabiles ad pietatem stimulos inde sibi sentiret infundi. Nec deerat inter cives, qui communionem sacram in eandem reservaret diem propter uberiores devotionis sensus, quos ab eo modestissimorum juvenum conspectu reportabat. Sicut autem Mendiburus statuendæ Congregationi ab exercitiis S. Ignatii initium desumpserat auspicatissimum, sic etiam ad illam conservandam, et promovendam

dam iisdem utebatur auxiliis. Quotannis eodem tempore , eodemque modo , quo factum erat initio , juvenes sacris meditationibus exercebantur : et cum ad eas multi etiam ex omni ordine viri postmodum admitterentur , crescebat in annos singulos et meditationum fructus , et numerus iisdem exerce- ri cupientium. Itaque quod ad privatam studentium utilita- tem fuerat institutum , in commune reipub. commodum re- dundavit ; cum sacrum illum secessum magna consecuta sit morum reformatio . Neque illud hic adjungere prætermittam: Mendiburum , in ea stabilienda Congregatione , secundissimum posuisse plantarium , ex quo novella virtutum germina frequen- ter ad amoeniora septa transferebantur , ubi latiores ferebant fru- ctus. Multi enim juvenum ex diligentí divinorum usu animum sensim ad celsiora erigebant , supernorumque lumen capa- ciores effecti , perfectionis tandem incendebantur studio. Un- de illa jam vulgo invaluerat opinio , ab Scholis Societatis Pom- pelonensibus triginta minimum adolescentes singulis annis ad varias Religiosorum familias pertransire . Hæc omnia cum vi- deret Franciscus Xaverius Idiaquezius , qui biennio ante So- ciorum expulsionem Collegium illud pro suo Præpositi mune- re lustrabat , Magistros hortabatur impense , ut Congregatio- nem illam fovere pergerent , *qua nihil est* , dixit , *in Colle- gio Pompelonensi præstantius* : cum tamen aliae insuper essent Congregationes , quæ multam inter cives commendationem ob- tinebant .

In illius agelli cultura , ex quo tam lati veniebant fruc- tus , libenter Mendiburus perseverasset , nisi jam antea decre- tum fuisset , ut Congregationem Aloysianam unus e tribus Theologiaz Professoribus semper administraret. Nunc ergo do- cendi solitus onere , Congregationem , et Cathedram in alte- rius transmisit curam ; sed in urgendo religioso Aloysii cultu nihilo fuit minus diligens . Ipse tam intimo affectu Angelicum Juvenem reverebatur , ut nihil fere nisi sub ejus auspiciis ag- grederetur : illius fidei res suas omnes magna cum fiducia commendabat : ad eum in periculis , in adversis quibuslibet recurrebat. Quocumque iter ageret , sacras ejus Reliquias se- cum deportabat , easque collocabat super aram , dum myste- riis divinis operabatur . Ad promovendum vero inter alios

S. Aloysii cultum, præter adhibitas ubique frequentes adhortationes, illius Vitam Italice scriptam a Virgilio Cepario, et Hispanice jam pridem redditam, denuo cum additionibus edendam curavit. Libellum etiam recudit ad religiose celebrandos sex illos Dominicanos dies, qui proxime natalem ejus diem præcedunt: aliumque ad novendiales fundendas preces ipse composuit. Prodigiosæ illius farinx, per Aloysii merita divinitus multiplicatæ, bonam semper habebat copiam, eamque largiter impertiebatur; tum ob singularem fiduciam suam; tum etiam ob iterata beneficia, quæ per ejus usum a Deo concessa viderat, et manu sua sæpe palpaverat. Huic denique religioso Mendiburi studio tribui etiam ex parte debent pretiosa illa dona, quibus ara S. Aloysii duobus ante exilium mensibus fuit exornata. Nempe statua ejusdem Aloysii, intra loculum crystallinum pulcherime collocata, cum duplice lychnucho pensili, quæ vir honoratissimus Vincentius Mutiloa suis expensis elaboranda curavit: et Rosarium ex globulis confectum aureis, filoque innexis similiter aureo, quod nobilis femina Teresia de Alava animo donaverat pienissimo.

Postquam Theologizæ magisterium absolverat Mendiburus, regendam suscepit Congregationem Sacerdotum, et aliam quæ Schola Mariz dicebatur. Prima sub illius ductu Collegarum numero notabiliter crevit, et numerum æquabat fervor ad injuncta pietatis opera peragenda. Etenim, quem ad informandos Sacerdotii candidatos tam attentum fuisse conspeximus, ad eos exhortandos, et perficiendos, qui sublimem illum apicem jam attigerant, consequens omnino erat, ut esset attentissimus. Totus erat in excogitandis premendisque viis omnibus, quibus Sacerdotes illos ad sanctitatem morum suæ conditioni convenientem promoveret. Et cum apud ipsos multum Præfecti sui valeret auctoritas et exemplum, in admittendis consiliis ejus magna erat cuncitorum consensio, et singularum in exequendis diligentia. Nonnulli ob frequentiorem cum eo consuetudinem, atque intimam familiaritatem, passim discipulorum nomine a multis appellabantur: horumque virtutæ integritas, et notissima in rebus omnibus circumspectio, maxima erat Mendiburi commendatio. Dum is Guipuzcoam

sacris excursionibus circumibat, quidam illorum Tolosam veniens, multorum in se vertit oculos: et cum ignotus ibi esset, nonnulli viri Ecclesiastici ex modesta hominis facie, et gravitate vere Sacerdotali, quemdam esse de discipulis Mendiburi pro certo statuerunt. Nec vero aberrarunt illi; nam erat de familiaribus ejus intimis, et inter omnes dioecesis Parochos spectatissimus. In Congregatione altera, quoniam Sodalium numerus augeri non poterat, quem illius auctor Hieronymus Dutarius ad septuaginta duos definitum voluit, nullum omisit laborem Mendiburus, ut observantiam legum, et ardorem ad virtutis opera retineret. Illud quidem tum Pompe lone, tum alibi communis omnium sermone vulgatum erat, quicumque nomen Scholæ Marianæ dedissent, eos ad Christiani hominis formam mores suos exigere, atque in his, quæ ad Dei servitium spectant, non perfunctorie, sed tota animi contentione versari. Mendiburus ergo, ne unquam cœtus ille ab antiquo vigore deficeret, præter assiduam in promovendis ad virtutem Sodalibus diligentiam, ad obstruedos etiam aditus invigilabat, unde posset disciplinæ languor obrepere, ac præclarum Scholæ decus obscurari. Quoties in decedentium locum novi conscribendi erant alumni, hoc inter alias conditiones in eis maxime requirebat, ne ratione sui muneric ita essent impediti, ut ad consueta Scholæ exercitia prompte, constanterque adesse non possent. Nullum quippe Sodalitium debita pietatis laude florere posse judicabat, si vel pauci Sodalium in explendo officio essent indiligentes, quos facile erat, ut alii deinde paulatim imitarentur. Et cum omnibus nota esset hæc Mendiburi vigilantia, impensius curabant singuli morem eidem gerere, tum propter venerationem, qua illum prosequebantur, tum etiam ut laboribus grati essent, quos pro ipsorum spiritali commodo suscipiebat. Itaque vigebat in Schola illa non secus, atque in alio Sacerdotum cœtu, magna colenda virtutis æmulatio, unde optimus exempli boni odor in cives cæteros emanabat.

His aliæ non leves accedeabant curæ. Præter impensam audiendis poenitentibus operam fere quotidiam, eos diligenti studio instruebat, qui ad exercendum piis commentationibus animum adventabant. Hi frequentes ex omni classe

conveniebant per quadragenos jejunii dies , sicut etiam in quatuor anni temporibus Clerici, qui sacris erant ordinibus initiandi: omnesque pro diversa cujusque status conditione ad perfectionem vitæ diversis excitabat adhortationibus. Ad hæc in Dominicis diebus Quadragesimæ conciones plerumque habebat in Parochiali templo S. Saturnini ad servos, et ancillas, quibus nota erat sola lingua Vasconica: nec pauci ad easdem promiscue intererant, qui, licet Vasconice loqui nescirent, loquentes tamen sufficienter intelligebant . Sed inter urbanas occupationes ruricolarum , quos impense amabat, non poterat oblivisci . Etenim quos magisterii sui tempore solitus erat invisere , vacationem adeptus muneric, eosdem non erat relicturus. Quotannis duos minimum menses suis profectiōnibus destinabat, ut Apostolicis extra urbem insisteret ministeriis. Atque ut alii solent per æstivas, vel autumnales ferias ab strepitu discedere urbano, ut ruri liberiorem respirent auram, ille etiam operosas, quas domi habebat, aliquandiu abrumpebat occupationes; non quidem ut cessaret alibi, sed ut graviores alias , sibi vero valde quam jucundas assumeret . Nulla enim re magis recreabatur, quam laboribus pro salute animarum susceptis, quorum fructum capiebat uberem in excursionibus, quas faciebat in pagos, et castella, atque etiam in alias per diœcesim urbes. Ubique autem tanta contentionē laborabat, ut constantiam ejus alii demirarentur, nec satis caperent, quomodo tanto oneri vires illi suppeterent; cum præsertim expeditionem aliam ex alia sine ulla interspiratione susciperet.

Initio , vel propter fervidiorem indolem , et æstatem nondum rerum usu bene confirmatam , vel propter solitam nequitiam Diaboli , qui divini verbi Präcones mille artibus inseccatur ; multi fuerunt a multis contra Mendiburum rumores disseminati. Volebat ille, pro ferventi suo in Deum amore, non solum peccata tollere, sed peccatorum etiam radices evellere, atque omnem peccandi occasionem , quantum posset efficere , penitus amoliri . Ac multis quidem in locis conata sua perfecit , inductis populi Magistratibus, ut in ea sedulo invigilarent, quæ possent aliquam moribus adducere corruptelam . Sed cum in eo frequentes occurrerent difficul-
tates ,

tates, in multorum offensionem incurrit, qui Mendiburum arguebant imprudentiae, ac novarum rerum molitorem appellabant. His parum commotus fuisse, cum sciret eam esse Apostolici ministerii conditionem, ut qui strenue pro Dei causa laboraverint, male apud multos audiant; nisi animadvertisset aliunde, prædicationis suæ fructum ex conflata sibi invidia, tanquam ex Diabolica fraude præpediri. Destitit ergo ab urgendis quibusdam coeptis, quæ, licet utilia essent, minus tamen erant necessaria: conciliatisque paulatim animis, copiosiorem exinde laboris sui fructum collegit. Ad se accedentem populi cum gaudio suscipiebant, ac discedentem prolixa gratiarum actione, imo etiam veneratione prosequebantur propter perceptas illius opera utilitates, et observata virtutum ejus clarissima exempla. Hoc modo Navarram lustravit universam, et maximam Guipuzcoæ partem, quæ Pompelonensi paret Antistiti: nec solos Cantabrigi sermonis adibat populos, sed oppida etiam, et urbes, in quibus linguae Castellanae vigebat usus. In his locis per annos triginta unum multa eum fecisse constat, multaque perpessum, ut diœcesim illam ad Christianarum legum formam componeret, atque ad insignem pietatis cultum excitaret. Quod si fuisse diligenitior aliquis, qui peregrinationum ejus cœmites, cum adhuc vivebant, consuluisset; non pauca sine dubio sciremus, quæ supra communem illam famam singularem Mendiburo adderent commendationem.

Nonnunquam extra diœcesis Pompelonensis fines excurrit, ut divini verbi semen spargeret: et ubique sui similis semper apparuit. Anno 1757 missus est Arnedum Rivogia urbem, ut eam concionibus, aliisque Societatis ministeriis per quadragesimam jejuniorum excoleret. Socius ei datus ad missionem illam Franciscus Xaverius Buelta, qui paulo ante Sacerdotium inierat: proptereaque indecorum ætati suæ reputabat, si in aggrediendis, sustinendisque laboribus, Mendiburum jam senescentem æquis passibus non sequeretur. Hac nobili tactus æmulatione, demandatam sibi provinciam constanter usque ad finem sustinuit. Idem tamen fatetur ingenuus, vix capere posse, in tam diurna laboriosaque occupatione quomodo vires sibi sufficerint. Mense Martio cum accensa latero-

laterna petebant templum , ut salutarem Hostiam offerrent: deinde solidum diem confessionibus excipiendis , habendis que concionibus ita erant distenti , ut pauca essent momenta reliqua , in quibus sibi suisque rebus vacare possent . Tanta erat civium , et advenarum frequentia , tantique in omnibus ad poenitentiam motus , ut Sacerdotes , ac seniores populi assenserent , nil unquam his simile contigisse ante illos quadraginta annos , in quibus semper duo Sociorum missi fuerant per idem tempus in eam urbem . Præterea honesta femina , ad quam ambo suis alendi expensis diverterant , cum videret quanta civibus bona ex eorum sudoribus obvenissent , nihil admodum neque pro facto sumptu , neque pro mercede pacta voluit accipere . Sed enim generosam hospitis largitatem Mendiburus haud minore dono rependit . Quidquid illi solvendum erat , in erigenda Congregatione sub nomine SS. Cordis Iesu totum impendit ; depicta ejus imagine , obtentoque diplomatice Pontificio , datis etiam legibus , aliisque perfectis , quæ ad integrum ac legitimam illius institutionem requirebantur .

Inde ad Autolenses , qui prope absunt , cum pertransisset , eos iteratis concionibus ferventissimis ad emendationem morum accedit . Expiatisque illorum animis , sine ulla intermissione laboris alteri se adjunxit socio , qui eum alio evocabat . Laurentium Uriartem Rectorem Collegii Lucroniensis magnis urgebat precibus Episcopus Calagurritanus , ut ad urbem Calcidam , quæ altera est Episcopi ejusdem sedes , missionem sacram susciperet . Is ergo , cum pro sua animi demissione tanto operi se imparem reputaret , Mendiburum accivit socium , a quo ea , quæ sibi deerant , supplenda esse sperabat . Orationes habuerunt in templo maximo , ubi aderat honorabilis Canonicorum cœtus , cui vim eloquentiæ suæ quam maxime probavit uterque Orator . Innotescerat hæc omnibus ex dolore , atque aliis animi sensibus , quibus perculti erant auditores , de quorum frequentissimo numero vix unus credebatur esse , qui peccata sua ad poenitentia tribunal non detulisset . De socio suo narrabat deinde Rector , subtristem se aliquando fuisse , cum eum dicere incipientem audivit ; quippe non eo ardore , quem fama vulgaverat , prædictus sibi esse viseretur . At vero , ut in oratione procedebat , ita exarsisse ,

atque ita omnia inflammasse, ut vel sibi sacrum quemdam horrorem incusserit. Postquam deferbuit Confessionum sextus, Rector ibidem mansit tantisper ad colligendas reliquias messis: Mendiburus Pompelonem rediens, primo die Navarretum ante prandium advenit, quod inde abest millia viginti octo. In opulenti viri domum exceptus, qui eum dies aliquot apud se habere desiderabat, nullis adduci precibus potuit, ne post prandium iter suum pergeret. Lucronii etiam expectabant illum Socii, ut qui tandem pro eo Collegio laboraverat, in eodem conquiesceret aliquandiu. Sed ille ab ea urbe deflectens, Vianam usque processit: et quanquam eo venit denso imbre madidus, postridie tamen primo diluculo Pompelonem versus contendit, declinatis semper his domibus, in quibus eum libenter, ac liberaliter exceperunt.

Cum primum ab expeditionibus sacris in suum Collegium revertebatur, omnia religiosæ disciplinæ subibat onera, nec solvi volebat legibus, aut aliqua indulgentia uti, quæ debita proculdubio est diurno labore defatigatis. A prima die surgebat cum reliquis ad orandum, cæteraque obibat promptus et publica, et privata quotidianæ vitæ exercitia. Sed et longo annorum cursu familiare illi fuit sesquihoram minimum ante alios e somno surgere, ut majora deinde spatia suis occupationibus inveniret: quem morem non ideo prætermittebat, quod diutius, aut enixius in excursionibus laborasset. Nimirum una erat Mendiburo requies, laboribus alias accumulare labores, vel quos ei majorum imposuisset imperium, vel quos ipse ad suum, et aliorum spiritale commodum desumebat sponte. Sive enim domi maneret, sive foras egrederetur, omnia sua consilia, et studia in Dei honorem, atque hominum salutem referebat. Hoc juvandi homines incensus desiderio, nonnullos scripsit libros, ut posterorum utilitati deseruiret. Edidit Cantabrice compendium doctrinæ Christianæ a P. Gaspare Astete conscriptum: librum etiam a se compositum de cultu Sacri Cordis Jesu: et tres alias, in quibus varia congescit argumenta, quæ Parochis magno usui erant, ad populum in solemnioribus anni festis erudiendum. In eundem finem scripserat, et jam prelo paratum habebat copiosum Catechismum tribus tomis distinctum, cum ejectus est in exilium.

lium. Neque ideo spem amisit illum aliquando sub alterius saltem nomine divulgandi, quippe qui suam in eo gloriam non querrebat, sed divinam tantum, et profectum animarum. Verumtamen nunquam potuit Catechismum illum in lucem emittere, quamvis multa cum incredibili diligentia tentaverit. Alia etiam opera ejusdem generis, quæ partim Cantabrice, partim Castellane composuit, similiter inedita reliquit.

His domi, aliisque laboribus intentus, constans erat in cubiculi colenda solitudine, a qua non eum quidquam facile removisset, præterquam obedientiæ, vel caritatis impulsus, vel etiam religionis studium, quo frequenter ad visendum in templo Dominum incitabatur. Ab hominibus vero invisendis longo tempore abstinuit, donec ratione munerum, quæ sibi demandabantur, nonnullos civium convenire cœpit, ne notam incurreret inurbani. Sed ejusmodi visitationes et infrequentes erant, et breves, et sermonibus pietatem redolentibus sine fastidio conditæ. Quanquam ut ad pietatem moveret omnes, satiis erat Mendiburum vel nihil loquentem intueri. Per urbem aperto incedebat capite, demissis plerumque oculis, incessu gravi, totoque corpore tam modeste composito, ut animum ad superna sublatum, et cum Deo familiariter agentem iudicaret. Externorum convivia, dum manebat in Collegio, recusabat; nec domi gustabat quidquam extra designata refecctioni tempora. Cœnam vero jam diu sibi interdixerat, antequam iret in exilium, in quo ne tum quidem ab ea consuetudine recessit, cum in obsidione Calviensi Sociorum prandium oryzæ ferculo elixæ aqua sine conditura alia, et pane nautico finiebatur. Quo tempore Theologiam profitebatur, ictero laborare cœpit, a quo nunquam plene convaluit. Cum autem morbum illum irritari frigida expertus fuisse, et vino non nisi modice admodum uteretur, deinceps aquam calefactam igni semper adhibuit: quod in æstate præsertim oportet ei nimium fuisse fastidiosum. Huic cibi, et potus moderationi duriores adjunxit castigationes corporis, ut melius castimonizæ candorem tueretur. In exilium profecturus, licet alia reliquerit, secum tamen adduxit cilicia quædam hirsuta, aliaque cuspidibus intexta ferreis, et flagella, quæ post illius obitum inventa, non otiosa fuisse indicabant. Nihil aut in vestibus,

aut

aut in cubiculi supellectili , aut in cæteris ejus rebus apparebat, quod a perfecta religiosi virti paupertate descisceret . Remunerations pro concionibus accipere non volebat : atque ut longius ab eo periculo abesset , constituit orationes Panegyricas non habere , pro quibus decreta esset aliqua compensatio . Neque alias id genus orationes dixisse constat , nisi quas ei Superiores demandarunt . Vir quidam primarius , cui Mondiburus in extremis adfuit , ut grata memoriam monumentum aliquod exhiberet , chocolati aliquot pondo , et nescio quid aliud eidem reliquit : nulla tamen ratione , ut aliquid acciperet , ab eo potuit impetrari . Tabaco non utebatur , neque colorato muccinio , sed candido contentus erat , quod tribuebatur omnibus in commune . Ex librorum editionibus nihil in sui commodum derivavit : si quid inde percepit , totum in Dei gloriam , et Sanctorum cultum , et animarum salutem creditur impendisse .

Inter alia , quæ ad augendum honorem Dei egit , singulari usus est diligentia in promovendo cultu Sacratissimi Cordis Jesu . Id in suggestu , et tribunalí pœnitentiaz , id in publicis , ac privatis colloquiis inculcabat , ut omnes ad inexhaustum illum fontem compelleret , unde copiosi , ac suavissimi gratiarum latices scaturiunt . Per Navarram , et Guipuzcoam innumeratas pene Congregationes erexit , quas solitus erat iis aggregare , quæ institutæ jam erant sub denominatione Sanctissimi Sacramenti , ut se juvarent invicem , et ad pietatis emulationem accenderentur . Annis aliquot antequam discederet ab Hispania , monuit eum pia femina , ut in his fundandis Congregationibus properaret , quoniam futurum erat , ut id deinde non posset efficere . Fidem admonenti habuit , quippe cui Deus futura quadam , longeque absentia non semel dignatus est revelare . Itaque operi promovendo instituit , quod , superveniente postmodum exilio , diutius urgere non potuit . Ipse in cultu divini Cordis delicias suas habebat repositas , variisque religionis actibus amorem , quo in illud ferebatur , manifestabat . Novem continuos dies per menses singulos illius dicabat cultui , ut etiam primam feriam sextam cujusque mensis . Præter reverentes Eucharistiaz adorationes , quas domi manens sæpe iterabat , dum iter ageret , ac templum aliquod pro-

cul aspiceret, in hunc, aut consimilem affectum erumperebat: *Adoro te, Domine, tibi que me totum offero, et immortales ago gratias pro donis, quae a sanctissimo Corde tuo recepi, præser-tim in angustissimo altaris Sacramento.* Divinis quotidie ope-rari ne Calvii quidem, ubi summa erat difficultas, nisi mor-bo impeditus, prætermisit. Recurrentibus præcipuis Christi my-steriis, præcipuum quoque adhibuisse studium, ut ea memori animo recoleret, ex his licebit arguere, quæ fecit Sebastianopo-li, proxime ejiciendus ab Hispania. In illius urbis Collegio, et in Collegii angustissimo spatio conclusi fuerant Guipuzcoani, Na-varræque Socii omnes, dum instruerentur naves, quibus trans-vehendi erant in Italiam. Nemini ad templum patebat aditus: solumque post iteratas per dies aliquot preces permisum est, ut in Sacello interiore rem divinam facerent, et in eodem sanctissimum Sacramentum asservaretur. Huc sœpe accedebat Men-diburus: et adveniente feria quinta sanctioris hebdomadæ, cum duobus e suis intimis, qui libenter illi assenserunt, vigiliæ acerbissimæ illius noctis ita divisit, ut semper eorum aliquis ante aram assisteret. Sed longiorem noctis partem sibi reser-vavit, in eaque magnis doloris, et commiserationis affectibus prosecutus est Dominum, et sanguineo sudore madentem, et a discipulis derelictum, et ab inimicis crudelissime habitum, et innumeris saturatum opprobriis.

Ex hac Passionis Domini, cæterorumque beneficiorum ejus attenta meditatione tum alios virtutum fructus, tum ma-xime constantiam in laboribus reportavit, quam nullæ res dif-ficiles, neque diuturnæ calamitates exilii perfregerunt. Dilec-tus inter suos, et a civibus honoratus, vitam Pompelone a-gebat juvandis intentam animis, cum decreta fuit Hispanæ Societatis proscriptio. Doluit eam universa civitas, quæ So-ciorum erat benevolentissima: multique Mendiburi præsertim doluerunt desiderio, inter quos fuit Episcopus Miranda, qui eo moderatore spiritus utebatur, et ab eodem auxilium ingens sperabat in ultima vita clausula, quam longæva ætas, et in-firma valetudo jamjam imminentem denuntiabant. Mendiburu-s ad exequenda jussa Regis constanti se animo accinxit, et sereno vultu demandatam profectionem arripuit. Quanquam vero communis ubique locorum fuit prompta hæc animorum

ad

ad obediendum Regi submissio, quiddam tamen in Mendiburo singulare habuit, si negotia, quæ præ manibus habebat, spectaveris. Etenim præter Gatechismi editionem, quam propediem erat inchoaturus, novi templi molitionem in Collegio Pompelonensi, et Exercitiorum domum in eadem urbe meditabatur. Utrique operi perficiendo copiosam ei numerum summam obtulerant amici duo propter insignem de illius virtute conceptam opinionem. Ad structuram templi multas cum labore multo superaverat difficultates: sed tandem cum expedita essent omnia, de admovendo manum operi jam agebatur. Exercitiorum constituendæ domui multo graviora intercesserunt obstacula: fortasseque malus Dæmon, gravem inde perniciem sibi extimescens, omnes vaferimi ingenii vires ad impediendam subtractionem illam intendebat. Erigenda enim erat domus, ubi Exercitiorum ipse auctor Ignatius, dum strenue pro tuenda urbe dimicat, æneo globo percussus concidit: quo in loco sacra quedam Basilica jam pridem in honorem ejus fuerat structa. Id, credo, et invidi hostis acrius urebat oculos, et Mendiburi diligentiam exacuebat impensis. Ut is facilius ea expediret, quæ maxime obstare credebantur, Matrium profectus fuerat cum literis, in quibus Magistratus urbis, atque ipse arcis Praefectus Bernardus Oconor Phalius pro testimonio affirmabant, ædificium illud nihil obsfuturum esse propugnaculo arcis, quod a Regina nomen habet. His literis, suaque adjutus efficacissima industria, rem illam pro votis absolvit: ad eamque feliciter conficiendam, præter iterata cum aulicis colloquia, multam in divina ope imploranda perhibuit diligentiam. Imperialis Collegii Socii, inter quos bonum suæ virtutis odorem reliquit, de Mendiburo dicebant, in templo, ubi sæpe coram Domino prosternebatur, et ante aram Virginis Boni Consilii negotia sua, ut bene procederent, pertractare. Sed Pompelonem vix dum regressus fuerat, cum ad conatus familij cujusdam religiosæ, quæ illa ædificatione violari sua jura contendebat, omnia fere sunt abrogata, quæ Matrii obtainuerat Mendiburus. Hic ergo in angusto spatio, quod sibi relinquebatur, domum ædificare constituit. Dum hæc cogitat, pia illa femina, de qua paulo ante me minimus, certiore illum reddit, Asceterium eo tempore

non esse ædificandum ; deinde vero melius quam pro hominum opinione constituendum . Nec multi abidere dies , cum Mendiburus , quippe jam inclinatis Societatis Jesu rebus in Hispania , jussus est ab ea construenda domo penitus abstinerere. Promulgato deinde universalis exilii decreto , perinde , ac si prænovisset , illud excepit : et quæcunque pro Dei honore , atque animarum salute peragenda suscepérat , cum prompta divinis ordinationibus submissione reliquit .

Cum primum extra mœnia urbis evasit , preces Lauretanæ Virginis præcinere occœpit , easque inter militum , et lictorum arma tam sereno vultu , et pacato animo absolvit , quasi ad annuntiandum Dei Verbum proficiseretur . Berastegui , quod postremum est Navarræ oppidum , populus convenerat in forum : et animosiores aliquot juvenes , solicite de Mendiburo inquirentes , ut illum conspicati sunt adventantem , in ejusdem laudes magnis clamoribus eruperunt . Conterruit hoc milites , et satellites , timentes scilicet , ne populus ille quidquam pro liberandis exilibus attentaret . Sed resedit eorum timor , cum Mendiburus juvenes illos nutu quodam ad silentium adest . Postquam in portum venit , Exercitiis S. Ignatii ad maritimum iter se comparavit . In longo autem exilii cursu vitam egit inter libros , et colloquia divina ita partitam , ut hæc perpetua illius occupatio dici possit , quantum quidem eidem licuit per incidentes rerum casus , quorum aliqui fuerunt turbulentissimi . Tunc enim ad consolandos , et erigendos Socios accurrebat , ut in accessu ad Corsicam , in descensu ad litus Calvii , in hujus obsidione , aliisque durissimis laboribus , qui per ea tempora frequenter occurserunt . Atque ad erigendos aliorum animos , paternam curam , ac beneficam providentiam rememorabat , qua Deus in afflictis rebus adest , et ab imminentibus malis eos gaudet eripere , qui de immensa sua bonitate confidunt . Itaque facile illi fore vel inter nuda illa saxe de necessariis sibi providere , et inter ingruentes calamitates , præsentissimaque pericula salvos , et incolumes conservare . Sic ille disserebat pro ingenita animi magnitudine , quam divina fovebat gratia , et solida illius virtus ad usum pro temporum opportunitate revocabat . Cætera solitudinis assiduus cultor , Deo vacabat , et studiis , quæ semper ad animarum

pro-

prefectum referebat. Hoc incitatus promovendæ pietatis desiderio, scripsit in exilio: Lectiones sacras pro Dominicis, aliisque Domini, et Sanctorum festis: Conciones pro novenis diebus ante solemnitatem Corporis Christi, ac S. Xaverii, et Commemorationem Defunctorum: Exercitia S. Ignatii multiplici commentaryum genere illustrata. Hæc omnia, et his alia quædam affinia tam diligenti accuratione scribebat, quasi proxime in lucem essent emitenda: quod licet efficere non potuerit, in eo tamen laudandus est maxime, quod talentum sibi traditum non sepelierit, et longum exilii otium honestissime collocaverit.

Postquam venit in Æmiliam, aliquandiu prope Bononiam habitavit, ab instituta ratione vitæ nunquam digressus, et a Superiorum voluntate regi se sinens, dum Societas mansit. Hac autem deficiente, intra urbem sese recepit, in eaque novam sibi solitudinem fabricavit. Ad viam S. Felicis parvam domum conduxit, in qua ad postremum fere spiritum manxit, ut ab omni mundanarum rerum tractatione disjunctus, ita etiam ab studio privatæ commoditatis abhorrens. In victu, et in vestitu, atque in habitatione ipsa strictiorem, quam antea, paupertatem servavit. Neque id dura necessitate coactus fecit, sed nobiliore motus impulsu, quo vilia quæque et aspera amplectebatur, pretiosa vero, et commodiora pro Dei amore respuerat. Nec volebat pro dicendo Sacro stipendum accipere: et quæ ab Hispania nonnunquam ei remittebantur, omnia inter egentes Sacerdotes distribuit. Alia vero subsidia, quæ interdum ab amicis, et benevolis accepit, ita pauperibus impertiebatur, ut aliquid ad emendos libros, vel ad pios usus reservaret, nihil tamen insumeret in lautiore victu sibi compارando. Ad S. Mariæ de Caritate, cum primum fores aperiebantur, promptus quotidie aderat: templumque ingressus, horam dabat sacræ meditationi. Missam legebat graviter, reverenter, et exacte, sine fastidio tamen audientium: gratias Deo attente, cumulateque agebat: indeque domum reversus, in ea legendo, scribendo, precando perseverabat. Posterioribus annis Sacrum multo mane faciebat in Oratorio, quod, obtenuta facultate, domi suæ constituit. Aliquoties prodibat domo, vel ut tantisper extra urbem spatiaretur, vel ut intra illam tem-

templa quædam inviseret , eaque præsertim , in quibus expo-
sita erat imago sacri Cordis Jesu. Ipse etiam unam ex his
imaginibus in quodam templo collocavit : sed quanto lætius id
ficerat , tanto ægrius deinde , nescio cur , jesus est eam tollere.

Huic insistebat vivendi formæ , cum ineunte anno 1782 ,
quasi eum postremum sibi fore præsagiret , de peculiari ad
mortem præparatione serio cogitavit . Exercitia S. Ignatii an-
te festum Virginis Purificatae diligenter peregit . Et quanquam
alias , dum his vacabat exercitiis , solum præcedentis anni lap-
sus in confessione aperiebat , nunc totius vitæ seriem Sacer-
doti detexit , atque animum exquisitiore indagine repurgavit .
Nullam tamen mortalem culpam in longo annorum septua-
ginta quatuor spatio ex ejus confessione Sacerdos ille depre-
hendit : quod et singularem Dei misericordiam , et pervigi-
lem Mendiburi diligentiam in explendis divini obsequii parti-
bus æque demonstrat . Deinde de rebus suis , tanquam proxi-
me decessurus , prudenter , ac religiose disposuit . Vestes , et
alia quædam e modica supellectili , post mortem suam paupe-
ribus eroganda reliquit : neque illorum oblitus est , qui secum
in eadem domo vixerant , eique ministraverant . Hæc bene va-
lens effecit , neque ullo pertentatus indicio gravioris morbi ,
quem non nisi post quintum fere mensem incurrit . Medio e-
nim Junio Sacerdos , quem habebat a confessionibus , sub ves-
perum ad eum de more veniens , ut confitentem audiret ; se-
dentem intra cubiculum reperit , suique satis compotem ; sed
adeo viribus destitutum , ut e loco movere pedem non pos-
set . Accitus statim Medicus inter fermenta languenti admove-
nda corpori , salutarem animi cibum jussit etiam afferri , eadem-
que nocte roboratus est sacro Viatico . Deinde visus est pau-
latim vires resumere , et antequam malum gravius invalesceret ,
translatus est in domum aliam , ubi commodius ipse haberri pos-
set , et facilius a ministrantibus inserviri . Hic denuo ingra-
vescente morbo , ad extrema devenisse credebatur , ideoque o-
mnibus decedentium præsidii munitus est , semperque ad ejus
lecti caput Sacerdotes diu , noctuque adfuerunt . Sed tamen ,
mirante Medico , ultra dimidiatum mensem cum morbo lucta-
vit : quo tempore tursum Christi corpus accepit iis amoris ,
reverentiazque affectibus , quos illi singularis pietas erga divinum
illud

illud mysterium suggerebat. Dum in lecto jacuit, multi ad eum inserviendum constanter accurrerunt: omnesque Mendiburi patientiam suspiciebant, magnanimumque silentium, quo dolores, cæterasque morbi molestias tolerabat: perfectam cum Dei voluntate ad quælibet perferenda conformatiōnem: pacem item, atque immotam animi serenitatem, qua mortem accēdētēt aspexit. Hæc illum tandem incessit pridie Idus Julias, quæ octava dies erat post festum S. Firmini Episcopi, et Martyris, Patroni dioecesis Pompelonensis, totiusque regni Navarræ: quem Mendiburo viventi, morientique adfuisse, dubitare non licet, ut labores ei rependeret, quos suscepērat pro juvandis animis suæ clientelæ commendatis. Illud etiam observarunt aliqui, Mendiburum paulo ante diem festum Purificationis Mariæ, sub cuius mysterii titulo Congregationem Aloysianam primariæ Congregationi Romanæ aggregaverat, præparationem ad bene moriendum inchoasse. Unde credibile reputarunt, eam illi-mentem a purissima Dei Mitre injectam fuisse, quæ fidelibus ejus servis, inter alia continua beneficia, hanc maxime singularem gratiam impetrare solet, ne illos mors occupet imparatos. Perillustris femina Gentilis Oretti de Arnoaldis, cujus cæteras egregias dotes pietas, et prudētia superabant, Mendiburi morte cognita, cui viventi per annos aliquot ad sacrificium Missæ liberaliter vinum subministraverat, nonnihil eorum, quæ reliquerat, postulavit in memoriam tanti viri, quem ipsa singulari veneratione prosequebatur. Obtentoque sigillo Christi confixi, quo Mendiburus usus fuerat, hoc illa pectori applicitum subtus thoracem gestavit semper, donec extērnum diem clausit.

VINCENTIUS IRAOLA.



B easaini natus est in Guipuzcoa tertio Nonas Majas , anno 1738. Quamvis in lustrali fonte denominatus fuerit Antonius Vincentius , deinde tamen solo Vincentii nomine ab omnibus appellabatur. Et ipse , dum grandior esset , vel sola sui nominis recordatione ad frenandos naturæ motus incitabatur , id sibi frequenter inculcans: *Vince te, Vincenti.* Hujus virtutes adolescentis Marchionibus de Valmediano , Hispaniz Magnatibus , usque adeo probatæ fuerunt , ut illum in domum suam invitaverint , ut impuberes ipsorum filios et domi , et foris comitaretur , ac teneros eorum animos exemplis morum optimis imbueret , consiliisque prudentibus informaret. Id ille cum magna genitorum approbatione , parique utilitate natorum effecit. Sic enim eorum invigilabat institutioni , ut neque innocuos ipsorum lusus fastidiosus interturbaret , neque ad ea dilabi permitteret , quæ generosam eorumdem conditio- nem dedecerent: ac semper cum juvenili quadam gratia pru- dentiam vere senilem ita conjunxit , ut incertum esset , nobiles illi pueri anne magis illum amarent , an vererentur . Cum eis deinde Vallisoletum profectus est , ubi intra Collegium S. Albani hospitio recepti , operam latinis literis in Ambrosiano dederunt: ipseque ibidem philosophica instauravit studia , quæ jam inchoaverat Cæsaraugustæ .

In Guipuzcoam regressus , de vitæ statu eligendo delibe- ravit. Atque ut rem summi momenti ea , qua par est , dili- gentia perpenderet , divinis meditationibus , quibus jam tum assuetus erat , diutius voluit insistere. Per dies aliquot S. Ignatii vacavit Exercitiis , quæ illis sunt utilissima , qui consultant de vitæ genere diligendo . Meditationibus , ac precibus nonnullas etiam adjunxit afflictiones corporis , quas jam per id tempus usurpabat , ut majus de cœlo lumen acciperet ad id considerate statuendum , quod Deo gratissimum esset , sibique

ma-

maxime conveniret. Spem habere poterat minime dubiam pinguem quoddam Sacerdotium obtinendi, quo vitam in patria degeneret satis commodam. Verum nihil ideo remoratus est, quominus supernis impulsibus obtemperaret, quibus ad amplectendum vitæ genus incitabatur, in quo posset multorum æternæ saluti naviter adlaborare. Atque id potius fuit, quam desiderium mundi hujus pericula declinandi, quod eum tandem impulit, ut Societatem Jesu peteret, signanterque provinciam aliquam Indicam, in qua suam laborandi pro Christo sitim expleret. Generosum hunc animum hauserat ex frequenti literarum lectione, quas Missionarii Societatis e remotissimis mundi partibus ad amicos in Europam mittebant. Perspectisque fructuosis laboribus, quos ubique pro Dei gloria, et animarum bono suscipiebant, ad illorum sequenda vestigia vehementer exarserat. Et quanquam aliorum suasu ab hac missionis Indicæ petitione destitit, tamen quod in animo cogitaverat, non ita abjecit, ut nollet illud urgere, cum primum opportunitas occurrisset. Obtenta Præpositi facultate, ut Castellanæ provinciæ Sociis adscriberetur, iter Villagarsiense, quod erat passuum ducentorum millium, pedibus decrevit agere, ut viarium suarum ad profecionem Indicam periculum faceret, ac fortasse etiam ut S. Stanislauum Kostkam imitaretur, cuius gesta non ignorabat, cum esset in Sanctorum legendis Vitis, præsentimque Societatis, bene versatus. Sed illorum jussu, qui super eum potestatem quasi patriam habebant, ab hoc etiam debuit conatu recedere.

In tirocinium cooptatus anno 1764, vigesima prima Junii, S. Aloysii consecrata solemnis, illum æmulari studuit in elevatione mentis ad Deum, in reprimendis naturæ motibus inordinatis, et in exacta regularum observatione. Præsentis Dei memoriam tutissimam reputabat viam, eandemque brevisimam ad affectiones animi componendas, declinando errores quoslibet, et in singulis actionibus divinæ Majestati placendum. Societatis legibus velut totidem adminiculis ad obtinendum perfectionis culmen utebatur, ideoque vel in minimis custodiendis erat exactus. In adulta jam ætate ad omnes tirocinii mores se ita composuit, ut adolescentulis par esset in animi simplicitate, et majorem, quam habebat, maturitatem

judicij, ad exequenda omnia promptius, perfectiusque conserferet. Habuerat in patria consuetudinem cum P. Augustino Cardaverazio: et quæ tum ab optimo sene, et expertissimo virtutum Magistro didicerat, multum ei deinde profuerunt ad religiosæ vitæ cursum et recte ineundum, et constanter persequendum. A tirocinio Methymnam venit, ut tertium Philosophiæ curriculum inchoaret, quod tamen ibidem absolvere non potuit. Nam quinto post mense longiorem alium, multoque difficultorem ingressus est laborum cursum, in Italiam cum Sociis omnibus relegatus. In eo itinere suas esse partes duxit cæteris inservire, nullumque detrectare ministerium, quamvis arduum, ac vile, in quo posset suam erga fratres caritatem exercere. Calvii autem inter alia caritatis, ac demissionis officia, munus purgandi latrinam sibi desumpsit, quod in eo rerum statu non nisi cum insigni patientiæ, atque humilitatis exemplo poterat exerceri: nam sordes immissæ in diolum ad mænia usque deportandæ erant, indeque in mare projiciendæ: neque enim alia ibi erat ratio domesticæ munditiz procurandæ. Id vero adeo non fastidiose exequebatur, ut constanti, ac diligenti cura in eo labore perseveraverit.

E Corsica in continentem Italiam transmissus, theologicis studiis initium dedit Panzani, Bononiæque finem imposuit: ac sicut eis tota animi contentione semper incubuit, ita copiosum diligentiaæ suæ fructum percepit. Multam eo tempore operam posuit in lectione sacræ Scripturæ, adhibito selectorum Interpretum subsidio, multaque inter legendum annotabat ex iis præsertim, quibus misericordia in pauperes, et caritas erga cæteros homines commendatur: quarum illam, dum sui juris erat, liberaliter exercuit; hanc vero per omnes vitæ gradus diligentissime coluit. Valde illi familiare fuit ad aliorum obsequia currere, quamvis ea non sine proprio præstanda essent incommodo: sed illa sponte adeo, gratiouseque præstabat, ut nihil jucundius evenire sibi posse videretur. Dum Panzani degeret, curam suscepit excitandi eum a somno, qui cæteros erat excitaturus: aliaque id genus libenter subibat onera, ut alienæ serviret utilitati. Cum multa de linguis vitiis, ac de facili verborum lapsu legisset in libris sacris, singulare ad custodiā oris usus est diligentia: omnes.

mnesque in illius sermonibus observabant affabilem comitatem, et attentam, ne quem verbo laderet, circumspectionem. Siquis vero aliquam ei molestiam intulisset, cum illo omni officiorum genere ita decertabat, ut non solum aversi animi suspicionem tolleret, sed eidem quoque persuaderet, strictæ amicitiæ vinculo sibi esse devinctum. Secundum sacros Codices maximo in pretio habebat summarium Constitutionum Societatis, Exercitia S. Ignatii, eorumque Directorium. Admirabilem Exercitorum librum, eidemque addita commentaria diligent evolvebat studio, atque ut pleniorum eorum intelligentiam assequeretur, frequentem de his sermonem infrebat. In Constitutionibus observandis tantam adhibuit diligentiam, quantam is, qui et studiorum socius, et consiliorum ejus particeps erat, hisce verbis protestatur: *Vincentius Iraola vivum mibi nostrarum legum exemplar videbatur: diuine in studiorum tempore, ac deinde cum eodem versatus, nullam ab eo memini fuisse unquam violatam; quamvis non raro ardenter mea indoles, in Thologiae, et Scriptura questionibus agitandis, illius patientiam, ac modestiam satis acriter pernigreret.* Ad eam observantie perfectionem obtinendam multum incitabatur ex diviræ præsentiz recordatione, quam ab tirocinio fovere cœperat, ac deinde alere non prætermisit. Silencio, ac solitudini, quatenus integrum sibi esset, constanter deditus, quoties inde ad alia quævis opera evocaretur, adeo intentus erat animi, et corporis motibus componendis, ut facile nosceretur, Deum ubique præsentem intueri. His ad sublime Sacerdotii munus bene comparatus, illud ex obedientia suscepit ab Episcopo Britonensi anno 1770, die 17 Junii, quæ secunda erat Dominica post Pentecosten.

Absolutis jam studiis, missus est Castrumfrancum, ut tertiam ex jure Societatis probationem subiret: atque in eodem loco ad extreum vitæ diem perseveravit. Quoniam juvēnes, qui probandi erant ibi, consuetis olim ministeriis exerceri non poterant, Vincentius non unam tentavit viam, ut ardenti juveni animos desiderio aliqua ex parte satisfaceret. Ac primum pauperibus immixtus, qui frequentes ad Sociorum domum, ut eleemosynam acciperent, stata hora quotidie conveniebant; nunc hos, nunc illos in rebus fidei, Christiani-

que hominis officiis instruebat , eisque salutaria consilia ad vitam recte instituendam dilargiebatur. Deinde veniam a Superiori petiit, ut , cum tertia probationis juvenes deambulatum prodirent, ipse cum altero ad agrotantium rusticorum domos posset excurrere . Quod cum obtinuisseisset , infirmos invisebat agricolas, verbisque suavissimis solabatur , ac rationem , qua fructum e morbo caperent , edocebat . Dum autem iidem juvenes recreationi vacabant domi, bonam illius partem , annuentem Superiori , tribuebat ipse meditationi . Præterea , eodem caritatis impulsu ductus, per dies festos ad militare nosocomium Urbanæ arcis progrediebatur, ut Missam coram agrotis militibus gratuito celebraret: neque illum ab hoc itinere deterrebat aut hibernæ nives , aut frigora , quæ nimium rigida eo anno acciderunt. Cupiebat etiam vehementer Archipresbytero illius oppidi suam operam polliceri , ad instruendos in templo pueros , cum ii Dominicis diebus per varias tributi classes in fidei rudimentis erudiebantur: vel certe ad legendum librum aliquem e suggestu , dum populus , finita jam catechesi , donec Vesperæ inchoarentur , expectabat . Sed cum hæc propter difficilem temporum conditionem Rectori suo non probarentur , statim ab incepto recessit, perindeque acquievit, ac si conata perfecisset . Ad aliud vero misericordiæ opus aggrediendum , nullam repulsam tulit . Obierat quidam infans, quem sepulcro inferre , absente tunc Vespillone , nemo alias audebat . Cum id Vincentio innotuisset, Rectorem adiens , facultatem ab eo facile obtainuit, ut adjuvante alio Sociorum , munus illud sepeliendi mortuum obiret, quod tantopere in sacris literis commendatur . Ac fecisset quidem , nisi , quo tempore in templum venit , Vesillo etiam supervenisset , qui ei meditati operis perficiendi occasionem præripuit .

Tertium probationis annum jam pene absolverat , cum indicta Societatis abolitione , mutavit habitum , in quo semper modestiam cum decore Sacerdotali retinuit. Cæterum e veteri agendi ratione nihil admodum inimutavit ; nisi quod , ab regulari disciplina jam liber , frequentior in templo aderat , nunquamque sacris functionibus non intererat , quæ in eo celebrarentur . Domi suæ vel Scripturam sacram , vel Ecclesiasticam historiam , vel Theologiam morum tanta versabat assidui-

duitate, ut in his omnibus peritiam adeptus sit non vulgarem: atque in paucis etiam temporum spatiis, quæ necessariæ dabat animi recreationi, nullum præ iis jucundius argumentum cum amicis pertractabat. Neque id eruditionis ostentandæ causa efficiebat, aut ob eam, quæ in sciendo est, honestissimam voluptatem; sed propter alium altiorem finem, quem in animo volvebat suo, et qui deinde aliqua ex parte innotuit. His nempe studiis eo respiciebat, ut habilem sese redderet ad animalium salutem utiliter procurandam, tum Sacramentis administrandis, tum etiam divini verbi prædicatione exercenda. Eadem de causa multum studium contulit ad Italicam ediscendam linguam, et proprietatem cognoscendam dialecti Bononiensis, quam ut facilius assequeretur, opportunam ibidem nactus est occasionem. Abeuntibus alio juvenibus, quibuscum hactenus Castrifranchi degerat, ipse in eadem domo remanserat cum Sacerdotibus provectioribus, qui pridem in Societate professionem emiserant. Ab eis postmodum ex novo decreto separari jussus, ad quemdam accessit Italum, qui fuerat ex Adjutoribus Societatis in provincia Veneta, modoque sedem fixerat Castrifranchi, ubi libenter Vincentium nostrum in contubernalem admisit. In quotidiana cum eo, ac domesticis consuetudine, atque in sermonibus, quos inter visendum ægrotos cum popularibus conserebat, multam brevi notitiam vernaculae linguae comparavit. Post hæc, ex illius consilio, quem in conscientia arbitrum delegerat, facultatem obtinuit Romæ, ut posset ab Episcopis ad excipiendas confessiones adhiberi: ac tandem Archiepiscopus Bononiensis post prævia pericula potestatem illi concessit, ut in Archipresbyteratu Castrifranchensi confessiones audiret.

In eo exercendo munere, duo sibi præstituit observanda, a quibus deinde nunquam recessit. Primum, ne munuscula propter auditas confessiones acciperet, neque illam quidem pecuniam, quæ stipendiæ nomine pro dicendo Sacro ea sibi occasione offerretur. Alterum, ne unquam illorum adiret limina, qui peccata sibi confiterentur; nisi aut infirmi essent, aut ab eis nominatim arcesseretur ad agendum de rebus animali; cum alia quævis negotia pertractare non vellet. Quoties pedem efficeret domo, vel tendebat in templum recta, vel in ægro-

ægroti alicujus ædes, vel interdum etiam in agrum, ut cum antiquis sociis ad brevem horam spatiaretur: quanquam ab eorum comitatu in ultimis præsertim annis sæpiissime discedebat, ut ægrotantes ruricolas visitaret. Nusquam constantius perseverabat, quam in destinata confessionibus sella, in qua jam inde ab initio quatuor, aut quinque perstabant horas per eos dies, in quibus frequens populus ad solemniora festa accurrebat. Deinde vero frequentiam confiteri expertentium assiduitate sua sic ille auxit, ut in plerisque diebus festis multis continenter horas pro tribunali sacro sedere cogeretur. Nam præter Castelli incolas, cum Vincentii caritas circumquaque breviter innotuisset, multi etiam e vicinis pagis, atque alii, qui Mutinensi ditioni suberant, ac Nonantulæ, ad illum pro exoneranda conscientia deveniebant. Aucto notabiliter numero pœnitentium, Missam in diebus festis sub auroram celebrabat, ut diutius audiendis insisteret confessionibus. Atque ita huic instabat operi, ut non illud abrumpere jentandi causa, quod ne aliis quidem diebus solitus erat efficeret: solumque per brumæ frigora, quæ non parum ejus valitudinem immutabant, jentaculum interdum desumebat ex Confessarii sui jussu, cuius ductum in omnibus sequebatur. Non nunquam e templo redibat domum, cum designata prandii hora jam præterierat: ac tunc humiliter orabat socios, ut sero advenienti vellent ignoscere; non enim sustinuerat quosdam agricolarum ab se rejicere, qui venerant ex longinquo, et non æque bene pasti, atque ipse, toto mane dum aures eis præberet, jejuni expectaverant. Ex occasione Missionis sacræ, quæ per id tempus eo loci fuit habita, infatigabilis ejus labor in administrando pœnitentia Sacramento vel ipsis Missionariis admirationem injectit. Ex iis utus, qui confessiones hominum in Oratorio quodam publico simul cum Vincentio excipiebat, indefessam ejus constantiam demirabatur: ad eamque alludens, facete deinde ajebat, se tantum non enectum ab illo fuisse; quia, cum videret eum ad multas horas in sua sede perseverantem, non audebat ipse locum deserere, quamvis longo labore defatigatus. Sed Vincentius non tantum in ade sacra, verum etiam domi suæ audiebat non paucos, qui ad eum veniebant noctu, ut peccata sua confessione expiarerent.

rent. Veniebant autem in quolibet anni tempore, maximeque in Paschalibus festis, et oppidani diversæ classis, et arciis Urbanæ milites, quos omnes libenti animo exceptos, beneque instructos, sic dimittebat, ut denuo ad eum reverti non detrectarent. Denique in hujus ministerii exercitio adeo strenue, atque utiliter laboravit, ut frequentiam Sacramentorum apud eum populum auxerit non solum in diebus sacris, sed in multis etiam profestis, in quibus Mariæ Virginis festivitates, aut quorundam natalitia Sanctorum aliquo peculiari cultu ibidem celebrabantur. Idemque fiebat in prima feria sexta cujusque mensis, quæ ipsius industria jam ibi habebatur religioni dicata Sanctissimi Cordis Jesu, cuius pictam imaginem in templo curaverat collocandam.

Decursu temporis, consentiente Ministro regio, licuit tandem Vincentio cum Hispanis exilibus habitare, a quibus antea discedere coactus fuerat. In illo nacti sunt amabilissimum socium, ac pene dixerim servum ad ministeria quæque promptissimum. Continuo suscepit ipse curam administrandæ domus: et quidquid laboriosum, vel abjectum occurreret efficiendum, sponte ille aggrediebatur, expediteque perficiebat. Siquis autem aliquo valetudinis incommodo afficeretur, ad fereendum auxilium ita erat promptus, ut nihil fastidio haberet, seu medicanda forent ulcera, sive alia quævis officia essent obeunda. Unde ajebat quidam, videri sibi Vincentium sensibilem quamdam animi voluptatem in tractandis infirmis, eorumque infirmitatibus sublevandis invenire, in eoque jucundissime delectari. Erga illos porro de populo, qui morbo corripiebantur, quanta esset ejus caritas, paulo ante vidimus. Sed postquam Confessarii munus obire coepit, multo frequentius ægrotantium subibat tecta, ut illorum necessitatibus subveniret. Neque ab iis tantum evocabatur, qui benevalentes, apud ipsum confiteri consueverant; sed ab aliis etiam, qui nunquam acciderant ad ejus pedes, audierant tamen a domesticis, vel amicis quantum ex Vincentii consiliis in simili vita discrimine profecissent. Aderat ille omnibus incunctanter, et post auditam eorum confessionem, quamvis procul in agris degerent, iterum, ac saepius revisebat, diuque ad lectum illorum sedens, dulcissimis sermonibus recreabat,

et

et, si quidem ea indigerent, stipem etiam aliquam conferebat. Non defuerunt aliqui, qui hac ejus benignitate nonnunquam abuterentur. Contigit illi non semel, ut sub horam satis incommodam ad subveniendum alicui ægroto solicite vocaretur. Et cum e vestigio de more accurreret, in familiam miserrimam incidebat, quæ propter leve domestici alicujus incommodum illum ad se vocaverat, ut egestatem suam coram agnoscens, eam subsidio aliquo sublevaret. Vincentius et pauper erat, et amantissimus paupertatis: sed cum insigni etiam esset misericordia, teneri non poterat, quin aliquo modo egenorum inopiaz succurreret, vel recisis quibusdam sumptibus, quos nemo aliis superfluos duceret, ac plerique necessarios existimarent. Ex illa vero facile ignoscenda fraude, quam aliqui ad extorquendam ab eo stipem interdum adhibuerunt, nihilo cunctantior effectus est, quominus ad infirmorum domos, cum primum admoneretur, accederet. Illud utique molestum sibi fuit, et acerbum, quod a nonnullis in periculo mortis expeditus, morem eis gerere non potuerit, cum extra territorii essent fines, ad quos sua confessiones audiendi facultas restringebatur. In his fuerunt duo, qui eum iteratis urgebant precibus, ac palam fere protestabantur, nisi adesset ille, neminem alium ad expiandam delictorum conscientiam adhibituros. Vincentius ad eos veniens, prudentiæ, atque industriæ suæ vim omniem exeruit, ut eos a proposito dimoveret, tandemque illis persuasit, ut Sacerdotem alium, prout debebant, accirent: ac repetitis deinde visitationibus, repulsam, quam eis dederat, plenissime compensavit. Cæterum intra terminos Castrifranchi pauci admodum fuerunt, sub ultimis præsertim annis, qui Vincentium ad extremam horam non ad vocaverint, et quibus ille desideratam opem constanti caritate non tulerit.

Hic fere perpetuus labor excipiendi confessiones, et ægrotis opitulandi, nullum otium Vincentio relicturus esse videbatur, ut aliis rebus animum posset intendere; cum præsertim debili potius esset, quam robusta valetudine. Aliud tamen aggressus est opus, quod illi novam occupationum seriem adduxit. Sub optimi Sacerdotis disciplina simplicem canendi modum voluit ediscere: quem cum brevi tempore suffici-

ficienter edoctus fuisse, Choro deinde intererat psallendis Missis, ac Vesperis, aliisque functionibus celebrandis, quæ satis frequentes sunt Castrifranchi. Aderat etiam publicis supplicationibus, et cum ad infirmos sanctissimum Viaticum deferebatur, vel in templo impertienda erat populo benedictio: saxeque in aliis ejusmodi ministeriis vices gerebat Capellani absentis, aut aliter impediti. Quicunque illum tam multipli officiorum varietate fungentem intuerentur, infatigabilem ejus constantiam poterant admirari, qua laborum omne genus pro juvandis animis, et pro divino cultu exercendo libenter amplectebatur. Sed qui proprius Vincentii animum introspiciebant, inexplebile desiderium admirabantur, quo zstuabat ille, ut Dei nomen, et gloriam latius aliquando vel apud remotissimas gentes promoveret. Ab eo jam tempore, cum Societatem ambire cœperat, id illum in votis habuisse diximus: eamque mentem, postquam in exilium venerat, adeo non deposituit, ut frequenter de missione Indica verba faceret, aliquaque ad eandem expetendam inducere conaretur. Quantum quidem penes ipsum erat, ad Rusiam usque, si licuisset, pedibus iter agere non dubitasset. Cum audisset etiam nonnullos, qui de Societate fuerant, ad Sinas enavigasse, de aggrediendis mathematicis studiis egit, ut quæ faciliorem sibi aditum ad regionem illam poterant aperire. Sed cum eorum, quæ præ cupiditate plurimum Dei causa laborandi tentabat, nihil e sententia succederet, cogitationes suas omnes ad Americanam missionem convertit, quam verisimilius existimabat fore, ut aliquando posset obtinere: itaque relicto omni alio consilio, ad illam sese studuit diligentissime præparare. Huc igitur potissimum spectans (præter alia quæ in eundem finem effecit) laborem illum Ecclesiastici addiscendi cantus in ætate jam adulta suscepit. Audierat enim, et canendi usum, et quidquid ad sacrarum cærimoniarum attinet dignitatem, prodesse quamplurimum ad deliniendos Americanorum animos, eosque in obsequio Numinis continendos. Eadem de causa munia illa omnia, quæ Parochi propria sunt, ejusdemque Vicarii, diligenter perdiscere, ac frequenter exercere conatus est, ut ea deinde facilius, perfectiusque obiret, siquando voti sui compos efficeretur. Quod si desideria, dum

efficacia sunt ac sincera, non immerito factis annumerantur, sperare quidem liceat, Vincentio mercedem obtigisse Apostolicæ professionis ad barbaros, quam concupivit ardenter, ac nihil, ut eandem aggredetur, pro virili parte prætermisit.

Quoniam vero in illius ministerii exercitio, cui vehementer inhiabat, nulla re magis adjuvandum fore noverat, quam solidarum ornatu virtutum, his comparandis, et excolendis non intermissam curam adhibuit. Quantam ad perfectioris virtutæ studium, dum inter Socios viveret, contulerit diligentiam, in superioribus vidimus. Deinde autem ab antiquo vivendi more vix quidquam, præter habitum immutavit. Eadem illi examinandæ conscientiæ cura, pios legendi libros, meditandi per horam mane, vel certe vespere, quoties id propter confessionum frequentiam statu tempore non fecisset. Idem etiam studium domandi corporis, quod iteratis excipiebat verberibus per hebdomadam, dum liceret sine arbitris facere, saepiusque cilicio, vel catella ferrea perstringebat. In ciborum usu erat parcus: sed in reficiendo animo salutari orationis pabulo admodum liberalis. Præter matutinam meditacionis horam, frequenter in templo prolixe orabat antequam ad invisendos ægrotos iret, aut postquam ab eo, vel simili caritatis opere revertebatur. Ad peragenda S. Ignatii exercitia, quæ quotannis peragere nunquam prætermisit, de industria quærebat maxime opportunum tempus, in quo nullus recurreret dies festus, nisi Dominicus, ne confessionibus, aliisve functionibus sacris ab orandi studio præpediretur. Et tamen expletis octo diebus commentationum, alios duos superaddebat, ad compensanda, ut ajebat ipse, exercitiorum intertrimenti, quæ propter occurrentes alias occupationes plerumque solent intervenire. Hæc autem ad orandum propensio tanto erat in Vincentio laudabilior, quanto minus solatii, supernæque dulcedinis in exercitatione illa sentiebat. Ipsemet familiae suo fassus est ingenue, semper in oratione, vel fere semper ariditate laborare, nullumque suavitatis gustum sensibilem experiri: sed major ille ardor, adjunxit, et promptior animus, quem sentio deinde ad quælibet opera pro Dei servitio aggredienda, incitamentum est mihi maximum, ut orationi magis, magisque insistam, et opportunitates vacandi

Deo

Deo diligenter arripiam. Quod saluberrimum prudentis viri exemplum illi utinam simularentur, qui meditationis usum, nisi consolationibus ac lacrymis diffluant, tanquam parum fructuosum, nimisque difficilem abjiciunt!

In his, quæ ad religiosa vota spectabant, adeo nihil indulgendum sibi esse duxit, ut suam potius diligentiam intendisse videri possit. In externo vestiendi modo cum honestissimis, ac probatissimis ejusdem loci Sacerdotibus conveniebat. Sed quæ latebant intus, neque intuentium oculis objiciebantur, propria erant pauperis, et ejus, qui molliorem cultum, ac delicias omnes aversaretur. Posteriorem cujusdam vestis partem, qua dorsum, et brachia ultra cubitum obtiebantur, ex tela adeo rudi confici voluit, ut qui eam post Vincentii obitum vidit, cilicio parum absimilem reputaverit. Superfluas apud eum vestes non invenisses. Nam quæ sufficienter pro ratione status sui jam inservierant, atque interdum eas etiam, quibus adhuc decenter uti poterat, pauperibus largiebatur: ac pro sua erga illos misericordia, sæpe etiam inter socios rejectanea quærebant vestimenta, quibus multorum necessitati subvenit, vel ut defunctorum cadavera involverent, vel ut propriam obtegerent nuditatem. Illius quoque lectus, cæteraque supellex moderationem in omnibus, et paupertatis amorem indicabant. Cubiculi ornatus unica Crucifixi imago, et pauci aliquot libri, quorum plerique multo jam usu detriti. Ad castitatem tuendam, præter frequentem orationis usum, et corporis afflictiones, tantam in vultu, et in verbis præferebat modestiæ gravitatem, ut satis ea esset cæteris ad pudorem componendis. Hæc autem modesta gravitas tum eminebat maxime, cum suscepto Confessarii munere, feminas erat allocuturus: ante enim, nisi quadam inevitabili necessitate compulsus, ab earum colloquiis abstinebat. Deinceps vero, quoties verba cum eis faceret, severitatem potius, quamvis ab ejus ingenio alienam, quam familiaritatem exhibebat: nec pluribus, quam opus esset, rem quamque agebat, neque deinde in alicujus intrabat domum, nisi ut morbo laborantes visitaret. Quod ad obedientiam attinet, Archiepiscopi jussa reverenti semper submissione suscepit, ac plena executione complevit. Quem elegerat conscientiæ moderatorem, tanquam Dei

gerentem vices considerabat, eique propterea sine ulla tergiversatione vel in rebus, quæ voluntati suæ repugnarent, ut in moderandis castigationibus corporis, aliisque similibus obtemperabat. In omnibus, quæ ad templi servitium spectabant, ita morem gerebat Archipresbytero, ut is inter cunctos, qui tum ibi degerent, Sacerdotes nullum fortasse promptiorem ad nutus suos haberet: multumque proinde Vincentii opera, in his, quæ occurserent, utebatur. Inter æquales etiam, et inferiores parce admodum propriæ libertatis jura exercebat. Ad aliorum quippe arbitrium in rebus licitis ita se fixerat, ut ea non raro faceret, quæ sponte sua libenter omisisset: neque alia inerat efficiendi ratio, nisi ut actiones suas ad aliorum placitum accommodaret.

Nulla fere magis elucebat in eo virtus, quam animi æquabilitas in adversis, quæ non aliunde proficisci poterat, nisi ab illius studio singulari, ut voluntati divinæ, cohibita naturæ propensione, in omnibus consentiret. Quam multa cum cæteris, et quam acerba tulerit ante adventum in Italiam, deindeque in Societatis excidio, quam ille diligebat in primis, cum satis aliunde constent, non attinet hic fusius exponere. Alia insuper singillatim perferenda sibi fuerant, tum ex decreto separationis, propter quod ab Hispanorum contubernio abstinere diu debuit, tum etiam ex officio Confessarii, quod ipse ultro suscepit. Id ansam præbuit scelerato cuidam homini peregrino, ut per speciem peccata confitendi, usque ad interiora domus, atque adeo intra Vincentii cubiculum introiret. Ut solus cum solo mansit, atrociter eum urget, terribilesque intentat minas, nisi statim largam sibi opem concesserit, quæ sublevandæ necessitatì suæ sit satis. Vincentius, cum aliam evadendi viam non inveniret, et ab ignoto, ac perverso viro prudenter timere posset quidquid ferociter minabatur, nonnullos illi donavit aureos, quibus improbum æruscatorē tandem a se dimisit. Non æque graves, sed mitissimo illius cordi nimium acerbi fuerunt labores alii, quos ob eandem causam aliquando sustinuit: ut cum viam leucarum aliquot pedes arripuit, ut solatium afflictæ cuidam familiæ quamprimum afferret. Nunquam vero his, aut similibus adversis casibus ab animi tranquillitate dejectus est, quam in ejus

ejus vultu cæteri , velut internæ pacis indicem , suspiciebant . *Supra decennium* , ait quidam , cum *Vincentio commoratus* , frequenterque cum illo agens , nunquam eum memini ab animi aquilitate . atque amabili moderatione defecisse , quam eidem natura ipsa indidisse videbatur ; nec poterat non esse fructus eximie cum Dei voluntate consensionis , et contentioris studii , quod ipse ad rebelles animi motus comprimentos adhibuerat .

His virtutum ornamenti instructus , operosam Castrifranchi ducebat vitam , cum , ineunte vere millesimi septingentesimi octagesimi tertii , ampliorem explendæ caritatis materiam invenit . Sæviebant in oppido per id tempus malignæ febres , quæ multos indigenarum ad vitæ discrimen , non paucos ad sepulcrum usque adegerunt . In ea calamitate omnes animi , et corporis vires intendit , ut strenuam ægrotantibus operam subministraret . Nullo vel labore , vel periculi metu deterritus , aures confiteri volentibus libenter accommodabat , decessuris constanter aderat , omnesque frequenter invisens , dulcissimis colloquiis ad molestias morbi æquanimiter sustinendas adhortabatur . Et quamvis eorum aliqui , utpote facultatum egentes , incommodas ædes incolerent , quas fatidus infirorum halitus multo reddebat incommodiores ; ipse tamen , stimulante caritate , quæ omnia sustinet , nullum loci squalorem refugiebat , nullam horrebat sordium foeditatem , ut benignissime miseris assideret . Inter ægrotos vir quidam erat pauperrimus , sine conjugi , sine liberis , ac propinquis , et in miserrimo tugurio jacens , quod suile potius appellari poterat , quam hominis habitaculum . Huic peculiari studio Vincentius adfuit , cæteris passim mirantibus , qui posset tandem gravissimum illius loci foetorem tolerare . Accitus e vicinia quidam , ut supremam infirmi voluntatem suo testimonio confirmaret , oolidum habitationis ejus putorem ferre non potuit : indeque sese proripiens , eximiam Vincentii constantiam suspiciebat , qui graveolentiam illam tam longo tempore sustinuisse.

Sed Vincentii valetudo fervorem animi , et caritatis suæ vires non exæquabat . Itaque , postquam ægroto illi , quem dicebam modo , et quibusdam aliis qui postmodum ægrotarunt , tanta inservierat alacritate , ut ministerium illud in deli-

liciis habere videretur; ipse quoque virus noxiu[m] hausit, et contactus eodem morbo, sese tandem conjectit in lectum. Non ita vis febris patuit initio, ut Medicus recuperandæ valetudinis spem bonam illi non fecerit. Sed spem omnem vitæ sic ille abjecerat, certamque imminere mortem adeo sibi persuaserat, ut eidem Medico, cantharides præscribenti cum iterata valetudinis promissione, responderit: *Bene habet: fiant sane quæcumque jussaris, ut morituro mihi novum hoc tormentum ad majus patientie meritum superaddatur.* Ac revera, cum ab arte medica nullam curando corpori opem reciperet, divinis Sacramentorum auxiliis religiose susceptis, spiritum Creatori suo reddidit Nonis Junii 1783, anno quinto et quadragesimo postquam illum acceperat. Sepultus est in Parochiali templo S. Mariz, cuius dignissimus Archipresbyter D. Hyacinthus Steganus, ut extinctum Vincentium vidit, cum intimo animi sensu exclamavit: *Maluissem equidem, nunquam tam amabilem agnovisse virum, quam illum tanto cum dolore amisse.* Idemque deinde ad amicum scripsit, Vincentium, ut sancte vixerat, sancte itidem mortem oppetivisse. Inter incolas Castrifranchi, aliosque circum populos magnum sui desiderium, gratissimamque memoriam reliquit, ut qui nullis unquam laboribus, nulli suo incommodo pepercisset, ut omnibus benefaceret. Nam et vitam ipsam pro fratribus infirmis posuit, et qui mortem inter infideles barbaros pro fide subire desideraverat, tandem inter Catholicos, et in pacatissimo religionis sinu victima caritatis occubuit,

EUGENIUS COLMENARES.



Præclari hujus viri res gestas paucioribus, quam ipse vellem, absolvam paginis: non quod ille multa non fecerit, quæ copiosam poterant scribendi materiam subministrare; sed quia his morte præventis, qui diu cum eo familiariterque visserant ab initio, plurima illius facta non ita comperire licuit, ut in publicam possint lucem emitti. Verumtamen ex aliis, quæ ab idoneis accepta testibus, hic ego referam, qualis ille, quantusque fuerit, non levis a quoquam fieri poterit conjectura. Novembri mense anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quarti ortus est Eugenius in Legionensis diœcesis oppido Balmæo, quod intra vallem situm est Liebanensem. Domi suæ pro parentum illustri genere liberaliter educatus, cum jam pueritiam excesserat, missus est Villamgarsiam, ut latinis literis excoleretur. Ad majora deinceps progressus, divino quodam instinctu permoveri cœpit, ut penitus res, ac spes abdicaret mortales, relictisque parentibus, et propinquis, se totum religiosæ disciplinæ jugo in Societate submitteret. Hoc vehemens desiderium cum Superioribus exposuisset, iidemque debitissimè probassent experimentis, annumeratus fuit Sociis pridie Nonas Apriles anni 1714. De illo tirocinii sui biennio, deque toto studiorum tempore nihil compertum habeo, quod hic possim narrando commemorare. Sed qui reliquum diuturnioris vitæ cursum ad nostram usque memoriam ita peregit, ut constantem perfecti viri opinionem apud eos obtinuerit, inter quos degeret; verisimile omnino fuerit, et ad ingrediendam virtutis semitam impigrum fuisse, et in eadem persequenda cœlestibus perfusum benedictionibus, ut novos progressus faceret, donec designatam a Deo sibi metam perfectionis attingeret.

Probationum, et studiorum spatia omnia cum laudabiliter percurrisset, ad exercenda ministeria Societatis egressus,
 Gram-

Grammaticam Abulæ docuit. Inde Villamgarsiam rediit, ut iis e Societate adolescentibus, qui alterum probationis annum cum studiis humanioribus conjungebant, Rheticam, et Poeticem explicaret. Gratissimum illi fuit ad id munera destina-ri, non quidem ob eam jucunditatem, quam ex literis caperet amœnioribus; sed ut torporem animi excuteret, ut aje-bat ipse, perspectisque cominus tironum exemplis, ad fervo-re spiritus convalesceret. Nec modicum inde credendus est profecisse, qui munus illud hac animi comparatione suscepit. In eunte jam autumno anni 1727, Philosophiam interpretari cœpit Segovia, quod ibidem per sexennium effecit. In ea-dem urbe professionem quatuor votorum emisit anno 1731, quo die in cœlum evectæ Matri Virgini gratulamur. Toto autem magisterii sui tempore tantam ad informandos doctri-na, et virtute juvenes diligentiam adhibuit, ut Scholis frequen-tiam et splendorem addiderit, atque usum Sacramentorum ma-gna ex parte promoverit. Anno proxime antecedenti nullus in Collegium illud advenerat ad Dialecticam auscultandam. Eu-genius vero non solum auditores habuit, sed plures etiam habebat sub triennii finem, quam habuisset initio: quod e-venire sine multa Doctoris commendatione non potuit; cum plerumque illorum non pauci, qui Logica percepserunt, de-inde vel tædio victi, vel ad alias facultates digressi, reliquam Philosophiaz doctrinam facile prætermittant. In posteriore au-tem triennio discipulorum ejus numerus triplo fere fuit major, quam in priore. Longe enim lateque pervulgata erat fama constantissimæ illius assiduitatis ad erudiendos, et exercendos discipulos, quibuscum horas quatuor cum dimidia ducebat quotidie in Scholis, prætereaque nunquam disputationibus non intererat, quas iidem in feriatis, ac festis diebus inter se invi-cem conserebant. Neque hic tantus docendi labor quidquam eum ab audiendis confessionibus retardabat: imo etiam in-defessa ejus perseverantia in ministerio illo exercendo tam multos ad perceptionem Sacramentorum in Collegium addu-xit, ut ægre pateret aditus ad Sacrarium per aulam eidem proximam, beneque spatiösam, in qua virorum confessiones excipiebantur. Denique illius vita ratio, dum Segovia, atque Abulæ mansit, ad sanctioris disciplinæ leges ita erat confor-ma-

mata , ut Sociorum quidam , post viginti ferme annos ad utramque illam urbem adveniens , recentem adhuc virtutum ejus famam invenerit .

Philosophiaz cursum semel atque iterum emensus , socius datus est Rectori Villagarsiensi , ut eum in instituendis titronibus adjuvaret . Illius enim Collegii Rector , cum simul esset Magister Novitiorum , qui modo sexageni , vel septuageni , modo plures , nonnunquam supra centum numerabantur , alterius indigebat ope Sacerdotis , quocum gravissimas tirocinii curas divideret . In eam sollicitudinis partem vocatus Eugenius , multam adhibuit operam , ut Novitii omnes cum devotionis dulcedine mortificationis conjungerent acrimoniam . Et cum ea , quæ suadebat verbis , persuaderet exemplis , vigebat ibi cum pietatis studio præcipuus quidam ardor in atterendo corpore , in edomandis cupiditatibus , atque omni mundana vanitate contemnenda . Per annos quinque in occupatione illa strenue versatus , Palentiam deinde venit , ubi Theologiam aliquandiu tradidit : in eaque tradenda , discipulis prævit suis non magis doctrinæ lumine , quam morum integritate . Perfunctus autem docendi munere , cum jam multam prudentiaz , aliarumque virtutum præbuisset experimenta , ad Sociorum gubernationem adhibitus , ab anno labentis seculi circiter quadragesimo usque ad sexagesimum tertium perpetuos in provincia Castellana gessit magistratus . Ab Auriensi Collegio , quod primum administravit , ad regendum Legionense pertransiit , ubi magno in honore fuit apud Illustriss . Joseph Lupianum , qui tum Episcopalem illam sedem occupabat . Renuntiatus deinde Rector Villagarsiensis , in formandis ad Societatis leges moribus Novitiorum annos septem perseveravit . Præfuit etiam Collegio Salmantino , duobusque Vallisoletanis , quæ sub Sanctorum Ambrosii , et Ignatii auspiciis erecta fuerant . Provinciæ designatus Præpositus , illam per triennium rexit , eandemque per intervalla quædam temporum semel , iterum , ac tertium cum vicaria potestate gubernavit .

His de conspicuis Eugenii muneribus breviter commemoratis , quam digne illa gesserit , quantoque cum comitatu virtutum per omnes vitæ gradus incesserit , non ita paucis poterit expediti . Tota Eugenii vita duobus quasi cardinibus ni-

tebatur: oratione scilicet, et mortificatione, a quibus multi alii justitiae fructus eidem feliciter provenerunt. Hac enim misericorde adjutus est, ut declinaret a malo; illa vero, ut in exercendo bono constanter perseveraret: quæ duo certissima sunt principia, ut in excelsum virtutis culmen proveharis. Ab orandi exercitatione frequenti, peneque assidua, non facile propter incidentes negotiorum moles distorquebatur Eugenius. Inter difficultates itinerum, quæ in Hispania sæpiissime suscepit, ut universam Provinciam iteratis lustrationibus circumseret, antelucano surgebat tempore, ut meditationi vacaret, et præparationem divino præmitteret Sacrificio. In Collegiis autem frequenter interdiu noctuque templum ingrediebatur, et procidens coram Domini tabernaculo, ibidem diu cum profunda veneratione perstabat. In Italia vero longas orando ducebatur horas, vel in Sacello domestico, in quo divinissimum Sacramentum asservabatur, ubi etiam Sacerdotale pensum abjectus in genua persolvebat; vel in suo cubiculo, ubi clauso ostio Deum sæpe deprecabatur cum clamore valido, vehementibusque gemitibus, quos aliquando, qui ad januam aderant, cum suavissimo animi sensu percepérunt. Diem denique pene integrum extrahebat orando mente, vel voce, vel pios legendō libros, qui pabulum orationi subministrarent, et maxime Ven. Ludovici a Ponte meditationes. Cum enim delicias suas omnes in familiari cum Deo consuetudine collocasset, confabulationes hominum, et quidquid eum ab cœlestium contemplatione avocaret, sedulo, quoad poterat, evitabat; salvis tamen omnibus caritatis, et religiose urbanitatis officiis, quibus nunquam satisfacere prætermittebat.

Inter Eugenii scripta, quæ in scriniis ejus inventa sunt, postquam vita concesserat, schedæ aliquot erant, non tam vetustate diuturni temporis, quam frequentissimo earum usu valde detritæ. Commendaverat his chartis præclara quædam decreta, seu voluntatis suæ proposita, quæ inter meditandum statuebat, ut se ad omnes perfectæ vitæ numeros conformaret: ac ne unquam ex animo exciderent, memoriam eorum creberrima lectione renovabat. Ex iis adversariis, in quibus ephemerides annorum octo continentur, cum multa alia verisimiliter interciderint, illud inter alia constat: Eugenium per

singulos menses diem unum sacris commentationibus impendiisse, in quibus ea decernebat, quæ ad insequentem usque mensem agenda sibi erant, ut digne coram Deo ambularet. Similiter in longioribus dierum octo exercitiis, quæ quotannis peragebat Octobri mense, nonnulla statuebat in annum proximum observanda, ut quotidie in perfectionis via progredieretur. Inde etiam constat præter matutinam meditationem, aliaque pietatis opera quotidiana, solitum fuisse mentali orationi vespertino quoque tempore insistere: multamque adhibuisse operam tum præparandis meditationibus, iisdemque ad examen revocandis, tum etiam cohibendis evagationibus mentis, dum preces divinas solveret, et Rosarium B. Virgini recitaret. Ut paucis dicam, omnia fere, vel certe plurima ejus proposita totidem incitamenta sunt ad bene orandum, ad rectam in agendis intentionem habendam, ad erigendam mentem in Deum, ad timorem, et amorem Domini jugiter excitandum. Quod ut manifestius pateat, opera pretium erit hic pauca quædam exscribere. Conabor, inquit, intentionem meam frequenter inter operandum ad Deum pure dirigere.... Divinam immensitatem præsentem mibi exhibeo, meque intra illam semper, et in conspectu Dei esse, ut omnia, quam perfectissime possim, efficiam... Sape per diem repetam: o momentum, a quo æternitas!... Intra cubiculum manens, illum esse posse locum recognitabo, in quo a Domiro judicer... Tunc maxime, cum extra domum solus incedo, vel domi etiam, quando nihil aliud instet agendum, cogitationem defigam in beneficiis creationis, conservationis, et gubernationis: Deumque agnoscam meum esse Patrem, Pastorem, Medicum, et Magistrum.... Recolam etiam beneficia Domini, quæ in opere redemptionis, et sanctificationis nostræ includuntur... Matutinis horis justorum æternitatem in cœlis quater in memoriam revocabo, quaterque vespertinis reproborum in inferis æternitatem: addamque mane quatuor actus amoris Dei, ac vespere totidem doloris actus pro peccatis... Examen particolare usque ad alia Exercitia erit de eliciendis actibus amoris Des, et sanctissimæ Humanitatis ejus, quoties e cubiculo egredior, aut revertor in illud.... Præparationem quam accuratissimam possim orationi præmittam, illamque postmodum examinabo: et quanquam id hactenus agere studui, idem tamen

boc anno diligentius efficiam. Multa his valde affinia ex commentario illo possem depromere: sed hæc satis erunt, opinor, ad Eugenii assiduitatem in orationis studio comprobandum.

Frequentis, et attentæ meditationis præsidio illud tandem fuit assecutus, ut alius ab eo, qui a natura effectus fuerat, videretur. Ab hac enim habuit biliosam, et ardente corporis constitutionem, quæ proinde facilis erat ad iracundiaxflammam concipiendam. Sed proclivitatem illam, cæterosque turbulentos motus animi cum divina ope ita devicerat, ut demum ad optatissimum tranquillæ mentis statum devenerit, qui et in illius sereno vultu, et in moderatissimis ejus actionibus elucebat. Eam tamen obtinere pacem non potuit sine multorum labore certaminum, in quibus ne vinceretur, strenue ac viriliter decertavit. Cum florentem adhuc ætatem ageret, ne scio quid contumeliosum ei quidam objecerat, quod nimium quantum valeret, ad commovendam Eugenii bilem. Is vero concitatum iræ motum, et vindicandi honoris læsi cupidinem tanta contentione cohibuit, ut usque ad animi deliquium venerit: quippe violentam adeo refrenationem cum natura ferre non posset, prius devicta concidit, quam in aliquid indecorum contra imperium voluntatis erumperet. Hujus autem conatus, quem ad debellandas cupiditates impigre adhibuit, ea demum fuit merces, ut deinde affectiones suas sub potestate haberet, illasque facile, quoconque ratio suadebat, impelleret. Salmanticæ contendebat ab eo juvenis vacationem studii cunctis Theologizæ auditoribus obtinere: sed illam ad exorandum afferebat causam, quæ plane frivola erat, neque religiosæ disciplinæ admodum consentanea. Explosit eam Eugenius, vultu ad severitatem ita composito, ut juvenis expavesceret, jamque ipsum petitionis puderet suæ. Id satis Eugenio fuit, ut ipse quoque aliam statim personam indueret: repenteque posito supercilioso, mitissime affatus est juvenem, et illius agnita simplicitate, benigniter a se dimisit. Hanc sane mirabilem facilitatem, qua suorum affectuum habenas quasi ad arbitrium adduceret, vel remitteret, sape alias notarunt aliqui, cum in ejus vultu, prout varia exigebant tempora, nunc amabilem, jucundamque lætitiam, nunc severam animad.

madverterent gravitatem. Quamvis enim rigorem, ut verum Christi decet discipulum, sibi potius assumeret, quam in alios exerceret; quotiescumque tamen pro tuenda legum obseruantia opus erat, nullo personarum respectu, nulla cujuslibet auctoritate deterritus, austriorem adhibere medicinam non dubitabat.

Sed frequenter in aliorum erroribus corrigendis ita sibi moderabatur, ut multum benignitati concederet, vel cum acriori locus erat objurgationi. Tirocinii Magister designatus, pomeridianæ intererat recreationi, sub cuius finem aliqui Novitiorum procidebant in genua, ut siquid in aliorum oculis deliquissent, ab iisdem coram Magistro fraterne commonerentur: quod erat et exercendæ humilitati, et reformandis tironum moribus, sane quam opportunum. Quidam ergo jam annis grandior culpam admiserat, levem illam quidem, sed quæ tironem Societatis non leviter dedecet. De hac in consessu illo cum publice accusaretur, vehementer extimuit, ne Rector in se graviter animadverteret, aut fortasse etiam res suas sibi habere decerneret. Sed Eugenius, accusatione audita, satis habuit hæc dicere: *Jam diu est, cum frater hic excessit a pueris, proindeque facile agnoscat, in eo, quod ipsi objicitur, nec caseris bono exemplo esse, nec sibi quidquam utilitatis acquirere. Ætatem habet, judicioque non deficitur: spero itaque nullam iterum offensionis causam suis fratribus prabiturum.* Hic suavis corrigendi modus tantum apud Novitium valuit, ut ei vires addiderit ad incepturn vitæ cursum diligentius persequendum, magnamque de Superiore suo ingesserit opinionem, qui subditorum animos, vel cum dlinquerent, tam apposite sibi noverat conciliare. Eadem usus benignitate, juvenem alium, qui fœdius prolapsurus erat, ad saniores mentem reduxit. Hic studiorum tempore, remissa paulatim animi sui custodia, multum a se ipso discesserat: et cum esset æqualibus importunus, ac majoribus parum obsequens, tandem dimissionem petuit, hujusque arrepti consilii certiorem fecit Eugenium, qui provinciam eo tempore administrabat. Non magna pietate dignus primo quidem aspectu poterat existimari, qui sua sponte ad eam processerat temeritatem. Et tamen Eugenius, nulla indignatione commotus, sed potius paterna tactus miseratione,

suavissimis et amorem spirantibus verbis illi respondit, atque ita scite depinxit periculum ruinæ, cui se ultro committebat, si datam Deo fidem violaret, ac respiceret retro, postquam manum miserat ad aratum, ut juvenis, factorum pœnitens, novos induere mores promiserit, omninoque conquieverit. Sæpe alias, cum asperioribus potuisset uti remediis, facilem se præbuit, et clementiam prætulit severitati, ne forte, dum aliorum imbecillitatibus mederetur, ipse interim vel ira, vel indignatione, vel alio quovis animi morbo corriperetur. Hanc assiduam continendi sui curam multis confirmare possem, si proposita illa transcriberem, quibus ipse aditum præcludebat cogitationibus quibuslibet inutilibus; actionibus, et occupationibus, quæ minus apte caderent in religiosum virum; recreationibus, et oblectamentis, quibus abstinere se posset sine caritatis, aut obedientiæ, aut alterius transgressione virtutis, atque etiam sine ulla nota singularitatis, a qua semper longissime absfuit: omni denique verbo, quod aliorum posset honorem deterere, vel famam etiam levissime maculare. Sed hæc summatim attigisse sufficiat, ut ad illius externam, quam dicunt, mortificationem deveniam.

Perpetuum suo corpori bellum indixerat, illudque flagellis, ac ciliciis, aliisque servilibus modis ad æstatem usque senilem asperitime divexavit. Per annos undecim, quos in tirocinio vixit, vel Rectoris socius, vel ejusdem tirocinii Rector, sese fere quotidie, beneque prolixe flagellabat. Atque hoc supplicii genus bis etiam assumebat in pævigiliis festivitatum omnium B. Mariæ Virginis, Apostolorum, aliorumque Sanctorum, et quoties Novitii ad Eucharistia mensam accessuri essent, quod in Dominicis, et in plerisque diebus festis efficiebant. In frequentibus per Hispaniam itineribus, quæ ad inspectandam provinciam in longo Præfecturæ tempore suscepit, secum instrumenta poenalia circumferebat, quibus affligeret corpus, quamvis multis ex itinere laboribus defatigatum. Neque illa militiæ spiritalis arma deponenda censuit, cum in exilium missus, innumeras ubique molestias tolerare debuit, quæ voluntarias afflictiones non modo compensare poterant, sed multis etiam partibus superabant. Crespelani prope Boniam aliquandiu commoratus, cum intra domum, propter inhabi-

habitantium Sociorum multitudinem, locum cædendi se flagris non inveniret, hiberno tempore in domesticum hortum per medium irrumpens nivem, ante diluculum procedebat: ibique in remoto loco corpus suum et crebro verbere, et rigidissimo frigore macerabat. Tantus in longævo sene vigebat ardor spiritus! nam cum hæc ficeret, annos jam excesserat septuaginta quatuor. Paulo post Bononiam ingressus, ubi reliquam vitam duxit, cum jam fere octogenarius esset, nihil secum agebat mitius. Hora tertia post noctis medium consurgens, quando cæteros altum dormire poterat existimare, in se adeo acriter desæviebat, ut curiosior aliquis, quem cupidio semel incessit explorandi plagarum numerum, quibus se ipsum cæderet, tercentas illa vice dinumeraverit. Neque id satis habens, bis etiam quibusdam diebus, in aliis ter sese flagellis percutiebat. Ciliciis etiam et plurimis, et nimium horridis in Hispania utebatur. In his unum erat in thoracis similitudinem conformatum, quod illius corpus circumundique complectebatur: aliud ad instar zonæ, quo lumbi præcincti poterant: et quoties hoc adhiberet, devexo et incurvo corpore procedebat. Pedes quoque nonnullis diebus torquebat udonibus ciliciniis, ut fama erat, dum Collegio præterat Villagarsiensi. Ibi dem tirones aliquando dicens per clivum Torozii montis, defctionem animi passus est: diloricatisque vestibus, ut liberorem spiritum duceret, ciliciis inventus est coopertus. His tamen frequentius uti consueverat a primo mane usque ad prandium: multisque diebus ita eorum aculeis constringebatur, ut non nisi ægre posset incedere, manusque tumentes, et faciem libidam exhiberet, cum tamen a prandio et expeditius graderetur, et nativum colorem ostenderet. Denique instrumenta illa, quæ cruciando corpori excogitaverat, talia erant, ut qui ea fortuito quondam potuit inspicere, deinde vel sola eorum recordatione inhorresceret. Hæc autem, vel iis similia frequenter exercere non cessavit Eugenius, donec in decrepita senectute jussus est austeritati pristinæ modum imponere.

Ut austerus erat in plectendo corpore, sic erat in eodem cibando moderatissimus. Prandium ejus, dum viveret in Hispania, levioribus ut plurimum constabat escis, quæ vel præludia erant coenæ, vel secundis mensis apponebantur.

Por-

Portionem vero carnis, quod præcipuum erat ferculum, penne integrum relinquebat: solum tenuissimam gustabat micam, ita illam versans in lance, ut assidentium oculos facile luderet, eisque large prandere videretur, nisi attentius animadverterent. Postquam in Italiam venit, ut imperantium cederet voluntati, de his vesci non recusabat, quæ cæteris in commune ministrabantur; parce tamen semper, ac moderate. Cujus parsimonie id esse poterit testimonio, quod ipse Bononiæ in commentariolo scribebat, quando jam annos duodeciginta numerabat: *Cœnam ita deinceps moderabor, ut dimidium panis, et obsonii, aut eo etiam amplius relinquam.* Quæcumque illi apponenterent, nullo discrimine habebat, neque hoc magis, quam aliud edulii genus arridere palato significabat: nunquam etiam de cibo conqueri auditus, quod frigidus, vel durus esset; modico, vel nimio sale respersus. Nihilo indulgentior erat in aliis commoditatibus suo corpori concedendis, aut in eo ab ingruentibus temporum injuriis defensando. Per hiemem, quamvis glacie, ac nivibus algerent omnia, nunquam sedere voluit ad focum: et vix tandem adduci potuit in ultima senectute, ut igniferum admitteret vasculum ad manus calefaciendas, quas ei vis frigoris miserabiliter exulcerabat. Similiter æstivo tempore nullam calori declinando, vel auro captandæ adhibebat diligentiam; sed longas in cubiculo ducebat horas, longamque cum Deo habebat consuetudinem, cujus amore curam sui commodi negligebat. Quoties vero in templum, vel in alicujus ægroti domum prodiret, lance amictus ibat pallio grandi pondere, quod nunquam cum leviore alio, sibi liberaliter oblato, commutare voluit. Denique in ipso lecto, qui recreandis mortalium membris ex diurno labore defatigatis inventus est, duritiem, et incommoditatem studiose consectabatur. Illa erat multorum, quibuscum vixit in Hispania, pervulgata opinio, neque sindones, neque ullum aliud stragulum ad dormiendum, per annos plurimos adhibuisse; sed in simplici culcita, neque detractis vestibus, solitum fuisse decumbere. Cæterum asperitates aliquas, quæcumque illæ fuerint, intra lectum usurpare consuevisse, compertum habemus ex ipsius Eugenii verbis, qui annos natus septuaginta septem, in adversariis suis scripsit: *Exercere*

per-

pergēm asperitates in lecto, ciliciis, et flagellis uti omnibus diebus, exceptis diebus festis sub praecepto, ut hactenus feci. Tam constantem in rebus arduis perseverantiam retinuit! Quot horas somno concederet, liquido explorare non potui. Sed ex multorum testimonio habeo, modicum semper in dormiendo fuisse: nunquam extra lectum inventum non esse ab eo, qui Socios in Collegio excitabat: quod si is interdum suo deesset muneri, ab ipso Eugenio, dum Rector esset, subito exercefactum, vel signum editum ad surgendum: ac demum in Italia quoque longas egisse vigilias. Et vero, qui lectum habebat incommode, qui coenabat parce, qui orandi, et affligendi corporis adeo studiosus erat, is quidem multum dormire non poterat.

Longe tamen Eugenius aberat a quorundam spirituum hominum conditione, qui graves sibi poenas infligunt; sed quæ aliunde adversa contigerint, non æque patienter ferre didicerunt. Imo vero studium vincendi sui, et cupiditatibus obsistendi, nulla in re magis evidenter manifestabat, quam in tolerandis laboribus, et molestiis, quibus a Deo, vel ab hominibus exerceretur. Dum Auriæ Collegium regeret, morbo correptus est molestissimo: in eoque tam eximium patientiæ dedit exemplum, ut primarius quidam civis, qui pariter ægrotabat, cum Medicum narrantem audiret, quo pacto Societatis Rector in infirmitate se gereret: *O me felicem, exclamaverit, si consimilem patientiam haberem!* Calvii quoque, ubi Medici, medicamentaque deerant, cum graviter ægrotasset, tum alia incommoda, tum etiam acerrimum ardorem, quo interne urebatur, cum admirabili pace, insigne patientia toleravit. In posterioribus vitæ annis, ingravescente jam ætate, diu jacuit in lecto, neque propterea de veteri tranquillitate quidquam amisit. Facilis ad arbitrium eorum regi, qui meritissimi senis vitam sedulo fovere studabant, quidquid illi decernerent, quamvis molestum sibi esset, dicto citius exequebatur. Sive multi eum inviserent, sive solus relinqueretur, æquo vultu ferebat omnia, nullumque fastidii signum, nullam querelæ vocem, quomodounque haberetur, emittebat. Rogantibus, quomodo valeret? bene sibi esse, ajebat semper: tandemque postremum diem ob-

iit, quin aliquis ab ejus ore cognoverit, num aliquo dolore conflictaretur. Labores alios, quos in longioris vita cursu saepe illi occurrisse necesse fuit, magna animi æquabilitate sustinuit. Itinerum molestias, et hospitiorum incommoda, quæ non raro perpessus est per annos fere quinque, quibus Provinciam administravit, hilari semper vultu excipiebat. Quamvis multa illi deessent (ut is affirmat, qui Eugenium eo tempore comitabatur) nihil unquam desiderabat: sed cum omnia providentissime a Deo disponi recogitaret, nullum erat incommodum, quod lætanti animo non sustineret. Nonnunquam in diversoriis exceptus fuit, in quibus magna erat rerum omnium inopia; et in eorum aliquo tria tantum inventa fure ova, quibus cœnarent viri quatuor, qui simul agebant iter; deinque super pavimentum noctem illam ducere necesse fuit. His tamen incommodis adeo non offendebatur Eugenius, ut potius Deo perinde ageret gratias, quasi liberalissime tractaretur. Quin etiam inter adversa gaudere, facile ab ejus sociis deprehendebatur; cum eos hilari vultu allocutus: *Patienter sustineamus, ajebat, et quæ Deus nobis offert, libenti animo recipiamus; quandoquidem nox una, vel meridies cito pertransit, et si pro votis non omnia contingant.*

Verum hæc levia poterunt existimari, ut quibus tantum vis inerat affligendi corporis, quod ipse nūnquam indulgenter habere consueisset. Graviora procul dubio fuere, quæ ipsius animum pervaserunt, ac, nisi Deo intime conjunctus esset, insanibili mœrore confecissent. Labores inquam, et calamitates, quibus ab initio sui magistratus afflictam in variis locis vidit Societatem Jesu. Hanc ille amabat ardenter, bonumque illius nomen, ad promovendam salutem animarum, ubique florere desiderabat. Dum vires habuit, nervos omnes contendit, ut eidem fideliter inserviret, seque filium ejus minime degenerem exhiberet. Postquam ita consenuit, ut ministeria exercere vix posset, quam primum ex hoc mundo abiare desiderabat: *quoniam Societati* (sic ille in commentario suo scribebat anno 1771) *parum, aut nihil prodesse jam possum, nisi ut eam diligam, magnoque in pretio habeam, quod baccenus, Deo sit gratia, semper effici.* Cum igitur Societatem illam, quam tanto amore prosequebatur, variis in regnis acriter

ter impugnari videret , dubitari nullo modo potest, quin concep-
tus inde dolor altissime in ejus visceribus inhæreret . Non tamen
propterea conquestus est , neque ullam unquam aversi animi si-
gnificationem adversus quemquam hominum visus est edidisse .
Sed conversa in Deum mente , sine cuius nutu nihil adversi con-
tingere cogitabat, pacifice solebat dicere : *Deus hæc videt , Deus*
hæc patitur: patiamur ergo nos quoque ab ipsius blandissimis
manibus, quounque velit, adduci; ipse enim novit, quid maxi-
me nobis expediat . Ac ne tum quidem , cum tandem eversa
est Societas , lamentum aliquod ab Eugenii labiis excidit , aut
animi perturbationem aliquam indicavit: imo vero quosdam,
in quorum contracto vultu dolor apparebat inflicti vulneris ,
prudentissima solatus est oratione . Talis denique patientia e-
rat Eugenii , atque ita voluntatem propriam exuere , divinam-
que sequi didicerat, ut nulli eum sinistri casus dejicerent , sed
imperturbabili pace in adversis æque frueretur, ac prosperis .

Hic tantus cum Dei voluntate consensus, et tam æ-
quabilis inter acerba quæque tranquillitas, sine vera cordis hu-
militate , atque humanarum despicientia rerum constare utique
non potuisset . Utrumque hoc decus assecutus erat Engenius,
qui paupertatem spiritus ita decrevit amplecti , ut et mentis
elationem effugeret , et tenui vicu semper esset contentus .
Nullum in eo verbum , nullusque gestus deprehendebatur ,
qui fastum animi , vel arrogantiam aliquam redoleret . Ad oc-
cultandam virtutem diligenter intentus , quidquid in aliorum
oculis ageret , ita semper efficere conabatur, ut speciem no-
vitatis effugeret , neque ullam singularitatis notam incurreret .
Quamquam, ut erat in communi servanda lege exactissimus ,
quanto diligentius assimilari cæteris studebat , tanto magis illius
perfecta vitæ ratio ab omnibus notabatur . De præclaris , quas
sæpe obierat , præfecturis nunquam sermonem ingerebat , nisi
aliqua necessitate compulsus: multoque minus ea commemo-
rabat , quæ sibi apud audientes possent opinionem virtutis in-
generare . Ut immitem illam dissimularet austeritatem , qua
sese jugiter excruciat , in quotidiano congressu , et familia-
ri cum cæteris consuetudine non solum affabilis omnibus , sed
jucundus , ac festivus erat; nec jocis liberalibus uti , aut etiam ,
si ab aliquo rogaretur , lusum honestum ludere detrectabat :

prorsus ut nullam iis, quibus ignotus esset, austerioris viri suspicionem injiceret. Dum familiariter cum aliquo ageret, si quid novum, aut insolens occurrisset, solitus erat femur sibi dextra percutere, illudque refricare frequenter; quasi vellet eo gestu conceptam inde admirationem exprimere. Id tamen, ut constanti vulgatum erat fama, ideo efficere credebatur, ut catellarum acumina, quibus femora perstringebat, altius comprimeret, ac tum maxime dolorem irritaret, cum se ridentem coram cæteris exhibebat. Sed qui erat in familiari colloquio hilaris, ut virtutis effugeret ostentationem; postquam inde recesserat in conclave, demississime coram Deo prosternebatur, ejusque misericordiam et clementiam magnis gemitis implorabat. Breves aliquot gravissimasque sententias descripserat in adversariis, ut earum frequenti recordatione ad operandam salutem suam cum timore debito incitaretur. Nonnullas hic exhibebo, plurimis prætermisis, quarum alias aliis mensibus consueverat ruminare. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ite maledicti in ignem æternum. Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine. Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Procul quidem aberat ab elatione, qui frequenter his verbis, aliisque similibus indicabat, quanto Dei timore concuteretur.

Ex eadem animi demissione ad amplectendam paupertatem, et moderationem in omnibus retinendam excitabatur. Non in vestitu solum, et cubiculi ornatu, qui simplicissimus erat, sed in cæteris etiam rebus indicabat, quantum ab omni superfluitate abhorreret. Nonnullis commoditatibus, quæ religiosum virum non dedecent, si modo vellet, frui potuisset facile; sed illis sese privabat protinus, ut inter alios liberaliter disperdiret. Dum agebat iter ad lustrandas Provinciæ domos, librum tantum divinarum precum, flagellaque cum ciliis mittebat in manticam, de cætero commeatu nihil plane sollicitus: ac ne teruncium quidem ferebat secum, neque curiosius inquirebat, anne aliquid superesset de modico illo subsidio, quod in itinerum sumptus Collegia singula subministrabant: hanc enim curam, ut id genus alia, in viæ comitem rejiciebat. In his profectionibus difficile adducebatur, ut

con-

conviviis adisset virorum principum , ac nobilium , qui eum in domos suas instanti prece invitabant . Unde , nisi gravior aliqua urgeret causa , frugaliorum cum comitibus in diversorio mensam semper lautiis divitum præferebat . Et cum adeo esset in declinandis propriis commodis studiosus , erat tamen in elargiendis rebus suis liberalissimus . Quod si eorum aliquem , qui sub ejus potestate rem domesticam administrabat , sordide parcum animadverteret , non poterat , quin vi- tium hoc improbaret , et merita reprehensione corrigeret . Exiliī tempore , vel cum sui juris erat , nihil de paupertatis amore remisit . In domibus , quas Bononiæ incoluit , habitacionem minus commodam eligebat , ac semel tantum propter orbitum cujusdam contubernialis ad aliam commodiorem pertransiit . Modici peculii curam apud amicum reliquit , qui si bi , quæ opus essent , subministraret . Siqua illi vestis subtilior , aut elegantior adduceretur , eam constantissime recusatbat , aliamque crassiorem , et vulgarem tanta contentione deposcebat , quanta hi solent , qui voluntariam in deliciis habent pau- pertatem . Fibulas nectendis calceis adhibere non voluit , eosque quibusdam e corio ligulis semper adstrinxit . Cum vel- lant aliqui quemdam Eugenii benevolum admonere , ut seni benemerentissimo largius succurrere dignaretur ; simul hoc ille sensit , literas ad eundem misit , ac nequid pristinæ superaderet liberalitati , cum id sibi satis superque esset , admonuit . Nil demum efficere prætermisit , ut se paupertatis amantem , atque in omnibus vere pauperem exhiberet .

Nec minorem adhibuit curam in aliis virtutibus , quas vo- ti religione promiserat , excolendis . Pulcherrimum castimonic florem , ut ab hostium incursione defenderet , horribili spinarum sepe circumdedit , modesta animi demissione , tanquam altissima munivit fossa , eidemque vigilem orationis custo- diam apposuit . Erat inde perspicax in periculis prævidendis , cautus in declinandis , in actione decori tenax , in sermone vero eximie circumspectus . Ab omni verborum levitate sic abhorrebat , ut eam vel in alterius ore ferre non posset . A- dolescentem , qui recens venerat in Societatem , et ab ea tan- dem discessit , cum scurriliter coram paucis jocantem audis- set ; quamvis id puerili potius inconsiderantia , quam mali- tia

tiz posset adscribi; tamen coram Novitiis omnibus tam acri, ac vehementi reprehensione coarguit, ut consuetum corripiendi modum excessisse videretur, et quotquot præsentes aderant, ingenti terrore perculerit. In obedientiaz virtute ad eum perfectionis gradum ascendit, ut non solum majoribus, et quibus conscientiaz committebat arcana, fideliter obtemperaret; sed inferioribus etiam, in quibus vel modica tantum auctoritatis residebat species. Qui ejus curandæ valetudini longo tempore incubuit, cum insigni Eugenii laude testificatur, ad omnes suos nutus perinde illum sequacem habuisse, ac si puer esset parvulus, qui parentis arbitrio, quocumque ipsa velit, facillime ducitur, ac reducitur. Videlicet, quod ab infanthia religiosæ vitæ didicerat, idem ad extremam usque senectutem retinuit.

Excelsam moralium virtutum molem firmissimo fidei superstruxerat fundamento. Ut eam foveret assidue, multus erat in sanctissimis religionis nostræ veritatibus meditandis. Nam et inevitabilem moriendi semel necessitatem, et extremi terrorum judicii, et scelerum foeditatem ac pestem, et sceleratis decreta supplicia; et his contraria bona, virtutis honestatem, ac præmia frequenter secum ipse recogitabat, ut ad implendam omnem justitiam vehementius accenderetur. Sæpe etiam volvebat animo æterni Numinis immensitatem, cuius oculis patere omnia considerabat, ut se ubique ad Dei reverentiam excitaret. In commentariis ejus passim videre licet, quam diligenter proponeret intentam habere mentem, sive rem divinam ageret, sive preces funderet Sacerdotales, quas propterea flexis plerumque genibus exsolvebat, sive alia pietatis opera exequeretur. Prodebatque sese in illius facie, totaque corporis habitudine intimaz venerationis affectus, quo Dei majestatem reverebatur. Spem quoque habebat firmam obtinendi promissam recte factis retributionem: atque ut illam aleret, sæpissime revocabat in mentem suavissima Christi verba, quibus olim in magna Josaphatz Vellis panegyri justos evocabit ad palmam: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Inde autem fiebat, ut ad obtinendam coronam incorruptam, quam sperabat, viriliter ac legitime decertaret, et tamquam pugil strenuus ab iis abstineret, quæ
ipsum

ipsum in agone impedire possent, aut remorari. Hinc etiam inter labores, et ærumnas, quas frequenter passus est in exilio, vires desumebat ad sustinendum; propositoque sibi æternæ mercedis præmio, duriora quæque constanter, jucundèque perferebat. Antequam e litore Hispaniæ solveret, hanc animi comparationem ad toleranda libenter incommoda intuitu supernæ remunerationis ostendit. Detentis Sanctanderi Sociis, dum naves ad profactionem apparabantur, eorum plerique propter loci angustias, et hospitum multitudinem in protensa super pavimento culcita decumbabant. Eadem Eugenio sors obtigit, aut eam potius sibi ipse delegit, quippe cui novum non erat incommodiore in lecto dormire: alioqui enim maximis honoribus perfuncto seni, cui etiam provinciæ Praeses vicem suam detulerat, dum eodem veniret ipse, fulcrum aliquod, quod strato supponeret, non defuisset. Igitur quædam die prope chorum templi sternendo super terram lectulo adlaborabat, cum præteriens quidam Socius hæc ait: Parce, quæso, laborem istum assumere, benigniusque tecum agas, amabo; non enim deerit aliquis fratum, qui te hoc onere levatum velit. Cui Eugenius respondit placide: *Solatum verum, laborumque levamen in cœlesti tantum expectandum est patria.* Scilicet beatam illam requiem sic anhelabat, ut inter vulgares etiam occupationes eam facile recognitaret.

Sed in nobili Eugenii pectore primas tenebat caritas, quæ ipsius animum cum Deo, et hominibus ita conjunxerat, ut illum pene jugiter amplexari videretur; iis autem pro suarum facultate virium largiter benefaceret. In superioribus non pauca dedimus, quæ amorem ejus in Deum satis clare demonstrant. Nam impensa longis meditationibus tempora, indefessa repugnandi voluptati, atque etiam voluntati suæ constantia, ut divinæ quam aptissime conveniret, aliaque his multum consentanea, virum indicant summo bono adhærentem, eidemque placendi studiosissimum. Quædam iis modo subiectam, quæ præsentis materiam argumenti proprius attingunt. Incomprehensam Dei bonitatem, et effusam erga homines beneficentiam contemplatus, magnis incitabatur stimulis, ut eum toto corde diligenter, et quæ illi grata esse cognosceret, operatione compleret. Inter innumerabilia Dei beneficia, illa fre-

quen-

quenti consideratione tractabat, quæ ad reparationem humani generis, et animorum sanctificationem spectant. Hinc vero in auctorem, et assertorem salutis nostræ Christum Jesum quanto amore inardesceret, non facile verbis expresserim. Ipsemet in illo diario, quod sæpe commemoravimus, nonnullum ardoris hujus indicium satis reliquit expressum. In autumnalibus feriis anni 1776, cum exercitia S. Ignatii de more exegisset; ut eximiam Domini caritatem, quam forte per eos dies consideraverat, altius in sua mente reponeret; inter alia, quæ deinceps agenda sibi esse decrevit, hanc Pauli sententiam octies per dies singulos iterare constituit: *Christus factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Quod gratissimo cum animi sensu dum sæpius ingeminabat, vicem etiam reddebat amori, quo Dominus tam pretiosa nobis dona promeruit.

Huc etiam pertinet, nec in postremis Eugenii laudibus reponendum, quod sacratissimi Cordis Jesu cultor non indiligens fuerit. Præter iteratas in templo, beneque prolixas adorationes, nullum abire sinebat mensem, quin illi tributum novendialium precum exsolveret. In Italia, dum felicissimam obtinuit sortem, ut Eucharistiam domesticos inter parietes haberet, eam opportunitatem tam avide arripuit, ut ægre ab eo loco discederet, in quo thesaurum invenerat inæstimabilem. In ipso Sacelli aditu his verbis, quæ in suo leguntur diario, ad reverentiam, et amorem Domini excitabatur: *Cor meum, dilige, et inflammare in amore dulcissimi Cordis Jesu: et in ardoribus sacris immergere, qui purificandis animis ab eodem erumpunt.* Qui hac animi præparatione ad rogam illum divinum tam sæpe accedebat, quantum inde retulisse oportet incendium! Nulla unquam occupatione, nullius incommodi, vel molestiæ causa, quæ plane non esset insuperabilis, a quotidiana Sacrificii oblatione cessavit. Huic autem peragendo longam præmittebat meditationem, quotidie animam ad pœnitentiæ tribunal tanta compunctione repurgabat, ut gemitus et suspiria, qui prope aderant, exaudirent. Jamvero, cum ad perennem sanctitatis fontem tam frequens recurreret ac siti-bundus, superefluentem ab eo donorum copiam reportabat, quibus in diem ejus animus reficiebatur. Inde enim hausit man-

mansuetudinem, et modestiam, quæ illum valde amabilem, vereque humilem reddiderunt: inde ipsius caritas novum concipiebat ardorem: inde lætitiam, et pacem traxit, quæ inter gravissimos adversantium rerum concursus immota consisteret: inde etiam, quod fere majus est, atque omnes in Eugenio maxime suspiciebant, constantiam illam desumpsit, qua perfectionis semitam ita percurrit, ut neque progreedi cessaverit unquam, neque ab ea in opposita extrema deflexerit. Nunquam enim aut multiplices negotiorum occupationes, aut frequentes incommoditates itinerum, aut infirma salus, provecataque senectus; non item honoris, aut despectionis vicissitudo, quam expertus est cœtus ille, in quo ipse conspicuum adeo locum obtinebat, et quem supra vitam amabat suam; non denique alia quælibet prospera, vel adversa virilem ejus animum frangere, constantemque in persecundo bono constum debilitare potuerunt. Postquam Italiam attigit, innumeras terra marique laboribus exantlati; quando et perpessæ zrumæ, et ætas jam devexa jure quodam exigere videbantur, ut arma illa suspenderet, quibus suo corpori vim inferebat, vel saltem ut ea rarius tractaret ac mitius; nihil indulgendum sibi esse duxit, et quod pridem contra se certamen inierat, novo cum ardore redintegravit. In cæteris religiosæ perfectionis numeris adimplendis contentionem nihilo minorem adhibuit. Quidquid in Dei cultum, et animi profectum suscepserat exequendum, admirabili explebat fidelitate. Cum diem integrum in quolibet mense sacris meditationibus destinasset, et aliquando morbo impeditus, id efficere non potuisset; sequenti mense biduum dedit illi secessui, ut plene, quod semel promiserat, adimpleret. Quicunque demum in ejus breviculo inspiceret, quam diligenter se ipse excitaret ad precanum attente ac devote, atque ad perfectionis apicem in omnibus operibus attigidum; proculdubio Eugenium in studio virtutis negotiatori simillimum reputaret, qui lucris diu, noctuque intentus, nullam augendæ rei occasionem omitteret, vel potius ingenuo filio, qui per omnia placere patri studebat. Tantum ex assidua vita, ac passionis Domini, et afflitionissimi que, atque amantissimi Cordis ejus meditatione profecit!

In eadem divini Cordis schola mansuetudinem, et misericordiam erga homines didicit. Illius gravitas ita erat temperata comitate, et sermonis affabilitate condita, ut sibi aliorum animos facile conciliaret: neque longa opus erat cum eodem consuetudine, ut, Eugenium diligere omnes, et ab omnibus diligi, agnosceretur. Ut autem verbis et vultu benevolentiam indicabat, sic etiam beneficentiam, dum occasio et facultas ferret, liberaliter exercebat. Nihil ei gratius, nihil erat jucundius, quam de tenuitate sua beneficium aliquod in exteros contulisse. Erga illos vero, quos indigentia rerum premeret, ita erat misericors ac benignus, ut eorum inopiam detractis etiam sibi necessariis aliquando sublevaverit. In Segovensi urbe pauperem discipulum per triennium aluit, misso ad eum quotidie quidquid fere sibi apponebatur ad prandium. Sed insignis ejus caritas in egenos nusquam magis, quam in regione Vaccorum eluxit, dum ibi Collegium regeret Villagarsiense. Annus inciderat tanta calamitate funestus, ut multi divitum ad tolerandam vitam ægre frumenta reperirent, inopes autem miserabili egestate laborarent. Eugenius, ut urgenti succurreret necessitati, primum quibusdam prædiorum dominis tantum frumenti commodavit, quanto vel alendæ familiae, vel seminandis agris indigebant, ea solum lege, ut tantumdem redderent post novam messem. Deinde multorum indigentiam, qui honestæ conditionis erant, ideoque mendicare erubescabant, submissis noctu panibus relevavit. Postremo statuit, ut mendicorum nemini, qui ad Collegii januam accederet, consueta panis et pulmenti eleemosyna denegaretur. Non defuit, qui hæc decernenti proponeret, non ita uberem Collegii proventum esse, ut subveniendis sufficeret egenis omnibus, qui in tam universali annonæ difficultate ad petendum stipem e vicinis populis convenienter: satisque proinde fore, si eleemosyna Villagarsiæ tantum pauperibus erogaretur. Sed pius Rectoris animus, qui erga miseros paterna gerebat viscera, non ideo potuit a proposito dimoveri: divisaque providentia fidissime innixus, quidquid in apotheca frumentaria repositum erat tritici, mensurari jussit ac dividi, partemque unam Sociis et Collegii servis, aliam pauperibus partem designavit.

Cum

Cum brevi per omnem circum regionem Eugenii caritas innotuisset, numerosæ adeo confluebant pauperum turmæ, ut plerumque unoquoque die festo medimna tritici vigintiquatuor, in profestis autem diebus quatuordecim absumerentur. Tritici medimnum in illis locis pondus habet ut plurimum librarum centum, libra vero continet uncias sexdecim. Cum igitur tam notabilis quotidie impensa fieret, Collegii Procurator, et agrarij rei Præfector denuo Rectorem convenient, eique timores suos indicant, ne Sociis annona deficeret, si deinceps in pauperes tanta esset frumenti copia expendenda. Audivit eos benigne Rector, simulque admonuit, ut meliora de Dei bonitate sperarent: quidquid in pauperum alimoniam insumitur, quæstum esse, non sumptum: nec vero unquam pertimescendum, ne illos divina largitas deserat, qui liberales fuerint in egenos. Perrexit ergo decretam nihilominus exercere misericordiam, quamvis frequentissimus accursus pauperum nihil per duos menses fuerit imminutus. Sed cum scire vellet, quantum tritici esset reliquum, iisdem administris injunxit, ut illud iterum dimetirentur. Atque hic manifeste coepit agnosci, quanto jure Rector assereret, Deum ab hominibus liberalitate se superari non sinere: quam etiam verum sit illud Christi Domini verbum: *Date, et dabitur vobis.* Etenim ille ipse Curator agrorum, qui primum metiendo tritico interfuit, et quidquid expendendum tradebatur Pistori, in rationum librum referebat exacte; cum eidem remetiendo adesset, tantam frumenti accretionem invenit, ut eam singulari Dei beneficentij crediderit attribuendam: tum quia consuetum excedebat naturæ modum, tum maxime quia in acervo illo tritici, qui pro eleemosynis assignatus erat, incrementum fuit duplo majus, quam in altero, qui pro domesticis fuerat reservatus. Ut primum hæc rescivit Eugenius, Procuratori domus, et agriculturæ Præfecto vehementer commendavit, ut eam rem altissimo silentio involverent. Sed postquam ille necessitatibus concessit, ab istorum altero nos ipsi acceptimus, quæ dicta sunt, et quæ dicenda supersunt. Non enim unam, sed multiplicem etiam in præsenti a Deo habuit Eugenius egregiæ suæ caritatis retributionem.

Eodem anno fere omnes Villagarsiensium vineas acri

y 2

quæ-

quædam pruina decoxit. Sed in Collegii vineis rarae admodum exaruerunt vites, et copiosa per autumnum vindemia provenit. Ovium insuper, et equarum foetura triplo numerosior fuit eo anno, quam in superioribus fuisset. Nempe illud Eugenio Rectori concessit Deus, quod olim Magnus ille Basilius promiserat populo, si misericordiam adversus pauperes exhiberet: *Si duo tibi sint panes, inquit, ad fores autem rogator adsit, prome illi alterum. Dans vero, manus in cœlum tolle, dicque pia hæc, et benigna verba: Unum panem, quem vides, Domine, do meo periculo; sed ego tuo mandato meum commodum posthabeo... Novi tuam bonitatem, tua potestate confido, quod non dum tuam gratiam differes; sed brevi, cum tibi placuerit, affatim tua magnificentia dona patebunt.* Quod si feceris, ac dixeris; non dubium, quin panis hic, quem ei hac dabis angustia, agriculturæ semen, ac copiam suppeditabit, multumque tibi ex terra fœnoris reddet divinæ gratiæ consiliator. Hæc Basilius docuit: hæc fecit Eugenius: eo fere tantum discrimine, quod non panem unum, sed unum tritici acervum cum periculo familie suæ, ut credebant aliqui, inter catervas pauperum liberalissime dispertivit. Et cum Dei bonitatem optime nosset, ejusdemque potentia fideret indubitanter; dum oculos in cœlum tollit, et manus protendit ad pauperem, meruit fiduciam, et largitatem suam a Deo mirabili augmento tritici, atque abundantioribus vini, ac pecorum proventibus compensari. Ipsi etiam homines ad reperendam Eugenii caritatem præclaro grati animi exemplo properarunt. Albescebant maturæ jam ad falcem hordeaceæ segetes, quarum erat in Collegio Villagarsiensi copia non modica: sed messoribus, qui peregre expectabantur, tempori non advenientibus, gravis incesserat timor, ne tam lœta spes frugum maxima deperiret ex parte. Id cum adverterent agricultorë Villagarsienses, in quibus aliqui erant honestissimæ conditionis, illius beneficentia memores, qua usus erga eos Eugenius fuerat per hiemem, ad metendum Collegii hordeum sponte sua per æstatem convolarunt. Atque hoc difficile opus tanta suscepérunt contentione, ut ab incepto non destiterint, donec illud post dies amplius quindecim absolverunt. Frustra cum eis actum est sæpe, ut meritam mercedem acciperent: neque enim

enim aliud operæ pretium querere profitebantur , nisi ut acceptis a Rectore beneficiis aliqua ex parte responderent . Ergo quoque ab eis obtineri potuit , ut terna per diem prandia , quæ illis jussu Rectoris apponebantur , admitterent ; cum ea tantum esca cibari contenderent , quæ pauperibus ad januam quotidie ministrabatur . Sed in eo certamine vicit Eugenius , qui omnes eodem ciborum genere , quo vescebantur Socii , majore licet quantitate , dum tenuit messis , exceptit . Tantum illius ardens caritas novit efficere : tantasque habet illa vires ad Dei pariter , atque hominum gratiam demerendam .

Hæc autem , ut præclara sint valde , mea tamen sententia inferiora sunt aliis , quæ non semel tantum , sed frequenter fecit Eugenius . Et enim generosi animi virum , cui facultates non desint , erga miseros liberalem esse , non adeo insuetum , atque admirandum est , ut munificentia hujus exempla , si minus quotidiana , frequentia tamen non suppetant . Sed beneficium erga illos esse , qui tibi molesti fuerint , hoc enimvero rarum est , peneque divinum . Eum præterea , qui divinæ contemplationi multum sit deditus , et austerioris vita rationem inierit , illius otii jucunditatem abrumpere , et ab instituta severitate decedere , ut aliorum inserviat commodis , præcipuum habet in caritatis exercitio commendationem . In his ergo Eugenius præstantiam amoris sui quam maxime demonstravit . Quanquam erat ab studio partium abhorrens , et in conferendis honoribus non personam , sed virtutis et æquitatis jura respiceret ; tamen magistratus sui tempore nonnullum , quantum potuit , ad altiora promovere curavit , quem sciebant aliqui , nihil tale ab Eugenio fuisse promeritum . Inter multa , quæ sæpe in alios contulit beneficia ; dum Bononiae degeret , quemdam , qui sibi olim abunde molestus fuerat , tanta est liberalitate prosecutus , ut is Eugenii benignitatem suspiceret , eamque apud amicos prædicaret . Ad hæc , quamvis in austeritate vita sectanda ita esset diligens , ut propterera sibi non pauca interdiceret , quæ virtuti minime repugnabant ; ea tamen non recusabat efficere , ut aliorum cederet voluntati . Cum decrevisset scrupis non ludere , exceptionem illam adhibuit , quæ in ejus legitur commentario : *nisi*

*rogatus ab aliquo fuerim. Malebat enim nonnihil de proposito rigore remittere, quam aliquid in rebus licitis aliorum precibus denegare. Si quando Sociis minutal aliquod recreationis tempore apponenteretur, aderat ipse incunctanter, omnique severitate deposita, convivium illud, quod fovenda caritati serviebat, placidissimo vultu, jueundisque sermonibus exhilarabat. Jam is, qui mutuae conciliandæ unioni adeo studebat, in præcavendis quæ possent eandem lœdere, vel dissuere, multo erat studiosior. Plurima in adversariis reliquit, quæ solicitam ejus curam ostendunt, ut ne quid diceret, vel efficeret, quod offenditionem aliis, aut molestiam afferret: quorum hic ad aliorum exemplum pauca quædam exhibeo: De rebus nostris quid novi afferatur, non quaram. Siquis ultro mihi aliquid enarraverit, de hoc ulterius, nisi forte rogatus, verba non faciam: idque simpliciter, ac sine additamentis expponam, præsertim cum aliquid intervenerit, quod possit aliorum famam deterere... Hoc erit peculiare præsentis anni examen, nullum ut verbum scienter proferam, quod aliquem possit presentem, vel absentem offendere... Sermonem de aliorum mendis ipse non inferam: si fuerit ab alio illatus, vel silebo, vel potius ea, utcumque possim, excusabo. Denique, ut præsenti argumento finem imponam, vir quidam integerrimus, magnæ fidei, qui supra decennii spatum cum Eugenio vixit, eique diligenter in extremis adfuit, hæc inter alia testificatur: *Innocentissimus erat Eugenius, deque ceteris ne cogitare quidem sinistre noverat. Ab illius ore neminem improbum deprehendissas, cum nollet unquam aliquem verbo lœdere.**

Immutabilem hanc tenens in decurrentia perfectionis via constantiam, quanto magis ad metam appropinquabat, eo illustriora dabat virtutum exempla. Gravioribus afflictus incommidis valetudinis, et annorum oppressus pondere, dies agere cogebatur vel affixus lectulo, vel intra cubiculi fines inclusus. Ad eas tamen redactus angustias, vitam illam vivebat, quæ abscondita est cum Christo in Deo, quæque tanto pretiosior in divino conspectu est, quanto minus humanis obtutibus splendere videtur. In diuturna illa commorans solididine, placidissimos ducebat dies, ut ab humanarum rerum cupidine alienus, ita divinis contemplandis, ac desideran-

randis intentus. Ecquis vero satis digne possit exequi verbis amabilem mansuetudinem, et animi tranquillitatem, quæ serena ex facie, dulcissimis verbis, et compositis ejus actionibus emicabat? Nullus mœror in vultu, nulla frontis contractio, nullum apparebat in eo supercilium. Inter illos enim, qui ad Eugenium per id tempus conveniebant, quis eum subtristem aliquando vidit, aut ab ejus ore lamentum aliquod, vel asperiorum aliquam vocem exceptit? aut quis illa notavit morositatis indicia, quæ senioribus inculpatæ ceteroqui vitæ non raro adhærescunt? Profecto, si non alia virtutum ejus argumenta superessent; ad eminentem perfectionis gradum, quem attigit, agnoscendum, satis deberet esse imperturbata illa, sanctaque lætitia, et inconcussa pax animi, qua fruebatur, quæque sine assidua honesti ac decori contentione, sine diurno repugandi sibi labore, denique sine cunctarum stipatione virtutum in hoc ærumnarum loco non obtinetur. Sed humanæ fragilitatem vitæ, quam sæpe recogitaverat, in pacifico illo recessu attente meditabatur, diligentemque operam dabat, ut in transitu, quem primum judicabat, bene instructus inveniretur. Sic patet ex iis literis, quas undecimo Kal. Octobris anni 1781 dedit ad nepotem suum Josephum Vincentium Lamadridium, in Abulensi Canonicorum cœtu Doctorali, quam vocant, dignitate fungentem: *Quamvis annos natus sim octoginta septem, quos proximo Novembri complebo, melius tamen quam pro ætate mea valeo. Sano sum adhuc, satisque robusto capite, ut preces ad Deum pro me fundam, proque propinquis meis, quod efficere quotidie non desino, et ut me ipse comparem ad moriendum; eum procul jam abesse non possit magnus hie discessus a semper ad aeternitatem. Et quoniam ob altissima Dei judicia non aliud modo instat agendum, æquum est, ut huic negotio, quod tanti interest, curam meam omnem impendam. Hoc erat Eugenii studium in ætate illa, in qua plerique hominum, qui ad eam venerint, de fovenda valetudine, deque protrahendis vitæ finibus, sollicite, ut plurimum, agere consueverunt.*

Placuit tandem vitæ, mortisque auctori Deo repetita servi sui vota exaudire, illumque ad promeritam laborum mercedem evocare. Paucis admodum diebus postquam nonage-

simum ætatis annum attigerat, quædam in eo apparuerunt vicinæ mortis prænuntia, quæ longa potius senectus, quam alterius vis morbi excitaverat. Demumque in postrema luce anni 1783, sub ipsum noctis crepusculum, perceptis rite Sacramentis, inter Sacerdotum, aliorumque adstantium preces, magna animi tranquillitate spiritum Creatori suo reddidit, cui tot annos tanta cum fidelitate servierat. Hic fuit pretiosus vi-
tz finis Eugenii Colmenaris, cujus in obitu ea nonnulli edi-
derunt venerationis signa, quæ solent viris sanctitate conspi-
cuis exhiberi, retentis sibi religionis causa, quæ ipse, dum
viveret, frequenti usu pertractaverat. Sepultus est in æde sa-
cra S. Nicolai ad viam S. Felicis, intra arcam inclusus li-
gneam, quæ in eminenti loco, ut cupiebant multi, colloca-
ri non potuit. In eadem arca repositum est elogium, quod
hic subjicio, triplici occlusum tubo, quorum intimus erat
vitreus, medius ex ferri lamina, extimus autem plumbeus.

D. O. M.

EVGENIO . FRANCISCO . DE . COLMENARIBVS
 ELAPSI . PROXIME . SECVLI
 ANNO . NONAGESIMO . QVARTO
 IN . HISPANIA
 AD . BALMÆVM . OPPIDVM . VALLIS . LIEBANENSIS
 IN . LEGIONENSI . DIŒCESI . NATO
 LABENTIS . DECIMOQVARTO
 CASTELLANÆ . PROVINCIÆ
 IN . SOCIETATEM . ADSCRIPTO
 TIRONIBVS . AD . EIVS . INSTITVTA . COMPONENDIS
 COLLEGIIS . QVAMPLVRIMIS . GVBERNANDIS
 IPSI . DENIQVE . PROVINCIÆ NON . SEMEL . REGENDÆ
 PRVDENTIA . EXEMPLIS . OPERA . ÆDIFICANDÆ
 ANNOS . MVLTOS . ADSCITO
 VIRO . DEI . ECCLESIAE . RELIGIONIS
 OBSERVANTISSIMO
 JVGI . ORANDI . DEV M . STVDIO
 CRVCIANDI . SVI . INEXPLEBILI . DESIDERIO
 HVAMILITATE . OBEDIENTIA . SINGVLARI
 DE-

DEVOTIONE. AC. PIETATE. SEMPER. ALACRI.
HVMANARVM. CONTEMPTIONE. RERVM
MIRA. SVAVITATE. MORVM. AD. OMNES. PRÆDITO
QVI. POST. INGENTES. TERRA. MARIQVE
EXANTLATOS. LABORES
AC. FIRMA. PACE
NEDVM. CONSTANTIA. TOLERATOS
PRIMVM. CORSICAM. HINC. BONONIAM. EXVL
SECVNDIS. ÆQVE
ET. ADVERSIS. REBVIS. SIBI. CONSTANS
VNAMQVE. DEI. VOLVNTATEM. INCLAMANS
ANNO. AB. EMISSA. PROFESSIONE
QVINQVAGESIMO. SECVNDO
AB. ABOLITA. SOCIETATE. AMPLIVS. DECIMO
VIRTVTIBVS. CLARVS. OPINIONE. SANCTVS
IN. EADEM. VRBE. VITA CESSIT
PRIDIE. KAL. JAN. ANNI. MDCCCLXXXIV.
PROVINCIAE. CASTELLANÆ. SACERDOTES
MOERENTES
P. P.

G A S P A R C A S T I L L U S .

~ ~ ~

Gaspar, innocentis vita^z juvenis, ortum habuit Bernardis, Segoviensis dioecesis oppido, reparata^r humanæ salutis anno millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, die vero decima quinta Februarii. Parentes ejus, quibus non deerant facultates, et pietas suppeditabat, filium, ut divinis legibus, humanisque literis melius imbueretur, in Collegio quodam Segoviensi collocarunt, cujus alumni Societatis gymnasia frequentabant. Ibi educationis, quam domi habuerat optimam, promptum dedit specimen, et cum inter æquales affabilis, atque urbanus esset, morigerusque Magistris, brevi cunctorum sibi animos conciliavit. Sed illa erat laus pueri præcipua, quod in scholæ pariter, ac templi functionibus obeundis tantam, et tam constantem exhibebat diligentiam, ut cæteris condiscipulis, teste Magistro suo, magno esset exemplo. His autem literarum, et pietatis occupationibus sedulo intentus, divini vocem Spiritus, ad perfectiora illum invitantis, libenter auscultavit, et sine cunctatione sequi constituit. Religiosam in Societate Jesu vitam cum vehementer cuperet profiteri, multis apud Deum, et homines precibus institit, ut voti compos efficeretur. Quod cum obtinuisse^t decimo quarto Kal. Aprilis, decurrentis seculi anno sexagesimo quarto, diem illum faustissimum semper habuit, et castissimum Deiparæ Sponsum præcipua religione perpetuo coluit, quod in eius festa luce Sociis fuisset annumeratus.

Magnam tirocinii partem adversa usus est valetudine. Initio tertianis febribus laboravit, quæ longo eum tempore afflixerunt: deinde molesto ægrotavit pustularum morbo, qui gravioris in adolescentia solet esse periculi. Sed his diu conflictatus incommodis, non propterea in percipienda religiosis vita^z disciplina fuit tardior, neque inde commune illud mulitorum detrimentum contraxit, ut ex languore corporis langui-

guidior etiam evadat animus ad pietatem. Quod minus poterat in aliis tirocinii laboribus exercendis, dum jacebat in lecto, id patientia, et mansuetudine, promptaque in exequendis mandatis obedientia compensabat. Cum deinde pristinæ redditus est valetudini, nihil efficere prætermisit, ut ad institutæ vitæ leges se totum accommodaret. Quamvis esset ingenio acer, et vehemens, idem tamen dulcis erat, ac lenis: cohibito namque naturæ impetu, ne quemquam laceret, eodem, ad impigre aggrediendum quæ agenda occurrerent, utebatur. Et in explendis quidem majorum jussis non modo erat promptus, et constans; sed et simplici mentis assensu, et sincera vultus hilaritate multam obsequiis addebat commendationem. In familiari vero cum æqualibus consuetudine facile sibi benevolentiam aliorum adjungebat propter morum inguitatem, et sermonis gratiam, qua sæpe de rebus sanctis jucundissime loquebatur. Quoties autem cum Deo colloqueretur, apparebat ex ejus vultu, et externa supplicis reverentia, quanta cum animi contentione, ac fervore spiritus divina pervolveret. Ab eoque attenx meditationis studio, cui valde addictus erat, vires desumebat ampliores ad comprehendendos animi motus, et conterendam contumaciam corporis, quod frequenti asperitatum usu excruciat. His, aliisque tirocinii exercitationibus edolatus, ad offerenda Deo vota processit, quæ sicut exuberanti gaudio concepit, diligenti quoque fide servavit: eademque usus est diligentia in præceptis, et consiliis illius primæ institutionis per omne vitæ spatium retinendis.

Sub æstatem anni 1766 missus est Compostellam, ut operam Philosophiæ daret. Sed vix studia illa inchoaverat, cum longe peregrinandum illi fuit, antequam eadem posset absolvere. Captus III Non. Apriles insequentis anni, ut in exilium cum cæteris amandaretur, majorem habuit exercendæ patientiæ, constantiæque perhibendæ opportunitatem, quam arcana philosophica speculandi. Pridie ejus diei multus tota urbe rumor increbuerat, ex insperato adventu militum extortus, quorum profectionem alii alio pro sua quisque opinione referebant. Plerique tamen expeditionem illam adversus Collegium Societatis susceptam fuisse suspicabantur, id-

que non pauci amicorum Sociis eodem die persuadere conati sunt. Sed quem securum innocentia reddit, neque ulla delicti conscientia premit, imminentium comminatione malorum non facile perterrefeceris. Nemo unus fuit, quem iterata certi periculi denuntiatio commoveret, omnesque diem illum suis intenti officiis, ut consueverant, exegerunt. Nullus occultandis libris, aut comburendis scriptis impensus labor: nulla condendis aliis quibusque rebus adhibita diligentia, ut impense suadebat externorum aliquis, nequid forte inter scrutandam domum inveniretur, quod justam habere posset criminationem. Verum, cum nihil ejusmodi lateret domi, neque aliud quidquam Socii, attente omnia circumspicientes, animadverterent, quare militares illæ copiæ in ipsos directæ fuisse; nullis trepidantium amicorum obtestationibus adduci poterant, ut timerent, ne illa cuderetur in se faba; nisi si cuiquam per summam injuriam insolentes calumniari libuisset. Illo igitur die sine perturbatione transacto, cum tempus nocturnæ quietis advenit, in sua cubicula tranquille singuli discesserunt. Sed milites eadem nocte Collegium ante diluculum obsident, et appetente jam hora, qua surrecturi erant Socii, januæ tintinabulum crebris pulsationibus quatiant. Janitor, antequam aperiret, de militari strepitu, quem observaverat, Rectorem monuit. Is cum Ministro domus ad januam venit, eamque pandi jubet. Sublatis repagulis, subito irumpunt armati milites, cum eisque primarius urbis Magistratus, quem ibi Assistentem vocant, et Scribæ aliquot, forensesque ministri. Rector, dum Assistentem deducit in cubiculum, paucis ab eodem didicit, quo tandem respiceret adventus ejus, et inusitatus ille militum apparatus. Interea excitantur Socii, et, in Rectoris cubiculum quamprimum veniant, admonentur. Dum eo properant, per medios incedunt milites, qui ballistas suas cuspidibus præfixas habentes, omnes Collegii aditus, omniaque occupaverant ambulacra. Numerabat eo tempore Collegium Compostellatum Socios quadraginta tres: sexdecim Sacerdotes erant, quorum duo tunc aberant, Scholastici quindecim, ac duodecim Adjutores. Omnes e cubiculo Rectoris in Sacellum domesticum processerunt: quo cum ingressi essent Præfecti militum, et Notarii; Assistentes,

tens, qui medius sedebat omnium, propterea venisse se dixit, ut Patribus decretum regium indiceret, quod, in reverentia signum, æquum erat, ut stantes cuncti auscultarent. Surgit ipse: consurgunt omnes: recitatur decretum, cuius hæc erat summa: Decrevisse Regem ab omnibus suæ ditionis finibus Societatis homines amandare, ut populorum tranquillitati propiceret, aliisque de causis, quas in regio suo pectore reservabat.

Ad terribilem, nec opinatam hujus fulminis explosionem, nullus fuit inter Socios, qui plene sui potens non fuerit: nullum cuiquam excidit verbum, quod debitam Regi observantiam, et promptam mandatis ejus obedientiam non indicaret. Videbant illi quidem inflicte poenæ durissimam conditionem, et annexam eidem gravissimam ignominiam. Sed exilii acerbitatem ea maxime cogitatio deliniebat, quod hominum Societatis (ut vel in ipso suarum institutionum limine habebant) proprium esset, diversa loca peragrare, et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium, et animarum auxilium speraretur. Quod si modo divinam gloriam, et animarum salutem agendo, et operando promovere non que possent, patiendo certe, ac sustinendo, non-nihil effecturos esse sperabant. Ut vero infamia notam æquiore animo ferrent, ex intimo conscientia testimonio non parum ergebantur, cum nihil sibi essent concii, quod tantam in se potuisset arcessere calamitatem. Gaudere quinimo poterant de præclara, quam præ manibus habebant, opportunitate summum illum christianæ perfectionis apicem attingendi, ad quem eniti S. Ignatius cunctos disciplinæ suæ alumnos his gravissimis verbis adhortabatur: *Diligenter animadvertant oportet (magni faciendo, summi momenti id esse ducento in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantopere juvet ac conferat ad vitæ spiritualis profectum; omnino, et non ex parte aborrere ab omnibus, quæ mundus amat et amplectitur; et admittere et concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit, et amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur; diligunt et querunt magna cum diligentia honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet;*

cet; sic qui procedunt in spiritu, et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, et ardenter exoptant, quæ iis omnia contraria sunt; indui nimirum eadem veste, ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore, ac reverentia: adeo ut, si sine offensione ulla divina Majestatis, et absque proximi peccato foret, vellet contumelias, falsa testimonia, et injurias pati, ac stulti haberet et existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem, ac Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque vestibus et insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter majorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit, divina gratia aspirante, eum imitari et sequi, cum vera sit via, quæ dicit homines ad vitam, velimus. His eruditis sublimis sapientiae documentis, quæ s̄epissime legerant in earum summario Constitutionum, quæ ab omnibus erant observandæ, facilis potuerunt Socii Compostellani constantiam, et mansuetudinem in durissimo illo conflictu retinere.

Quo firmiores autem in eodem animi sensu perseverarent, et ampliores a Deo vires obtinerent ad insurgentium laborum pondus æquabiliter sustinendum, statim post denuntiatum exilium de altaris Sacrificio cogitarunt. Sed Assistens, qui multam cæteroquin humanitatem, et clementiam erga Socios exhibuit, iisdem ut Sacrum eo die facerent, permittere non posse, respondit. Longam deinde ab Aula missam protulit instructionem, in qua Sacrarium occupare jubebatur, et Bibliothecam, et Tabularium, et alias officinas, quarum profinde claves postulavit, et Excubidores apposuit. Interea quamdam Scribæ formulam confecerunt, ex qua legem exilii Sociis indictam, ab eisque acceptatam fuisse constaret, illamque omnes ad unum Socii suo quisque nomine subscripserunt. Nemo erat in tot adversis, qui animum ærumnis immersabilem non exhiberet, aut divinæ voluntati non sese submitteret. Gaspar Castillus, cæterique adolescentes, qui philosophica studia pauclo ante inchoaverant; de relinquenda patria, de amittendis parentibus et cognatis nihil solicii, ea tantum de causa commovebantur, quod suis spoliati libris, incepsum studiorum cursum non possent perseQUI. Edixerat enim Judex, ne quis

librum ullum extraheret præter codices precum Sacerdotalium, et libellum aliquem, qui de rebus ageret spiritualibus. Quod si eis philosophicum Ludovici Losadæ Cursum, quo utebantur in scholis, secum asportare licuisset, maximi beneficij loco habituros esse confirmabant. Hæc ipsorum vota cum Emmanueli Luengo Magistro suo significassent, non dubitavit is de ardenti desiderio discipulorum ad Assistentem referre. Hic autem, audita juvenum laudabili petitione, lacrymas contine-re vix potuit: et cum cognovisset, eorum neminem ad sol-vendas divinas preces teneri, æquum esse duxit, innocuis annuere optatis, et, quos ferre avebant, libros benigne conces-sit: *Hi enim, dixit, Breviaria sunt juvenum studiosorum.* Hac accepta gratia, incredibiliter latati sunt omnes, et ad reliquos exilii sui labores ita erant animis comparati, ut incommoda omnia susque deque habituros esse sperarent. Tam paucis contenti erant, ut lati viverent inter multarum rerum inopiam.

Dum hæc domi fierent, magna erat tota urbe animorum commotio. Archiepiscopus Bartholomæus Rajoius, quem vir quidam de Sociorum expulsione certiore redditum, hoc accep-to nuntio, semianimis corruit. Et quanquam linquentem animum paulo post revocavit, moerore tamen ita confectus erat, ac perturbatus, ut quos eo die decreverat initiare, in diem alium rejecerit. Deinde duos e cœtu Canonicorum allegavit ad Patres, qui verbis suis dolorem, quem ex eorum infortunio ceperat, testarentur: simulque per eosdem centum aureos duplos illis dono misit. Innocentes pueri, qui literariorum ludum frequentabant, inter primos fuerunt, qui Sociorum exilium suis lacrymis prodiderunt. Cum enim multo ma-ne ad Scholam de more convenienter, illamque occlusam, ac pro foribus excubantes milites offendissent, inde in domos suas conterriti, plorantesque remearunt. Subito innumera Civium, ac populi multitudo Collegii vicinæ affusa est circumundiue, quorum alii rei novitate obstupentes, alii valde solliciti, ac pene furore conciti videbantur. Ne quid gravius accideret, quod in tanta multorum agitatione timendum erat vehementer, inductus videtur Judex ad concedendam civibus facultatem, ut Socios alloquerentur, iisdemque valedicerent.

At-

Atque initio quidem non sine delectu aliquo primores admittebantur; procedente vero die, omnes fere Compostellanæ nobilitatis familiæ ad salutandos Socios vel per se ipsæ, vel per amicos, aut familiares suos accesserunt. Nec postremi fuerunt in hoc humanitatis officio adimplendo, qui Collegii terere lîmina non erant soliti, neque Sociorum amicissimi putabantur. Quam vero profusis lacrymis, et quanta cum Societatis commendatione vim doloris sui, ac desiderii acerbitatem expresserint universi, non facile illud exequi verbis possim, neque id enarrare modestiz patiuntur leges. Sed ab illorum certe animis, qui tum præsentes fuerunt, gratam prolixæ adeo benevolentiz recordationem nulla unquam delebit oblivio.

Pridie Non. Aprilis cum albescebat jam dies, parati omnes erant ad profectionem. Antequam domo discederent, quoniam templi aditu prohibebantur, ad cancellos, unde prospectus erat in templum, acciderunt cuneti, Deumque suppliciter adorantes, largiorem ab ipso rogarunt benedictionem, ut calamitates, quas animo præcipiebant, constanti virtute sustinerent. Hinc egredientibus obviam occurrit Philippus Diezzius, Collegii Janitor, qui baculo innixus ægre senile trahebat corpus, ideoque ab exilii lege fuerat absolutus; quanquam postmodum magno cum ipsius gaudio cæteris obtinuit aggredi. Nunc abeentes Socios tenerime complexatus, tanto maledebat fletu, suamque ita dolebat vicem, ut planctum omnibus excitaverit: et qui pridie multorum lacrymas civium siccis oculis spectaverant, ad illius modo sensis lamentationes, quod in exilium ire prohiberetur, a ploratu abstinere non valuerunt. Adeo est ad ciendos animos opportunum in pulchriora generoso studio contendere! Cum paratæ jam essent mulæ in cavædio Collegii, sine mora in eas ascendunt: et præcedente militum manu, a tergo sequente alia, et ad latera duobus etiam ordinibus militum collocatis, ac perstrepentibus tympanis, iter in Corunniensem urbem instituunt. Sed quas præterituri erant vias confertissimus populus ita occupaverat, ut milites æque, ac Socii lento gradu procederent, atque ab ingruente undique multitudine premerentur. Pridianæ illæ doloris intimi significationes passim exaudiebantur, multique non solum lacrymis, sed clamoribus etiam incondit

tis tristissimam suam sortem , Sociis abeuntibus, deplorabant. Non pauci per medios militum ordines irrumpentes, neque illorum mucronibus perterrefacti, ad Socios usque penetraverunt, ut eis ultimum vale dicerent, et manus suffusi lacrymis oscularentur. Ipsi adeo milites in illa tam frequentis populi commotione vehementi nihil severius agendum sibi esse duxerunt, ne acrius fortasse concitataim plebem exagitarent. Fortunateque Deo placuit, ut ne quid luctuosius fieret, quod et Sociis ingratissimum fuisse, et ipsi populo perniciosum. Nec modicum ad continendos animos juvit tranquillus, et hilaris Sociorum vultus, quem patriis expulsi finibus præ se ferrebat, quique ad imminendum moerorem intuentium faciebat plurimum: circumspectus item loquendi modus, quo suam ipsi calamitatem omnibus, qui ad se accederent, patienter ferre significabant: denique indignationis plena objurgatio, qua unum, et alterum represserunt, qui, velut ebrii doloris impetu, seditiosa quædam verba coram ipsis proferre ausi fuerant. Hoc modo Sociorum ab urbe discessus sine tumultuatione peragi potuit, et inter publicam ignominia no tam multam etiam habuit honoris, et amoris publici testificationem .

Postquam mille amplius extra urbem passus processerant, et plerique de populo, aut plorando et incedendo defessi, aut Sociorum adhortationibus inducti, regressi fuerant; milites, qui haud parum erant solliciti, respirare coeperunt. Tunc Centurio, cæterique Prefecti militares, cessante jam tympano, comiter accesserunt ad Patres, quibus non aliam habuisse causam illius bellici apparatus ostentandi confirmarunt, nisi ut populo terrorem incuterent, quem sciebant ita fuisse proclivem ad insurgendum, ut proxima nocte non nihil turbarum excitaverit, sed feliciter esse cohibitum. Post hæc Præfecti militum perhumaniter habuerunt Socios, quod et alibi, pro generosa ipsorum indole, alias etiam novimus effecisse. Cum venissent ante meridiem in vicum Poulum, ibidem eo die constiterunt. Postridie, antequam viæ se darent, Sacro interfuerunt, faciente Rectore Laurentio Uriarte, qui omnes Christi Corpore communicavit. Inde processerunt in vicum alium (Corralem vocant incolæ) ubi eis ad-

juncti sunt duo illi Sacerdotes , quos abesse Compostella diximus . Hi erant Theodorus Cascagedus , et Franciscus Salesius Morchonius , qui diœcesim illam ad Archiepiscopi nutum , cuius alebantur expensis , sacris Missionibus excolebant . Quo die capti erant Socii , miserat ad eos Rector certum hominem cum literis , ut in Collegium e vestigio revertentur . Has illi literas , cum de loco , in quem missæ fuerant , discessissent , nusquam acceperunt . De iis tamen , quæ Compostellæ , atque alibi fierent , certiores aliunde redditi , abruptis ministerii sui functionibus , in eam urbem subito convolarunt . Cum abiissent jam inde Socii , recta illi ad Assistentem accedunt , ab eoque petunt , ut de se libere pro arbitrio suo decernat . Noctem ibi commorati , sub novæ lucis ortum Corunniensem viam arripiunt , cupidique suorum subeundi sortem Sodalium , ad eos Corrali lœti pervenient , et cum iisdem Corunniam illa nocte ingrediuntur . Multi alii per Hispaniam , qui forte domo aberant , cum Societas proscribentur , parem animi constantiam exhibuerunt : mirabanturque ubique populi novum illud reorum genus , qui , cognita suorum clade , non fugam arripere , non latebras querere , sed Judicibus seipsos sistere , atque in exilium abire festinabant . Ex iis ego , ut alios prætermittam , Sacerdotem commemora-
 re non desinam , cuius fuit in adoriendis periculis , licet ea majora essent veris , fortitudo animi valde singularis . Vallisoleti , dum in Collegio S. Ignatii exilium Sociis indicebatur , deerat inter alios Hieronymus Obesus , qui Collegii ejus negotia procurabat , quorum causa paulo ante extra urbem profectus fuerat . Sed eo die revertentem , et quæ domi suæ acciderant ignorantem , amici a suscepto itinere retrahere conabantur , exposita lamentabili suorum calamitate , oblataque ope , ut eam tutissime declinaret . Id ille indignum reputans , ad omnem potius subeundam aleam paratum esse , respondit . Tum quidam de intimis , cui aut vulgi error , aut imaginandi vis propria imposuerat , ad S. Ignatii omnes ad unum Socios capite plecti , indubitanter asseruit . Cui Hieronymus : *Ego etiam* , inquit , *cum fratribus meis desidero jugulari* : subditisque calcaribus multæ , gressum accelerat in Collegium , ut servicem offerat cultro , quem amicus imminere sibi , falso qui-

quidem, sed omnino asseveranter affirmaverat. Hujus tam intrepidi animi exemplum apud illos non facile inveneris, qui testimonio conscientiae suæ, atque honestati causæ diffidunt.

Compostellani, cæterique per Gallæciam Socii detenti sunt in Collegio Corunniensi, dum reliqui ex aliis provinciæ Castellanæ domiciliis in proximum Ferrolii portum convenienter. Sesquimensem intra custodiam illam inclusi, eam tenuerunt rationem vitæ, quæ religiosos decebat viros, ne inter tot adversa deficerent. Primo mane surgentibus prima erat cura diuinam implorare opem, et animos ad viriliter sustinendum unius horæ meditatione firmare. Deinde incruento aderant Sacrificio, quod initio paucioribus, postea vero ad iteratas ipsorum preces pluribus conficere permittebatur. Sed in tanto Sacerdotum numero cum sacrificare omnes quotidie non possent, horum non pauci salutarem Hostiam de celebrantis manu accipiebant: quod Scholastici etiam, et laici frequentius solito factitabant. His omnia illa accedebant pietatis exercitamenta, quæ in Collegiis de more peragebantur: et cum graviores modo essent, quæ urgebant undique difficultates, maja quoque, ad eas superandas, quærebantur ab omnibus adjumenta. Vix unquam deerant in superioribus templi choris, qui mane, ac vesperi Christum Dominum adorarent, ab eoque profusis lacrymis, ardentibusque suspiriis auxilium peterent præsentibus necessitatibus opportunum. Frequentes erant novem dierum deprecationes ad Cœlites, ut cunctis potenti ope succurrerent, et ea cuique dona impetrarent, quibus maxime noverant indigere. Illa enim tam sœva, quam improvisa tempestas id universim inter Sōcios visa est effecisse, ut in se ipsi descenderent, et ferventiori studio ad asylum configuerent orationis. Gaspari Castillo, dum ibi mansit, consuetum et jucundum erat sœpe ad templi foros accedere, ubi mente, et corpore supplici suam in conspectu Dei animam effundebat: indeque redibat alacer ad literarias occupationes, vel quascunque alias fideliter obeundas. In ea quippe tot hospitium, et militum multitudine, quamvis perexigua esset colendis literis opportunitas, tamen adolescentes illi, qui Philosophia initium dederant Compostellæ, intra conclave quoddam remotum, quod eis ad dormiendum obtigerat, cer-

tas dabant horas studiis, et ibidem Magistri sui prælectiones audiebant. Ab eodem etiam in sermonis Italici rudimentis erudiebantur, ut, juxta regulas S. Ignatii, regionis ejus linguam addiscerent, ad quam erant propediem, ut vitam in ea degerent, deportandi. His dediti occupationibus, inter illius custodiaz angustias latos ducebant dies, et quam ostenderant in aggrediendo exilii itinere alacritatem, in eadem ad prosequendum illud perseverabant.

Undevigesima die Maii, cum cæteri provinciaz Socii ex variis Cantabrii maris portibus Ferrolium appulissent, illi etiam qui Corunniæ manserant, ad eundem portum adnavigarunt. Congregatis ibi omnibus, de his inter se quærebant avide, quæ in Collegiis, et in itinere contigissent. Et quamquam multa narrabant multi de Ministrorum diversa ratione operandi, quorum alii mitius, alii severius rem gesserant; de præclara militum, qui eos deduxerant, humanitate; de populorum lacrymis, et insigni benevolentia; illud tamen jucundissimum fuit agnovisse, omnes ubique Socios submissos, promptoque ad obsequendum animo regium exilii decretum auscultasse, ac neminem eorum ob alicujus imputationem crimis uspiam fuisse retentum. Paratis igitur animis ad sequendum Dei nutum per infamiam, et bonam famam, nonno Kal. Junias Hispaniaz relinquunt oras, provectique secundis ventis, litora Tyrrheni maris post dies viginti duos attingunt. Sed Præfecti navium, acceptis Roma novis mandatis ab Hispano Ministro, in Corsicam obvertunt proras, Sociosque in ea insula, ut alibi demonstratum est, ad Calvii litus exponunt.

Castillus noster, qui per instabiles maris undas constanter, et pacificum retinuit animum, cum ad eam venisset urbem, inter belli tumultus philosophica instauravit studia: quæ tamen, nova deinde peregrinatione suscepta, nec in eo quidem loco confecit. Sequenti anno a Gallis, qui Corsicam occupaverant, in Liguriam devectus, inde in Pontificiam dictionem transiit, ubi Philosophiam absolvit, et Theologiam Bononiæ didicit. Per id tempus Sacerdos consecratus est ab Episcopo Britonoriensi: deincepsque per annos circiter quindecim, quos Bononiæ degit, ab exactæ vita norma, quam hactenus

tenus secutus fuerat , nulla vel temporum , vel eventorum va-
riete discessit . In perficiendi spiritus curam intentus , con-
suetas meditationes , binamque conscientia discussionem at-
tente per dies singulos exequebatur : quorum illud ad inse-
rendas virtutes animo , alterum ei proderat ad vitiosa , quæ in
se deprehenderet , resecanda . Inter libros , quibus ad perfec-
tionis incitamentum utebatur , nullum fere terebat frequentius ,
quam Ven. Berchmansii Vitam , Hispano sermone composi-
tam a P. Joanne Lojola , qui eidem appendicem adjunxit , in
qua Bernardum Hoyos , insignis innocentia juvenem , tamquam
geminum Berchmansii exemplar depingit . Castillus utriusque
gesta legebat assidue , atque ut eorum mores exprimeret tam
in externa corporis , quam interna mentis compositione , ma-
gno connitebatur studio . Hinc elucebat in eo ad res divinas
propensio singularis , quas , cum frequenter exercebat , reve-
renti semper animo pertractabat . Latentem in Eucharistia De-
um , et intemeratam Virginem ejus Matrem multis quotidie
salutationibus , ac devotæ servitutis officiis reverebatur . San-
cto Aloysio Patrono suo , aliisque cœlestis Curiæ civibus mul-
ta quoque cum multo pietatis sensu deferebat obsequia . Quo-
tannis , etiam post abolitam Societatem , commentationibus S.
Ignatii præcipuo quodam fervore per octonus vacabat dies ,
in quibus animum generali confessione repurgabat : parique
diligentia easdem per triduum iterabat meditationes in mensi-
bus Januario , et Junio . Singulis præterea mensibus , omni
alia cura seposita , diem unum spiritualibus destinabat exerci-
tiis , ut se ad bene moriendum præpararet : quem diem cul-
parum exactissima confessione claudebat . In his præsertim die-
bus præclaras concipiebat deliberationes , quas consignatas li-
teris , et a ductore suo probatas , vel interdum etiam correc-
tas , deinde diligenter exequebatur cum notabili progressione
in exercitatione virtutum .

Dum Societatis suberat disciplina , quæcunque ageret ,
quæcunque item cuperet , aut cogitaret , ad Superiorum pla-
citum , atque ad instituti regulas omnia exigere conabatur :
eximiamque reputabat religiosi hominis felicitatem , cui Deus
certissimam agnoscendæ voluntatis suæ viam per imperantium
vocab ostendit . Propterea cum , deficiente deinde Societate ,

sua-

suavissimum obedientiæ jugum deponere coactus est , non modicum inde mœrorem contraxit , quod jam sibi relictus , tutissimam illam ad perfectionem semitam premere ultra non posset . Neque ante ægritudinem illam abstersit , quam ex amici consilio statuissest moderatorem animi eligere , cui sponte sua in omnibus , quæ ad progressum in virtute pertinent , obdirezet . Hoc accepto consilio , studia sua omnia ex illius sententia moderabatur , quem consiliarium sibi delegerat , nequid in re aliqua nimis , vel nequid etiam minus efficeret , quam rationis , et prudentiæ leges exigerent : eademque via ex animi evadebat angustiis , ad quas præ desiderio emendatissimæ vitæ nonnunquam adigebatur . In cultu corporis , et habitaculi ornatu munditiem , ac decentiam sic adamabat , ut simul paupertatis amorem ostenderet , pretiosa quæque , ac minus necessaria rejiciens . Sed quamvis ab omni superfluo sumptu abhorreret , erat tamen in his , quæ conditionem decerent suam , minime sordidus : ac mendicis etiam , pro facultatum tenuitate , liberaliter subveniebat . Cætera austerus erat , atque ab obsequio corporis , indulgentiaque remotus . Eam tenuit in cibo , et potu moderationem , ut vinum gustaret nunquam , cibum autem ita desumeret , ut quamvis mensæ accumberet largioribus instructæ dapibus , suum ille servaret modum , lautioribusque relictis , vulgaria tantum , et quæ palato minus ariderent , attingeret . Jejunus veniebat ad prandium , et pro cœna solum intybum , aut simile aliud olusculum assumebat . Chocolato , tabacoque abstinuit : et ultra præcepta jejunia , alia etiam ex devotione observabat . Addebat his omnibus graviores corporis macerationes ex Confessarii permisso , qui nimium ejus fervorem continebat , ne id genus asperitatibus pro eo , quantum ipse cuperet , uteretur . Sed quod ab illo impetrare non poterat , majore utique fœnore redimebat , superrandis voluptatibus , atque etiam voluntate frangenda . Inexpiabili suscepto bello contra inordinatas animi appetitiones , multam ad eas debellandas diligentiam adhibuit . Præter occasiones , quæ ultro sibi occurserent , alias de industria quærebant ipse , in quibus sibi vim inferret , devictis adversitatibus , atque omni proclivitate naturæ superata . Ad hanc vincendi sui curam particulare dirigebat examen , ex quo præclaros capie-

piebat fructus aliarum etiam virtutum , quæ ab illa propriæ voluntatis , ac judicii expugnatione nascuntur . Quapropter eminebat in eo animi modestia non affectata , promptum ad aliorum commoda obsequium , aperta quædam simplicitas , et mira in familiari consuetudine affabilitas , qua unus deliciæ omnium et amor erat .

Singulari dignum est nota laudabile illud studium , quod in referenda beneficiis gratia collocabat . Multorum longo ordine habebat descripta nomina , qui de se aliquando bene essent meriti . Pro his multa ipse offerebat Sacra , multaque ab aliis , persoluto stipendio , curabat offerri ; ut eorum singulis , si vitalibus adhuc fungerentur auris , perseverantiam in justitia precaretur ; si vero defuncti jam essent , perpetuam pacem . Miserat in album illum avos , et genitores suos , aliosque consanguineos , et affines : multos item , qui sibi peculare aliquod contulerant beneficium , in quibus censebat eos , quorum opera Societatem adire obtainuerat : nec omittebat illos , qui erga se male erant animati , quorum proinde offensiones videtur inter beneficia computasse . Alium etiam confecerat catalogum personarum , quas Deo speciali cura decreverat commendare . Tales erant Superiores ejus , et Confessarius , Magistri omnes , quos aliquo habuisset tempore , Condiscipuli etiam , et quotquot contubernalis sui fuerant intra Societatem , et extra illam . Horum omnium cum ingenti amoris , et grati animi affectu meminerat tum aliis in precibus , tum in Missæ sacrificio , quod plerumque ad meridiem peragebat . Ad offerendum illud accuratissime parabatur , deinde que in gratiarum actione , cohibitis sensuum evagationibus , diu perstabat . Etenim cum mundo corde , ac decenti virtutum ornatu ad convivium sacrum accederet , suavioribus utique passcebatur deliciis , et fructum inde trahebat uberiorem . Quotidie ad poenitentia Sacramentum accedens , tantam adhibebat inquirendis , aperiendisque defectibus diligentiam , quanta posset in exactissimo tirone desiderari . Talis denique illius erat vita innocentia , ut qui annos sexdecim familiarissime cum eo egit , atque omnia ejus arcana cognoverat , certum sibi esse affirmaverit , Gasparem nunquam eo processurum , ut peccatum non modo leve , sed ne ullum quidem ex levioribus sci-

en-

enter, ac plena cum deliberatione committeret.

Eam porro instituerat rationem vitæ, quæ illum a multis impingendi periculis liberaret. Postquam longum, et laboriosum studiorum cursum absolverat; cum eodem fere tempore Societas desiisset, neque prioris disciplinæ legibus teneretur; non eam occasionem arripuit, ut indulgentius secum ageret, atque aliquid de veteri studendi contentione detraheret. Quæ in Scholis per superiores novem annos audierat, ita modo retractanda suscepit, ut, facta distributione temporis, partem humanioribus literis, partem philosophicis, ac theologicis quotidie daret. Sed in ea Theologiaz parte, quæ ad mores attinet, diligentius immorabatur: et quæ privato studio didicerat, coram aliis deinde proponere, agitareque consueverat, ut penitus eadem caperet, ac firmius retineret. Hæc omnia studia in eum referebat scopum, ut instruendæ juventutis, et animarum salutis procurandæ, si quando ferret occasio, habilem se redderet administrum. Et quanquam ea ministeria propter adversam temporum conditionem exercere non potuit, ipse tamen copioso assiduitatis suæ fructu non caruit. Nam et otium, vitiorum fomitem, constantissime declinabat, et, cum studii laborem ad honestissimum placendi Deo, juvandique homines finem erigeret, quotidianis virtutum accessionibus ornabatur. His itaque literarum deditus occupationibus, et ad perficiendi spiritus curam semper intentus, vitam in exilio agebat non modo innoxiam, sed aliis etiam amabilem, et jucundam; cum vitæ mortisque arbiter Deus in ipso ætatis robore ad se illum evocavit. Annos quadraginta natus, et quinque menses, diem supremum obiit Bononiæ, magno sui desiderio, nec minori virtutum exemplo relicto.

Dum in lecto jacuit, solitæ pietatis, aliarumque virtutum actus, quibus per vitæ cursum assueverat, ferventius exercuit. Quotidie labes animi confessione sacra expiabat, magnumque inde sólatium, ed ad dolores tolerandos vigorem eruebat. Contubernialum officia, qui ei diligenter aderant, multis rependebat grati animi significationibus; cum se indignum duceret, cui vellent tam exquisita caritate inservire. Et quamvis omnes, qui ad se accederent, comiter, grateque ac ciperet; gaudebat tamen vel solus, vel cum solo Confessario relin-

relinqui , ut diutius cum Deo ageret , et in his , quæ ad be-
ne moriendum juvant , intentius exerceceretur . In medicamen-
tis , ac potionibus recipiendis , cæterisque morbi molestiis nec
levissimum edidit perturbationis indicium : nam qui afflictiones
per anteriorem vitæ decursum patienter ferre didicerat , pos-
trema suæ virtutis tentamenta constanti sustinuit animo , atque
omnibus patientiæ singularis exempla reliquit . Cum invaluis-
set vis morbi , facillimum fuit eum de imminentि periculo com-
monere : ipseque admonitionem illam pacifice , ac lxtanter ex-
cepit , quippe qui vitam ad felicem obtinendam mortem or-
dinaverat . Communitus igitur ultimis Sacramentorum auxiliis ,
seque integre , ac plena cum fiducia in Dei manus conjiciens ,
cogitationes suas , studiaque omnia in cœlo defixit . Ferventes
iterabat virtutum actus , et suavissima Jesu , ac Mariæ nomi-
na sæpius cum tenerrimo affectu repetebat . Crucifixi tenens
imaginem , in illius aspectu , quem vivens sequi studuerat , jam
moriturus dulcissime recreabatur . Dominum adorabat , amplec-
tebatur , osculabatur : et in sanctissimis ejus plagis delicias suas ,
et spes omnes repositas habere protestabatur . His diu inhæ-
rens affectibus , et ardentí videndi Deum inflammatus deside-
rio , tandem deliquium mentis incurrit ; donec viribus , ac sen-
sibus destitutus , dum ejus anima solemni prece commendaba-
tur , illam auctori suo placide tradidit VI Kalend . August.
MDCCLXXXVI . Gasparis exuviæ terræ mandatae sunt in Bo-
noniensi templo SS. Gervasii et Protasii : sed memoriam vir-
tutum ejus nulla unquam apud eos obruet oblivio , qui ju-
cundissima illius usi sunt consuetudine .

JOSEPHUS TURRIANUS.



Josephus a Turre, sive Turrianus, natus est in Navarræ Urbe Cascante VIII Idus Majas, anno millesimo septingentesimo. Cum adhuc materno gestaretur in utero, Patrem amisit: et Mater cum prole ipsa in ejusdem partu grave vitæ periculum subiit: unde filio deproperanda fuit gratia Baptismi, quam ipse mature acceptam magnis deinde accessionibus cumulavit. Accessit huic alterum divinæ providentiaz beneficium. Postquam puero rationis lumen affulserat, conscientiaz labeculas prima vice confessus est P. Hieronymo Dutario, qui solitus erat in Turrianorum domum divertere, dum iter ad expeditiones sacras per illam urbem haberet. Præstantis hujus viri consiliis in timore Dei, et amore pietatis instructus, cœpit a tenera ætate præbere religionis, et aliarum virtutum exempla: et quo imbutus initio fuerat sapore virtutis, eundem in longos vitæ annos servavit semper. Eodem tempore ad studia literarum admotus, in latinis ita profecit, ut quidam ipsius Patruus de promovendo illo ad Sacerdotalem statum cogitaverit. Possidebat is pingue Sacerdotium, quod abdicare in nepotis gratiam statuit, et Roma facultatem jam obtinuerat pro abdicatione illa exequenda. Sed Mater alia omnia meditabatur, filiumque ad tractanda negotia domus, et promovendum familiæ decus destinabat.

Josephus vero, inter opposita Matris, et Patrui vota, neutri adduci potuit ut consentiret: relictisque omnibus, quas offerebat ei mundus, commoditatibus, ad Societatem Jesu confugit, in qua receptus est V Kal. Octobris anni millesimi septingentesimi decimi octavi. Probationum, et studiorum cursu laudabiliter emenso, Sacerdos consecratus fuit ab Episcopo Salmantino, annos jam natus viginti septem. Ea dignitate auctus magis incaluit ad procurandam salutem animarum, et earum præsertim, quæ in remotioribus mundi plagis cœlestis pabuli

pabuli misera egestate laborant. Hunc animi ardorem Præposito Societatis exposuit, ab eoque petiti ad transmarinas regiones mitti, ut inter illas gentes aliquam industriae partem collocaret, et auxilio maxime destitutis manum porrigeret adjutricem. Facile potitus esset optatis, nisi aliorum preces apud Generalem intercessissent, ne Turrianus extra provinciam amandaretur, in qua necessariam illius operam judicabant. Tanta erat inter Superiores provinciarum suarum de Turriani virtutibus existimatio. Nec multo post aliud quiddam non valde dissimile contigit, quod præclaram hujus viri opinionem apud eos, quibus intime notus erat, ostendit. Postquam Abulæ literas tradiderat humaniores, Segoviam missus est, ut Philosophiam in urbe illa explicaret. Quod per triennii spatum tanta omnium approbatione perfecit, ut cum inde Pompelonem ad iterandum Philosophiarum cursum adire juberetur; Segovienses Socii supplices ad Provincialem literas miserint, ut Josephum ab eo loco non removeret, ubi discipulorum auerat numerum, et multam Collegii Scholis addiderat commendationem. Annuente Provinciali, docere perrexit in eadem urbe, in qua etiam professionem Votorum quatuor emisit in festo Purificatae Virginis die millesimi septingentesimi trigesimi sexti. Post haec Socius datus est Magistro Novitorum: in eoque munere non minus suarum, quam illorum augendarum perfectioni sedulo incubuit. Deinde Theologiam docuit Methymnæ, Burgis, et Legione: semperque ad ingenii, et doctrinæ laudem, constantem assiduitatem adjunxit in explendis omnibus officiis partibus, et in ceteris Societatis ministeriis naviter exequendis. Cum idoneus ad omnia esset, post magisterium cum plausu exercitum, Legionensi Collegio cum vicaria potestate aliquandiu præfuit. Postmodum renuntiatus fuit Rector Collegii Portovedrensis, postremoque Auriensis, in quo administrando diutissime perseveravit, donec tandem obtinuit anno hujus seculi sexagesimo quinto ab onere regendi alios exonerari. Dum munus illud sustinuit, sicut ipse tenax erat domesticæ disciplinæ, ita illam a ceteris exigebat. Apud externos vero propter doctrinæ, ac virtutis famam magno semper in honore fuit habitus. Auriæ præsertim, ubi longos permansit annos, multam inter cives inivit gratiam: et ejusdem urbis Antistes Augustinus de

Eutz, ex sacro Augustinianorum Ordine, tanto eum habebat in pretio, ut nihil fere alicujus momenti nisi de Turriani consilio in dioecesi sua decerneret. In eadem urbe novam domestici templi aggressus est molitionem, in qua promovenda multis adjutus fuit largitionibus amicorum.

In communi Sociorum expulsione, cum et senio, et morbo impeditus esset ad abeundum, translatus est in quamdam ejusdem urbis religiosam domum, et intra Valetudinarii celam inclusus, ad quam nulli civium, aut Fratrum permittebatur accessus, nisi laico tantum, cui demandata erat cura agrotorum. Sed illud Josepho nostro fuit longe acerbissimum, quod nullis unquam precibus Cœnobii Præsidem potuit inflectere, ut se sineret ad sacram Eucharistię mensam accumbere. Enimvero quorundam religiosorum hominum nescio quis error invaserat mente, ut Socios a Rege in exilium actos perinde habendos esse censerent, ac si Vaticano quodam fulmine, sive anathemate perculti fuissent. Verum hęc paucorum fuit absurdissima opinandi ratio, multique alii commissos sibi Socios religiose, ac benigniter exceperunt. Josephus, recuperata post menses aliquot valetudine, in exilium cum suis fratribus abire contendit: consensaque Corunniæ navi, Adjacii portum tenuit in Corsica. Quos ibi dies egit, in templo magis habitabat, quam domi: nam mane fere integrum, magnamque post meridiani temporis partem in eo perseverabat, auscultandis Sacris, fundendisque precibus, et piis intentus meditationibus. Transmisit inde in Liguriam, navigio impositus Gallico, in quo cibandus fuit pane nautico, et carne salita. Id inter cæteras navigationis molestias, quæ in multos protrahenda fuit dies, non leve incommodum afferebat seni jam edentulo, neque admodum firma gaudenti valetudine. In continentem demum expositus, ingenti labore ad Bononię suburbia pervenit: ac primum Crespelani habitavit, deinde in Castro S. Petri, postremoque Medicinæ. Profectis vero in longinqua sociis, quibuscum ibi aliquandiu vixit, Mexicanis, qui sedem in eo loco fixerant, certatim Josephum invitarunt, ut in aliquam ipsorum domum diverteret. In hoc laudando certamine caritatis palmam tulit Antonius Frenerus, qui paulo ante, dum Societas manebat adhuc, Socios ibi rexerat Mexicanos. Modo autem, ut
in

in excipiendo Turriano cæteris præferretur, omnes eloquentiæ vires explicuit, cuius olim præclarum specimen dederat in multis per novum Orbem excursionibus Apostolicis. Is ergo Turrianum, quem omnes propter amabilissimos ejus mores hospitem habere cupiebant, intra domum suam octogenario majorem accepit, eumque dum vitalem spiritum duxit, omnibus prosecutus est humanitatis officiis. Josephus ipse, qui multis jam afflatus erat incommodis senectutis, et gravioribus deinde fuit oppressus, Freneri caritatem, qualem filius a matre sua sperare vix posset, ultra quadriennii spatium expertus, perpetuis eam laudibus extollebat.

In quotidiana cum sene optimo consuetudine virtutum ejus pretium manifestius novit Frenerus, qui Josephum propter ordinatissimæ tenorevitæ, in eodemque servando constantiam, cum viris sanctitate conspicuis, ac nominatim cum Ven. Joanne Berchmansio comparandum existimabat. Et postquam illum composuit in tumulo, literas ad amicos Bononiam misit, quibus eos de Josephi obitu, deque præclaris ejus virtutibus, quas ipse propius inspexerat, et ex adversariis a Josepho relictis cognoverat, certiores reddidit. Fecit ergo Antonius Frenerus cum sene Turriano, quod magnus olim Antonius cum seniore fecerat Paulo, cuius vitæ sanctitas ignota latuisset mundo, nisi eam ille vulgasset. Neque ulla hic a nobis de Josepho Turriano facta esset mentio, nisi Freneri literas haberemus, e quibus ea mutuati sumus, quæ ad Josephi vitam, et mores spectant. Is igitur divinarum rerum meditationi sesquihoram quotidie dabant: eamque consuetudinem, a primis initam religiosæ vitæ incunabulis, inconcusse adeo tenuit, ut ab ea nunquam neque per maris undas, neque per itinerum molestias, neque etiam per decrepitæ senectutis incommoda dimoveretur. Constanter etiam semihoram vel in proiecta ætate ponebat in legendis Thoma Kempensi, Alphonsoque Rodericio: quod cum efficere in extremis vitæ annis non potuit, per alterius ministerium hanc animi desumebat alimoniam: eodemque modo Psalterium B. Virginis ab alterius ore auscultabat. Erga Passionem Domini mirifice affectus, assidue illam meditabatur, semperque animum ad eam meditationem pridiana Villacastini lectione præparabat. Parvi devotionis affectu prosequebatur divinum Eucharistiaæ myste-

rium,

rium, in quo jucundissime delectari videbatur. Dum Medicinæ potuit extra domum efferre pedes, coram augustissimo altaris Sacramento flexis genibus, vultuque modestissimo cernebatur in templo, a quo non ante meridiem discedebat. Nunquam illud omisit explere, quod pridem firma inductione animi staterat, et in commentario reliquit scriptum, ut diem unum per singulos menses sacris impenderet meditationibus. Has pariter per dies octo quotannis exequebatur, vel cum eversa jam erat Societas, et ipse annos excesserat octoginta. In extrema senectute continuum dici potest in Turriano fuisse orationis studium. Nam totos fere dies tractandis ducebat sphærulis precatoriis, et mysteriis Redemptionis nostræ contemplandis. Per duos circiter annos, quibus affixus fuit lecto, nihil majori curabat solitudine, quam ne unquam ab ipsis abesset latere icuncula, quam habebat, Christi pendentis e Cruce, et Rosarium Mariæ Virginis. In eo recitando tam assidue versatus fuerat, ut cum jam mentis usum mali vis imminuisset, sindonis oram prehenderet inter digitos, tanquam Rosarii globulos ad preces percurreret numerandas. Nihil ei gratius, quam de Mariæ laudibus audire, atque inferre sermones; cuius etiam festivitatibus celebrandis novendialia præmittebat obsequia: quod pariter efficiebat in solemnitatibus Christi Domini, sanctissimi Patriarchæ Josephi, ac S. Ignatii, aliorumque Sanctorum, et Angelorum.

Affligendo corpori semper erat intentus, ut qui hostem illud crederet infensissimum, cui perpetuum bellum indixerat, et nunquam indulgenter habere decreverat. A primo tirocinii tempore ad ætatem usque senilem indefessus fuit in ciliciorum usu, quorum acuminibus per maximam diei partem excruciatatur: et quæ Frenerus post illius obitum reperit, nimis erant horrida, pungendoque corpori sane quam opportuna. Tribus per hebdomadam diebus flagellis se cædebat immittibus vel in postremis vitæ annis, ut testes erant, qui vicinam incolebant domum, ad quorum aures verberum strepitus adveniebat. Gustandi sensum propter assiduum eidem repugnandi studium penne jam amiserat, delicatioremque cibum, siquando illum sumere cogeretur, perinde sibi ajebat sapere, ac si paleas manderet, vel stupam. Quamvis alta nix caderet, gelueque rigerent

rent omnia, non ideo appropinquabat ad ignem: neque lectum calefieri sibi permisit, nisi admodum raro, ut aliorum judicio cederet, qui necessarium id esse contendebant. Patientiam in tolerandis adversis, et infirmitatibus perferendis admirabilem habuit. Ulceribus afflictus in dorso, per trimestre spatium dolores inde pertulit acerbissimos, præter illos, quos addebat Chirurgi manus, qui nonnunquam ad vivum resecabat: nec magis propterea lamentabatur, quam si truncus cedetur, aut lapis. Novendecim menses, jubente Medico, jacuit in lecto, in quo dici vix potest, quam gravibus exercitus sit incommodis. Et tamen inter dolorum aculeos tranquillus semper, et placidus, atque ab omni alienus impatientiæ significatione permanxit. Nec solum a querelis abstinuit, sed neque ullum petebat mitigandis doloribus delinimentum: ac ne cibum quidem ipsum, ut Frenerus credit, si forte illi defuisse, postulasset. Hoc modo celebratum illud axioma, *Sustine, et abstine*, quod melius in meditatione Christi patientis, quam in E-picteti schola perdiscitur, numeris omnibus adimplevit.

Inde paratior erat ad insidias Dæmonis, et carnis illecebras superandas. Quanquam in hoc belli genere non admodum decertandum sibi fuisse videtur. Ipse enim ingenue fassus est aliquando, naturæ quodam instinctu feminas aversari, neque ullam circa illas cogitationem minus puram habuisse. Quod non tam naturæ donum, quam Dei credendum est beneficium, aut illius constantiæ præmium in austeritate vitæ sectandæ. Nec vero securior factus ea quasi immunitate discriminis, minorem in avertendis periculis cautionem adhibebat. Feminarum colloquia, nisi omnino necessaria essent, declinabat: ac tum demissis in terram oculis, nec plura, quam res exigeret, loquebatur. Cum easdem erat in tribunal sacro auditurus, asperum circumdabat corpori cilicum. Quæ omnia ex codice illo constant, in quo leges, quas ipse sibi indixerat, scribebat. Religiosam quoque paupertatem servavit exacte. Vilioribus gaudebat indui vestibus, et quæ jam essent aliorum usu detritæ: *calligas*, ut vere pauper, gestavat interdum panni centonibus interpolatas. Numorū in Italia pretium vix creditur agnovisse: solitus enim erat ærosam monetam cum argentea permiscere, dum peculium curabat ipse, quod brevi post tempore alteri

alteri tradidit administrandum. Vir denique fuit Turrianus, in quo virtus egregia cum excellente doctrina, profunda humilitas cum ingenti multorum honore, incensus pietatis affectus cum diuturna negotiorum occupatione, simplicissima morum innocentia cum ingenio perspicaci certasse videatur. Longum vitæ cursum religiosissimo fine conclusit, receptis magna cum devotione Sacramentis, atque iis omnibus adjutus auxiliis, quæ possunt ad felicem obtinendum exitum desiderari. Ingravescente jam morbo, divina Hostia publice fuit exposita apud Carmelitanos Patres, et in Parochiali oppidi templo, multaque celebrata sunt Sacra pro felici ægrotantis morte. Postquam ejus anima commendata fuit Deo, adstantibus pluribus Sacerdotibus, quorum unus convenientes tempori affectus suggerebat, illam Creatori suo tradidit in die festo S. Xaverii 1786, hora tertia matutina cum quadrante, annos natus octoginta sex, et menses fere septem. Defuncti corpus amabilem retinuit vultum, multique intuentium S. Philippi Nerii expressam referre imaginem affirmabant. Pro illius anima quotquot erant Medicinæ Sacerdotes rogati sunt eodem die offerre Sacrificium. Postridie vero, convocatis etiam circumvicienis Parochis, et Sacerdotibus, solemnes celebratæ fuerunt exequiz. Josephi cadaver (quanquam ipse cœmeterium optaverat pauperum) in sepulcralem illatum est arcam, quæ in Parœcia constructa est pro illius oppidi Sacerdotibus. Hæc omnia Frenerus diligentissime curavit, qui suam erga Turrianum beneficam amicitiam usque ad sepulcrum, et ulterius extendit.

FRANCISCUS XAVERIUS IDIAQUEZIUS.



Nullam huic qualicunque operi aptiore coronidem impo-
situm existimavi, quam si ejus viri res gestas postremo loco
exponerem, qui me, quamvis multa reluctantem, ad illud im-
pulit aggrediendum. Etenim, cuius hortatu aliorum scripsi fa-
cta, illum præterire non debui: cum is præsertim fuerit Idia-
quezius, qui, etsi moriendi conditione posteriorem locum oc-
cupet; vivendi tamen, agendique præstantia vel inter primos
possit non immerito connumerari. Quoniam vero cæteris ali-
quanto hæc longior futura erit narratio, placuit illam (immu-
tata paululum, quam adhuc tenui, scribendi ratione) certis
quibusdam sectionibus distinguere, ut et meliori rerum ordi-
ni, et majori legentium inserviam commoditati.

C A P U T I.

Francisci ortus, et prima educatio.

Franciscus Xaverius, illius magni Indiarum Apostoli et co-
gnominis, et consanguineus, Parentes habuit Antonium
Idiaquezium de Corduba, et Elisabetham de Garro et Xa-
verio, Duces Granatæ ad Egam, Lojolæ Dominos, Xaverii
Comites, Hispaniæque Magnates ex primo ordine. De cla-
rissima nobilissimorum conjugum prosapia si tantum dixeris,
a Peruviæ Imperatoribus, et a Regibus Navarræ originem suam
ducere, nihil opus est eam pluribus commendare. Fusa il-
lam explicant P. Petrus Calatayudius in epistola nuncupato-
ria, qua primum Doctrinarum tomum eidem Granatæ Duci
dedicavit, eruditusque Trincadus in genealogia Regum, et Prin-
cipum Europæ. Propius ad rem nostram accederet de præ-
claris utriusque virtutibus nonnihil commemorare, ut (quod
Ambrosius ait) *veluti transmissa immaculata paritatis here-*

ditas in iis, quos volumus laudare, præcellat. Sed hunc etiam laborem nobis Calatayudius idem præripuit, qui Vitam Ducis Antonii accurate perscripsit: eamque typis editam, Proceribus imitandam proposuit, ut ab eo discerent, quid Deo, quid sibi ac suis, quid item aliis tam in civili administratione, quam in professione militari deberent. In eadem Elisabethæ virtutes identidem indicantur, quæ se fidam Marito sociam addebat ad multa religionis opera pariter exercenda: et insignem domesticæ curæ navabat operam, tum educandis instruendisque liberis, dum tenelli essent; tum etiam matronis, puellisque et ancillis moderandis, quas illustri suæ pietatis exemplo ad frequentanda divina excitabat, et in labore manuum pro cultu, et ornatu templorum augendo, una secum exercebat.

Per aliquot a conjugio annos Pompelone in primaria Navarræ urbe commorati sunt Duces. Ibi Franciscum Xaverium, primum fœundæ sobolis germen, et amplissimæ ditionis heredem suscepereunt vigesima quarta Februarii, anno millesimo septingentesimo undecimo: ibidemque solemni ritu vitalibus ablutus est undis in Parochiali æde S. Laurentii. Erga tempulum illud piam animi propensionem retinuit semper Francis-
cus, qui deinde jam grandior, in variis ad eam urbem profectionibus solitus erat religiose illud invisere: eaque occasione notarunt aliqui, post adoratam Eucharistiam, ad Baptis-
mi accessisse fontem, multaque cum ardenti pietatis sensu im-
pressisse crateri oscula, in quo regenerationis accepit gra-
tiam, quam prudenter existimamus illæsam usque ad obitum
conservasse. Hoc idem ex illius vitæ decursu, quem descri-
bendum suscipimus, comprobabitur. Non diu post infantis
ortum Parentes ejus ad urbem pertransierunt Stellam, in ea-
que posuerunt sedem, intra cujus fines Granata est, quam
fluvius Ega circumluit, et a qua præcipuum familiæ decus de-
nominationem accepit. Hic prima fuit Ducis cura Sacerdotem
probatissimæ vitæ perquirere, cui tuto institutionem filii com-
mitteret. Quem cum invenisset ad votum, sub illius discipli-
na puerulus divinæ rudimenta doctrinæ, primasque literas tan-
ta contentione didicit, quanta posset ab adulto, eoque valde
diligenti adhiberi. Absolutis quippe scholis, et a Præcepto-

re dimissus , non ille statim ad iudicra , non ad pueriles ne-
nias , quod plerique solent , revertebatur : sed sponte sua in
aliquem discedens angulum , ubi non posset ab aliis interpellari , quæcunque a Magistro didicerat , secum ipse recolebat
attente . Id Elisabethæ Duci gratissimum erat , quæ tantam in
ea ætatula diligentiam multis etiam post annis non sine admira-
tione commemorabat . Verum ut in hominibus ad præclara-
natis , quo quemque ingenium ferat , vel prima solet ætas non
obscure portendere , jam tum illa pusionis assiduitas indica-
bat , suam olim mentem in literis habitaturam , et viri curas
inter libros esse consumendas . Eodem tempore altioris imbi-
bit initia sapientiæ , qua Deum agnoscere , diligereque cœpit ,
ac revereri . Ab ipso enim grandævo accepimus , dum puer
esset , edoctum a Matre fuisse rationem eliciendi fidei , spei ,
et caritatis actus ; illosque frequentissime , præeunte Matre ,
iterasse . Quantum vero in cœlesti hac scientia deinde profe-
cerit , ex iis , quæ dicenda sunt , apparebit .

Cum jam ferebat ætas , Pater ejus Vicecomitem Zolinæ
(hoc titulo filius primo genitus Granatensem Ducum distin-
guebatur) ad Collegium nobilium Burdigalense misit , ut in
eo sub disciplina Patrum Societatis Jesu literis humanioribus ,
aliisque bonis artibus eruditetur . Ibi Latinam linguam , et
Gallicam perfecte didicit , earumque notitia magno illi usui
fuit semper ad plurimorum conscientias cum Deo reconciliandas . In illis vero liberalibus ludis , quibus eo loci gene-
rosi adolescentes ad militarem , et urbanum usum exerceban-
tur , quantum quidem profecerit , non æque constat , cum de
his nec loqui amaret ipse , neque maximo haberet in pretio .
Id tantum ab eo audivimus aliquando , in juvenili ætate liben-
ter in equitatione fuisse versatum , magnamque in flectendis e-
quis habuisse animi recreationem . Nec voluptatem solum , sed
peritiam quoque in hac arte habuit : quam deinde ita retinuit ,
ut vel senex expedite in equum ascenderet , eidemque dex-
terrime imperitaret . Verum in his multo fuit eminentior , quæ
ad intimam hominis culturam spectant . Rheticam , et poe-
sim studiosissime coluit , egregiosque in utraque progressus ef-
fecit . De illius in oratoria facultate præstantia opportunior
alias incidet sermo . De poesi autem hic ea dicam , quæ ab

ejus Magistris, aliisque coævis accepta , ad nos usque per idoneos testes pervenerunt . Dum Burdigalæ mansit , his ornatus honorum insignibus incedebat , quæ victoribus in literaria palestra concedebantur : et quoties tentandi ingenii causa Convictoribus argumentum scribendi-carminis proponeretur , præcipue semper laudes , et prima plerumque præmia Vicecomiti Zolinæ deferebantur : e quibus præmiis librariam supellectilem non modicam , lectissimam certe , ab ipso reportatam novimus , atque assiduo usu satis tritam . Sed enim ad poeticum ejus comprobandum œstrum , aliorum testimonii non admodum indigemus , quando nos ipsi non pauca vidimus , quæ divitem illius venam , et perenni rivo dulcissime fluentem demonstrabant . Multi sunt hodie superstites , quibus licuit varia ejusdem poemata inspicere , in quibus venustissimos , et nunquam non urbanos sales suspexerunt . Ex iis quidam , cuius est istarum rerum gravissimum judicium , de Francisco nostro sic loquitur : *Illaborata quadam facilitate fundebat carmina , cum et latine sciret optime , et facunda polleret vena , qualem adhuc ego non vidi , quamvis multos in Hispania , Gallia , et Italia egregios Poetas agnoverim : eademque facilitate in poesi Castellana feliciter utebatur .* Hæc tamen nihil pendebat ipse : suaque celebrantibus carmina lepide opponebat facetum Galli cujusdam dictum , qui Poetas cum bacillorum lusoribus comparabat . Non ille propterea Musas in juvenilibus præsertim annis non colebat impense ; cum et Magistris , ita volentibus ac jubentibus , in omnibus esset obsequens , et ab ea exercitatione , qua jucundissime tenebatur , fructum etiam caperet multo præstantiorem . Intentus quippe amœnioribus studiis , quæ semper sine ulla pudoris offensione tractabat , ab aliis longe aberat oblectamentis , quæ nata sunt ad innocentiam juvenum corrumpendam . Et cum aliunde divina frequentaret mysteria , variisque insisteret juxta Collegii leges Christianæ vitæ exercitiis , augebatur in dies suæ pietatis ardor : crescenteque supernarum amore rerum , coepit jam tum terrena omnia fastidire vehementer . Antequam inde discederet , prima sensit ad amplectendam Societatem incitamenta , multisque apud Magistros institit , ut suæ vellent annuere petitioni . Negarunt illi sine libero Parentum consensu fore unquam

quam Sociis annumerandum. Nec vero, si consensum obtinisset, apud se illum retinere, et quum existimabant. Quamvis enim propter eximias ingenii, et naturæ dotes, moresque amabilissimos eum mire diligenter, magnumque allaturum sibi esse decus agnoscerent; tamen Societati, si quidem ad eam aliquando accederet, utiliorem in Hispania fore judicabant.

Ab optatis eo tempore his de causis exclusus, cum deinde ad paternam domum reverteretur, Sociis Burdigalensis, quos ipse vicissim amabat plurimum, pro accepta ab eis institutione gratias egit amplissimas: et spem intus alens, facilius in Hispania votorum summam assecuturum, minus ægre a Magistris discessit, et Stellam ad suos letior advenit. Sed inde Matritum a parentibus paulo post mittitur, ut eorum, quæ jam noverat, inter æquales suos specimen daret, et ab iisdem mores, atque usus condisceret Aulicorum. Digna enim vero nobilissimi juvenis exercitatio: sed quæ recenter a tranquilliore vita ratione divulso non modicum poterat facessere periculum innocentis. Agebat tum annos circiter duodeviginti, præclarissimæ domus heres, egregia oris ac totius corporis forma, quam semper debita proportione retinuit, atque his anni ornamenti exultus, quibus in urbanissimo congressu facile posset eloquentiæ, poeseosque floribus eminere. His maijora illa accedebant. Propatrium Matriti habebat Joannem Idiaquezium, Comitem Salazaris, quem Philippus Rex V, cui gratiosus erat in primis, postquam illum in diuturni belli præriculis Legati munere apud se habuit, nunc Ferdinando filio, Asturum Principi, Magistrum morum, et cubiculi Præfectum dederat. Per illum Franciscus facilem ad Regiam accessum habuit, et cum frequenter inter ephebos Principem salutaret, brevi apud ipsum singularem obtinuit gratiam. Optimates etiam pronepotem Comitis Salazarii, quem sciebant in intimis esse Regis, honorifice habebant, atque omni officiorum genere prosequebantur. Hæc omnia, si humanis tantum obtutibus inspiciantur, prænobilem, ac divitem juvenem, inter mundi hujus illecebras, velut auratis compedibus irretitum, prorsusque a religiosis vita consiliis abductum habitura fuisse videbuntur. Sed clementissimus, immensaque potentia Deus, qui olim Hebræorum juvenum vincula iisdem flammis,

qui-

quibus devorandi credebantur, absumpsit, et fornacis ardentes ignem lenissima temperavit aura; nunc quoque Francisci laqueos, quibus non ille adstrictus, sed circumdatus tantum erat, mirabili dissolvit modo, et in majorem libertatis occasionem convertit.

Dum Matrii degeret, quamvis ad eas urbanitatis leges, quæ conditionem suam decebant, esset attentus, tamen ab ineundæ Societatis proposito ita non recessit, ut potius rationem vitae instituerit, quæ proxime ad religiosam accederet. Divina, quod adhuc fecerat, reverenter ac pie frequentabat, indeque trahebat vires ad exercenda virtutis opera, et innocentia pericula declinanda. Ab illis animi recreationibus semper abhorruit, quæ manifestam plerumque ruinam juvenibus attulerunt. Nunquam, ut ab eo jam sene audivimus, aut auscultandis comoediis, aut aliis theatri spectaculis interfuit. Pro his aliam mentis usurpabat a gravioribus curis avocationem. Præstantissimos quosque Poetas Latinos, et quosdam etiam Hispanos legebat domi, vel ruri: et quæ legeret, adeo feliciter retinebat, ut familiarem deinde sermonem opportunitatis Poetarum dictis exhilararet. Non tamen indiscriminatim legebat quoslibet, cum ab eis cane pejus et angue refugeret, qui vel prætextata effutiunt verba, vel, servato sermonis decoro, profanos nihilominus amores ex professo persequuntur. Hispanorum eos versabat maxime, qui de rebus agunt bellis, ut Gerardum Lupum, et qui utilia, vel certe innocua tractaverant argumenta, et in primis affinem suum, Principem Scylacæum, in Castellana poesi tum natura, tum arte nemini secundum. Venationi quoque, et equorum palæstræ aliquam dabat operam, ut eis morem gereret, quorum regebatur imperio. Sed inter venandum, vestigia S. Francisci Borgiæ, cui etiam sanguine conjunctus erat (Joannes enim S. Francisci filius Laurentiam de Lojola duxit, filiam Beltramni, qui nepos ex fratre fuit S. Ignatii) magna sequebatur ex parte. Contra exundantem malitiæ seculi ut animum obfirmaret, pios legebat libros, quorum doctrinam perniciosis vitiosorum hominum principiis opponeret tanquam antidotum præsentissimum. Inter alios frequentissime volvebat libellum inscriptum *Cogitationes Christianæ Dominici Bohursi Soc. Jes., cujus vi-*

ri nomen propter scripta opera , stilique proprietatem , et elegantiam , qua ea scripta sunt , celebratissimum erat in Gallia . Hoc autem ejus opusculum Vicecomiti Zolinæ sic placuit , ut illud inter Aulæ occupationes latinis Elegis suscepit convertendum : et , quod mirere magis , dum venatum prodire cogeretur , bonam hujus carminis partem inter silvas , ac dumeta composuit . Relictis quippe non raro venationis comitibus , dum hi persequendis feris insistunt , ipse condendis versibus , quibus impiorum configeret dogmata , subter aliquam arborem occupabatur . Opus hoc , Auctoris manu pulcherrime conscriptum , vedit olim Josephus Petiscus , illudque ad perfecti Elegiaci carminis leges exactum esse asserit , ac tot fere in eo Elegos contineri , quot Ovidius in libris de Ponto , ac de Tristibus complexus est .

Quantum vero Xaverius ex hac pia lectione , et scriptione profecerit ad superandas Aulæ blanditias , atque hominum benevolentiam parvi prædivina pendendam , non semel excelsa animi magnitudine demonstravit . Cum frequenter adesset Principi , cui propter ingenuos mores , et amoeniorem literaturam acceptissimus erat , non pauca blandissimi amoris indicia ab eodem accepit . Recurrente S. Xaverii solemnitate , Franciscus cum aliis aderat coram Principe , qui humanissime ad eum conversus dixit : *Diem festum S. Xaverii felicem tibi deprecor , Idiaquezi.* Honorificam adeo salutationem debitissimam grati animi significationibus , ut æquum erat , rependit . Continuo reliqui certatim Aulici eandem illi felicitatem optare , singularemque gratulari benevolentiam , quam ei exhibuerat Princeps : nonnulli deinde , nominatimque Dux Albanus , tentare multa , ut sese in ejus intimam amicitiam insinuarent . Ipse vero ab hac ridentis fortunæ prosperitate nullum animi fastum , nullam aut superbiam , aut arrogantiam contraxit : quin potius inter frequentes aliorum plausus hæc secum tacitus reputabat : *Nisi apud Principem aliquantula valerem gratia , tot mihi benevolentia signa cæteri non exhiberent : At non ideo ego alius ab eo sum , qui paulo ante eram .* Alias in ipso Epiphaniæ Domini die sacro sedebat ad mensam Princeps , quem nobilissima circumstabat corona Juvenum , et Optimatum , in quibus etiam Zolinæ Vicecomes intererat . Huic Princeps

ceps gustandum dedit pretiosi calicem vini, quod appositum sibi fuerat in secunda mensa. Multis gratiarum actionibus Vicecomes exceptit singularem hanc humanissimi Principis dignationem. Sed statim, ut ipse post cuidam ex intimis affirmavit, haec illi subiit altissima cogitatio: *Immensum quanto major illa sit gratia, qua me saepe dignatus est Deus, qui suum pretiosissimum sanguinem toties mibi praebuit in Eucharistia.* Vel inter ipsas Aulæ delicias adeo ingeniosus erat, ut mentem in Deum tolleret, eamque a mundanis, quas tractabat, rebus converteret in coelestia.

Interea multisurgebat Patrem, ut adeundæ Societatis facultatem sibi concederet aliquando. Sed quanto instabat ille vehementius, tanto dulcioribus blandimentis mundus eum illicere conabatur. Ab ipso Comite Salazario, quo nemini Matri erat carior, non malitiosam quidem, sed fortissimam sustinere debuit oppugnationem. Is jam a Philippo Rege, pro singularibus in eum meritis, Duci Granata ad Egam denominationem acceperat, et inter primos Hispaniæ Proceres fuerat annumeratus: et quoniam ætate jam provectus nullam suscepérat prolem, potestatem illi Rex fecerat, ut utramque illam dignitatem ad aliquem agnatorum pro arbitrio suo transferret. Quodam igitur mane Vicecomitem ad se vocat, eumque leniter apprehensum manu, ac prope lectum sedere jussum, in quo ipse propter senectam manebat adhuc, multis docere incipit, Idiaqueziorum familie quanta essent decora. Quæcum eloquenter non minus, quam veraciter exposuisset:

„His, inquit, veteribus tuz domus insignibus novum ego gloriaræ splendorem adjungam. Decrevi enim, si modo aliqua tui generis te tangit cura, duplēcē illum spectatissimum honoris gradum, quo me Rex pro insigni sua liberalitate honestavit, tibi, dilecte fili, relinquere. Neque his tantum ornamentis, sed aliis etiam, fortasse majoribus, augendus eris. Nam si animum vel leviter ad benevolentiam illam adverteris, qua te Princeps Ferdinandus amplectitur, vides ab herede Regni quanta tibi sint, et quam non inaniter spe randa. Noli ergo, fili, noli tuis commodis adversari. Imo vero noli Deo ingratus esse, qui te ad hunc fortunæ apicem non sine causa perduxit: sed iis te humanis, divinis „que

„ que cumulavit donis , quibus possit et tueri quæ parta sunt „ tuis , et quæ tibi advenient denuo , prudenter christiane- „ que administrare , ac sine salutis tuæ discrimine multorum „ profectibus *inservire* . . , Hæc gravissimi sensis oratio quem- cunque alium non modice permovisset : Vicecomitem vero a suscepto proposito dimovere non potuit. Itaque , cum egisset Propatruo gratias , aliosque dixisset sibi esse fratres , in quos prolixam adeo beneficentiam poterat exercere ; altissime de bene- ficio illo disseruit , quod jam tum a Deo acceperat , cum amplec- tendi religiosi status primam sibi mentem injecit : deinde obliga- tionem exposuit , qua tenetur homo Deum ad perfectiora vo- cantem sequi. Utrumque autem multo rationum pondere ita perspicue demonstravit , ut prudentissimus senex , nihil ausus ultra contendere , negotium illud ad Vicecomitis remiserit ge- nitorem . Is filio scripsit , ut domum , relicta Curia , repe- ret ; non tamen existimaret , factam ei propterea renuntiandi seculo potestatem .

C A P U T I I.

*Societati post maturam deliberationem adjungitur . Tirocinium
in ea ponit , et literis informatur .*

Non ea mens erat optimo Francisci genitori , cum illum revocavit ab Aula , ut consilium ejus jure , vel injuria disjiceret , quamvis aperte cognosceret , quantus domui suæ accessurus esset splendor a primogenito filio , quem sciebat plurimum in eadem Aula valere . Volebat tamen diligenti consideratione perpendere , illane deserendi seculi cogitatio ab in- stinctu divino flueret , an potius a puerili aliqua levitate ortum haberet in filio . Sed cum esset pectoris pleni recto , be- neque nosset neminem in propria causa judicem esse incor- ruptum , noluit ejus rei judicium sibi desumere . Filium ita- que per viros aliquot tentari voluit extra Societatem , et in- tra illam , quorum probitati , ac scientiæ fidebat ipse quam- plurimum . Inter externos præcipuus erat Cl. Firminus Lu- bianus , in Cathedrali æde Pompeionensi Prior , cuius respon-

sa propter integritatem morum , et doctrinæ copiam , velut oracula in Navarræ regno , atque alibi per Hispaniam excipiebantur : imo usque ad exteras etiam gentes ejus fama pervaserat , ut videre licet in Hagiographis Bollandianis ad vigesimam quintam diem Septembbris , ubi præstantissimum eruditione virum collaudant . Ex domesticis autem primus fuit P. Petrus Calatayudius , qui regionem illam per id tempus sacris excursionibus peragrabat , de cuius etiam virtutibus præclaram Dux , nec immeritam conceperat opinionem . Is ante omnia Vicecomitis animum diligenter exploravit , illiusque desideria , omni partium studio seposito , ad christianæ prudentiæ leges expendit . Deinde , ut periculum ejus faceret in his ministeriis , quæ , in Societatem adlectus , aliquando esset obitus , ad alias eum expeditiones comitem secum adduxit . Jubebat illum interdum cum erecta Crucifixi effigie supplicantium ducere agmen , nunc præsesse puerorum gregi , nunc secum ad convocandos cives per vias urbis incedere : quæ omnia prompte , submisseque aggrediens , cum magno quoque salutis animarum studio peragebat . Nonnunquam ejus opera in gravioris momenti rebus usus est Petrus . Nam interpres ille , quem is adhibuit in itinere Pompelonensi , ut peregrini hominis confessionem exciperet (quod in illius Vita diximus) Vicecomes Zolinæ fuit . In his autem experimentis , et in colloquiis maxime , quæ sepe cum illo privatim habuit , cognovit Petrus vocationem adolescentis legitimam , atque a Deo profectam esse . In eandemque sententiam Consultores reliqui unanimi suffragio convenerunt .

Dux ergo , cum manifestam Dei voluntatem aspiceret , desideratam filio concessit veniam , eumque liberali ac generoso animo Domino consecravit . Neque segnus propterea illum amare perrexit , sed propensiore deinceps affectu , et quadam pene veneratione ob ipsius virtutes est prosecutus . Idem in Matre contigit , quæ semper de primogeniti filii rebus omnibus et sublimiter sentiebat , et honorifice loquebatur . Hac superata præcipua difficultate , levioris negotii fuit cæteras superare . Vicecomes , quæ jam sibi ut majori natu obtigerant , et quæ in posterum sperabat , servatis legum formulis , Ignatio fratri suo cessit , qui post eum proxime natus erat . In ea

re-

renuntiatione contendebat Prior Lubianus, ut Franciscus quædam exciperet, vel certe pensionem aliquam designaret, quæ sibi per annos singulos, dum vitam viveret, solveretur. At ille constanter conditionem omnem rejecit, nullam asserens curam de temporariis rebus velle suscipere. Quibus ad necessitatem vitæ indigeret, a Societate subministranda sibi esse sperare. Quod si aliquid deesset interdum, velut sequelam religiosi status reputaturum, quem propter Deum amplectebatur. Post hæc litteras misit ad provinciæ Castellanæ Præpositum Emmanuelem de Prado, cuius responsum post Francisci mortem inter alia ejus scripta repertum est. Illudque propterea tam diligenter servasse credimus, ut sepe consolationem animi regustaret, quam inde perceperat, quod jam in filiorum ejus numero censeretur; sic enim illum Præpositus appellabat: simulque ut identidem incitaretur ad rependendum sanctitate vitæ beneficium illud insigne, quod ipsi Deus concesserat, ut obsistentes vocationi suæ tam multas superaret difficultates; de quo etiam ab eodem Præposito admonebatur. His habitis literis, et Parentum benedictione suscepta, iter in tirocinium, comitante Petro Calatayudio, latus ingreditur. Cum autem Palentiam devenisset, vel quia Provincialem ibidem reperit, vel quia is Palentino Rectori suam detulerat vicem, in eo Collegio annumeratus est Sociis decima nona Februarii millesimi septingentesimi trigesimi secundi, quinque admodum dies antequam ætatis annum vigesimum primum expleret.

Pretiosas libenter exutus vestes, indutusque libentius vulgarem habitum Societatis, ad tirocinium Villagarsiense processit eodem comite Calatayudio, cuius virtutes et in hoc itinere, et alibi perspectas, semper ille suspexit. Ut se tironibus vidit immixtum, lætitiis incessit omnibus, et exuberantem animi voluptatem cum pectus non caperet, eadem per oculos exundabat et vultum, ut quidam illorum ait, qui tum ibi degabant simul. Ad omnia ejus loci onera subito submisit humeros, nullaque cupiens immunitate fungi, perinde haberi gaudebat, ac cæteri. Motus animi, et corporis ad modestiæ normam componere diligenter studuit. Promptus erat ad fundendas preces, aliasque tironum exercitationes obeundas: loquendi

adeo parcus, ut in his etiam horis, quæ honestæ concessæ erant recreationi, audire alios, et interrogare mallet, quippe humilitatis ubique studiosus, quam eosdem suis tenere colloquiis. Quotiescumque tamen de mundana vanitate opportunus sermo incidisset, tunc enimvero, parce loquendi morem oblitus, disertissimus erat in ea despicienda, et variis modis exsibilanda; contraque solidissimis religiosæ vite bonis magnifice prædicandis. Hunc mundi contemptum ab initio tirocinii sic animo insevit, procedenteque tempore adeo studiose coluit, ut is proprius vitæ suæ color, et peculiaris quædam nota fuerit, qua facile inter cæteros dignosceretur. Nihil jam tum amabat ardenter, quam quæ essent cum abjectione aliqua, et paupertate conjuncta. Cum ad vestiarium mittebatur, ut tunicam, aut aliud quodlibet mutaret indumentum, quod vilius et inelegantius esset, hoc sibi aptissime omnium cadere, illudque obtainere a Præfecto vestium enixe contendebat. Hodie dum quidam e coævis memorat, Franciscum in tirocinio sæpissime talarem gestasse tunicam, quæ brevior justo erat, multo jam detrita usu, ad eamque proxime accedens, quam laici tirones in duebant. Eadem contentione abjectissima quæque ambiebat officia, in quibus ille, tanquam ad ea natus esset, jucundissime versabatur.

Ut in hoc humilitatis studio majores progressus faceret, non parum illum Josephus Sattolus Collegii Rector, et tirocinii Magister adjuvit. Imponebat ei contemptibilia ministraria, quæ servorum propria sunt, ut fastum omnem extingueret, si quis ei forte adhæsisset; neque unquam deinde erubesceret, quoties ad aliorum prodesset commodum, viliora quælibet in luce publica, atque in oculis mortalium amplecti. Præterea, ut insitum cuique excellendi desiderium facilius superaret, variis eum deprimebat modis, et quandoque asperioribus in speciem verbis coram cæteris alloquebatur. Adebat cum novitiis Rector pomeridianæ recreationi, in qua eorum aliquis, indicto silentio cæteris, narrabat exemplum aliquod e Sanctorum Vitis depromptum. Deinde alii, prout cuique a Superiori data esset venia, breves aliquot sententias profreabant, quæ essent et recitato exemplo, et perfectioni morum accommodatae. Hic ergo Idiaquezius aliquando dixit,

de-

debere nos juxta Spiritus Sancti monitum omnia opera nostra cum excellentia facere. Sed Rector, quasi arguere illum vellet, quod ad honoris titulos allusisset, quos manens inter suos haberet, non sine pungenti verborum tono: *Heus tu!* inquit: *Vide, queso, anne satis esset, si ea cum Dominacione faciamus.* Percalluit tiro, quippe nihil ingenio tardus, Magistri verba quorsum respicerent: suaque illum persuasit humilitas, ad conterendam superbiam hujusmodi correptionibus indigere. Sæpe alias in consimilem modum probabat eum Magister, ut in sui despectione cresceret, et ab inanis gloriæ cupiditate abhorreret. Hanc Magistri sui peritiam in tironibus edolandis laudabat sæpe Franciscus, eumque singulari amore semper est prosecutus, a quo sibi tot obvenisse commoda profitebatur. Nec minori habebat in pretio Joachimum Iturrium, qui tum socius erat Magistri novitorum, et quem vix unquam Franciscus sine commendatione nominabat. Utriusque industria florebat in tirocinio Villagarsiensi religiosæ perfectionis studium; cum prior ille ad subigendos animos, et juveniles frangendos spiritus præcipuam curam intenderet; alter vero austerioris vitæ exemplis omnes ad edomanda corpora provocaret, ac ferventioribus larga manu concederet, ut communibus tirocinii rigoribus alios etiam adjungerent ultra debitum. Hos inter Idiaquezius erat, qui blandissimis adhuc deliciis innutritus, implacabile modo bellum suo intulit corpori, quod ciliciis, ac flagellis cruciabat fere quotidianis, magna cibi parsimonia, frequentibusque jejuniis, incommoda super nudos asseres cubatione in his præsertim noctibus, quæ sumptioni præcederent Eucharistiæ, immissis quoque lapillis intra calceos, aut id genus offendiculis, quæ plantas pungent incidenti. Quid autem illi asperitates hujusmodi, cæterique labores effecerint, paucis explicat Julianus Fonseca, qui tirocinium eodem ponebat tempore: *Franciscum Xaverium*, ait, *cum tirocinium ingrederetur, nitidum, elegantem, pulchrum, et pingui decenter corpore vidisse me, memini: sed idem devenit brevi macilentus, pallidus, et exilis propter ardorem insolitum, quo suum statim cursum arripuit, assiduumque contum, quem in macerando corpore, in orandi studio, et in exercitanda præsentis Dei memoria, quantum Superiores sinerent, collocabat.*

Pri-

Primo anno probationis eo, quem diximus, modo perfecto, in altero ad Seminarium pertransiit, quod situm erat intra tirocinii septa: in eoque novitii latinæ linguae præceptis recolendis, addiscendæque rhetoricae ita incumbeant, ut propria spiritualium rerum curam non intermitterent. Novum hoc onus Francisco nostro leve admodum, imo etiam jucundum videri posset, ut qui pridem fuerat ad omnem humanitatem affatim eruditus, et in ea cum ingenti voluptate versatus. Et tamen gravissimum illi fuit, eoque pondere videtur uti voluisse Deus, ut ejus animum altius in christiana humilitate fundaret. Qui ei Magister obtigit, nimius erat in exigendis Grammaticorum regulis, ad quas essent latinæ voces singulæ referendæ. Franciscus præceptiones illas non ignorabat, sed cum eas extra Hispaniam didicisset, ubi alia erat docendi ratio, non facile poterat præcepta reddere (iisdem saltem concepta verbis) quæ Magister a discipulis reposcebat. Non raro, præcepti loco, Auctorum allegabat usum, *Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi*, ut rectissime ait Horatius. Sed Magister, cum ea in discipulis suis vellet, quæ deinde ipsi pueros docturi erant in Collegiis, Franciscum præceptiones illas jussit addiscere, quæ tunc erant in usu pro inferioribus Scholis, et scriptionum themata illi proponebat, quæ solebant incipientibus assignari. Ita qui sœpe inter primos fuerat in Seminario Burdigalensi, nunc idem in Villagarsiensi coactus est esse in postremis. Illud etiam ad augendam abjectionem accessit. Cum jam grandior esset, nova illa rudimenta non æque prompte memoriz commendabat, ac reliqui condiscipuli, qui eadem antea didicerant, et modo facilius recolebant. Fiebat inde, ut non tam expedite, atque apposite responderet interroganti Magistro, qui propterea sinistram de ingenio novi discipuli opinionem concepit, eumque ineptiorem ad literas judicavit. Id cum Rectori significasset, multis hic apud Magistrum institit, nullam ut industriam prætermitteret, sed patienter in institutione sui discipuli peculiarem etiam diligentiam adhiberet. Franciscum hæc omnia pro ipsius sagacitate penitus latere non poterant: sed inustam sibi rudioris ingenii notam cum insigni humilitate sustinuit, donec Deus, cuius est humiles exaltare, ab hac eum ignominia liberavit.

Post

Post aliquot demum menses , quibus patienter tulerat dejectionem , inexpectatus quidam eventus errorem Magistro eripuit , spemque Rectori auxit , ad Societatis ministeria Franciscum maxime idoneum fore , si ad prudentiæ , atque aliarum virtutum laudem , quarum dabat jam specimen singulare , subsidium adjungeret literarum . Adveniente quadam earum solemnitatum , in quibus rhetoricae auditoribus latina oratio , vel carmen aliquod indicebatur , Magister in eum diem scribendi carminis proposuit argumentum . Sed cum Francisco nihil privatim , ut solebat alias , imperasset ; quæsivit is , dum ab scho-
la dimittebatur , num ipse quoque injunctum illud poema es-
set cum cæteris compositurus . Ut libeat , respondit ille subri-
dens : vel poema , vel quodcumque aliud efficias licet . Hac usus facultate Franciscus , Elegiam bene longam brevi compo-
suit tempore , eamque Magistro tradidit corrigendam . Vedit hic , aptissime constare omnia , neque invenire aliquid potuit , quod ad puritatem stili , et metri leges non esset exactum . Dubitabat propterea vehementer , anne illud Francisci opus esset , an potius ex Auctore aliquo desumpsisset , quem ad ma-
num haberet modo , vel fortasse olim fideli memorie com-
mendasset . Affirmante vero Francisco omnia se proprio mar-
te fecisse ; Magister , qui de ingenua probitate discipuli præ-
stantius multo sentiebat , quam de illius literatura , nulliusjam
plagii metuens , neque plura percontatus , ad Rectorem pro-
perat latetabundus , ac rem pene miraculo adscribens : En , ait ,
pulcherrimam Elegiam , quam Idiaquezius noster valde præter
opinionem meam composuit . Ex consilio Rectoris jussit eum
deinde rhetoricam orationem scribere , quam in triclinio de
more coram omnibus pronuntiaret . Hanc etiam pari facilitate
composuit , ac tot eloquentiæ luminibus adornavit , ut postea
Magistri jussu plures id genus fecerit , quamvis eas non es-
set ipse habiturus . Quin etiam , cum eo tempore Magister li-
teras annuas provinciæ scripturus esset , quæ tertio quoque
anno Romam mittebantur , magis fidens stilo discipuli ; quam
suo , id negotii Xaverio delegavit : quod ille accuratissime ,
atque opinione citius expedivit . Hoc modo in literis non mi-
nus , quam in virtutibus bene probatus , expleto jam tirocini
biennio , tria simplicia vota , quæ Religiosum eum reddebat ,

magna animi exultatione concepit. Eadem paulo post solemni ritu nuncupavit, emissa Professione ratione, ut ajunt, Majoratus: quo tempore, ut aliquam lāti, et grati animi ederet significationem, pretiosa quādam vasa, lancesque argenteas dono dedit Sacello maximo tirocinii, quā in solemnioribus festis ornandæ aræ, et Sacrificio cum majori apparatu celebrando deserviebant.

Medio Octobri anni 1734 Philosophiæ cursum inchoavit Methymnæ, ubi parum initio abfuit, quin eandem tardioris ingenii notam incurreret, quam paulo ante subierat. Ex condiscipulis nonnulli partem aliquam illius facultatis jam ante attigerant, quam Societatem ingressi fuissent: et hos quidem minime mirandum est promptiores Francisco fuisse, qui novitius in arte illa erat. Alii cum ipso Dialecticam tum incipiebant, in quibus erant quidam adolescentuli, quos ardenter ipsorum indoles vehementius incitabat ad disputandum. Hos inter apparebat inferior, cum ætatis, ac judicii maturitas cunctatiorem illum redderet, nec de his vellet importune disserere, quā nondum penitus introspexisset. Hinc autem in scholarum repetitionibus, et collationibus, cum non æque intrepide, ut cæteri, disceptaret, inertior aliquibus videbatur, ac tantum non apud eos *bos mutus*, ut olim Div. Thomas, audiebat. Sed non multi abierunt menses, cum tandem mugire cœpit: tantumque ingenii acumen, et soliditatem ostendit, ut facile cæteris antecelleret. Magister ejus, qui præclare de Francisci habilitate sentiebat, aperte fassus est aliquando, neminem auditorum tantum sibi negotium exhibuisse pro dissolvendis objectionibus, quā ab eo contra dictata sua vel publice, vel privatim proponebantur. Propterea sub triennii finem, cum ex more designandus erat, qui Philosophiæ certamen maximum sustineret, partes illæ Francisco demandarunt, qui eas cum externorum Doctorum plausu, ac domesticorum egit approbatione. Atque ut pietatem cum doctrinæ eruditio conjungeret, prolusionem eo die habuit ad sanctissimum Cor Jesu, pro cuius tuendo cultu multa deinde scripsit vel in ultima senectute.

Post hæc venit Salmanticam, ubi quadriennii spatio sa-
cris addiscendis scientiis toto pectore incubuit. Biennium de-
inde

inde posuit in iisdem recolendis: quo etiam tempore Theologicas theses in illius Academiæ luce, magna omnium acclamacione propter doctrinæ ac modestiæ specimen, bis propugnavit. In eadem urbe Sacerdos consecratus est ab Episcopo Sancio Granado, qui potestatem ei fecit confessiones sacras audiendi, verbique divini prædicandi. Utrumque hoc munus ibidem exercere cœpit anno 1741, in eoque deinde infatigabili contentione, ac magno cum animorum fructu laboravit. Sub idem ferme tempus, vel certe antequam studiorum curriculum absolvisset, ingentes sensit stimulos ad petendam missiōnem Indicam, ut vestigiis insistens magni Avunculi sui S. Francisci Xaverii Christum barbaris gentibus annuntiaret. Super his ad Præpositum Generalem scripsit, suum transmitendi ad Indos exponens desiderium; illiusque adimplendi facultatem postulans; certus interea id incunctanter amplecti, quod Deus per Vicarii sui vocem indicaret. Dum responsum Roma expectabat, orandi materiam ab illis Petri ad Christum verbis desumpsit: *Domine, si tu es, jube me ad te redire super aquas.* Id ipse cuidam aperuit, qui eandem professionem meditabatur, et illius consilium exquirebat. His autem verbis orabat Deum, ut, si ab eo descenderent inflammatæ illa desideria, per Superiores suos efficeret, ut ipse ad orientis, vel occidentis Solis plagas super immensi maris aquas adveniret, ubi sanctissimum ejus Nomen, et fidem Catholica promulgaret. Nec dubitare utique licet, quin accepta Deo fuerint illius vota, quamvis ea perficiendi potestatem non obtinuerit. Voluit enim Dominus ut in hoc veteri mundo alia sibi exhiberet obsequia.

C A P U T III.

*Humaniores docet literas, Philosophiam, et Theologiam,
in qua Doctoris detrectas lauream.*

Emensis jam scholarum spatiis, Vallisoletum mittendus erat juxta receptum provinciæ morem, ut tertiam in Collegio S. Ignatii probationem haberet. Sed quoniam interdum eo-
Lib. II. ee rum

rum aliquis, qui studendi finem fecerant, Villagarsiam destinabatur, ut novitios, inter quos et ipse tertium erat probandus, humanitatem, ac rhetoricae edoceret; id negotii Francisco delatum est, qui eidem cumulate satisfecit. In beata illa solitudine, a qua procul aberat mundanarum rerum strepitus, ad propriam animi perfectionem, et accuratam institutionem discipulorum peculiari quodam incubuit studio. Et hinc quidem pristini fervoris memoriam repetens, quo ipse olim in eadem domo religiosæ tramites vitæ aggressus fuerat, ad intendendum illum incitabatur. Aliunde vero tironum contemplatus exempla, quæ suis quotidie oculis obversabantur, minime decorum existimabat, si ab eis superari se sineceret, quos et ætate, et spiritali cultura tam longe superaret. Cum iis ergo aderat meditationibus sacris, et animi discussionibus, cæterisque piis exercitamentis, quæ pro novitiis secundi anni, quorum Magister fuerat designatus, sic eo loci ordinata erant, ut sine pietatis dispendio tempus eis suppeteret ad humaniores literas recolendas. Intererat etiam cum novitiis omnibus pomeridianæ, ac nocturnæ recreationi; ubi nunc suos ipse defectus coram Superiore, cæteris auscultantibus, accusabat; nunc etiam, siquid ab aliis notatum in eo fuisset, palam sibi objici audiebat. Similiter cum tironibus multa alia exercebat humilitatis officia, seu verrenda esset dominus, seu purgandæ patinæ, seu foret sedentibus ad mensam ministrandum, vel eorundem pedes deosculandi. Quæ omnia non perfunctorie, vel oscitanter, multoque minus gravate peragebat; sed ut qui nosset illarum actionum pretium, et Christum vel in minimis suis fratribus intueretur. Conciones etiam interdum habuit in templo: et in festis quibusque diebus multus erat in excipiendis puerorum confessionibus, qui Collegii Scholas frequentabant, et in quorum tractandis animis præcipuum habebat dexteritatem.

In suorum autem instructione discipulorum sic adlaboravit, ut eos non solam proprietatem singularum vocum, sed venustatem etiam, et elegantiam latinæ orationis, latinæque poesios edoceret: ut ipsi postmodum eadem docerent alios, et in tractandis gravioribus disciplinis emendate loqui discent, atque etiam, dum res posceret, ornatiorem, et amœnior-

niorem adhibere sermonem. Quoniam vero adolescentes illi, quos suscepserat informandos, non tam in forensibus causis, quas nunquam essent acturi, quam in sublimioribus erudendi erant argumentis, quæ ad Dei obsequium, et animorum commodum pertinerent: huc præsertim in tradendis rhetorice præceptis collineavit. Dissertationem scripsit, quam discipulis suis vulgari sermone dictavit, ut eam ipsi per partes latinam redderent, ac dum stili exercendi causa diutius in eadem versanda detinerentur, altius quoque in ipsorum animis insisteret. In ea legitimam exponebat sacri suggestus elocutionem, et Oratoris Christiani quænam sint partes: quid is in dicendo tenere debeat, quid item fugere, si cum dignitate, atque auditorum fructu suum velit munus implere. Propterea perversum quorumdam morem exagitabat, qui flosculis inanibus intenti, virilem, et unice illius loci dignam deserunt eloquentiam. Nec minus reprehendebat eos, qui sublimiorem consequantur dicendi modum, quem ingeniosi vix capiant, et qui communem populi captum excedat: quibus proinde merito tritum illud accommodaveris: *Ni pareant animi sensa, tacere potes.* Illos pari arguebat jure, qui futilis ac putidas argutias adhibent, quæ potius ad aucupandum imperitorum plausum, et cordatorum movendum stomachum, quam ad animos in bonum permovendos efficiunt. Denique in eos acriter invehebatur, qui pro confirmandis, quas tractaverint, rebus, aut Virgilium, aut Plautum, aut alium quemlibet e profanis allegare malunt, quam gravissima Scripturæ sanctæ testimonia. Dissertationem illam non pauci cum fructu perlegerunt. Quemdam ego commemorare possem, qui florilegus initio fuerat in concionando. Sed cum fortuito deinde in eum tractatum incidisset, errorem agnovit suum, seque ipse ita retexuit, ut aliam in dicendo viam sit aggressus. Neque propterea adeptam Oratoris laudem imminuit, sed multis adauxit partibus; cum jam non fucatam, sed veram, et solidam eloquentiam majori cum auditorum profectu exhiberet. Alii etiam vel ex lectione opusculi, vel ex Francisci colloquiis, quæ frequenter de his rebus inferebat, Orationes suas recudere, atque in meliorem redigere formam studuerunt. Clemens ille Recius, cuius vita compendium paulo ante dedimus, quamvis multum

in hac dicendi facultate præstaret, Francisci tamen judicio ita suum deferebat, ut per triennii sptatum, quo illum sub potestate habuit, quas publice dicturus erat *Orationes*, eidem traderet corrigendas. In quo nescias utrum mirari magis oporteat: Rectoris ne modestiam, qui se Francisci, tunc juvenis, sententia submitteret; an hujus sinceram integritatem, qua tanto viro, corripe, sodes, hoc, ajebat, et hoc.

Id Compostellæ accidit, quo Franciscus anno 1745 profectus est cum juvenibus, quos habuerat in rhetorica discipulis, ut iisdem Philosophiam in ea urbe traderet. His quadraginta circiter externorum accessere, quorum profectibus in literis, et virtutibus magna semper invigilavit industria. Ut doceret eos, præcipuas diei actiones in quem deberent siam referre, scholis omnibus brevem ad Deum orationem præmittebat: et in earum decursu, dum opportunitas ferret, ea obiter insinuabat, quæ ad vitia detestanda, colendasque virtutes juvete Christiano dignas poterant adjuvare. Quolibet sabbato lectionis quadrantem ultimum (de hoc ab uno discipulorum admonebatur, cum ipse nunquam horologium haberit) destinabat narrando exemplo, quod excitandæ devotioni erga B. Virginem esset idoneum. Inde arripiebat ansam, ut hortaretur cunctos ad patrocinium excelsæ Reginæ promerendum, tum debitissimè eidem præstandis honoribus, tum maxime probitate morum, et frequenti Sacramentorum percepcione. His adhortationibus cum adjungeret sanctioris exempla vita, præclarum inter auditores suos nomen obtinuit: nec minus inter cives ceteros, apud quos vir sapiens, et sanctus frequenter audiebat. Ex discipulis multi eum in conscientia arbitrum delegerunt, nec pauci deinde ad varia Religiosorum claustra convolarunt. Duo saltē adjuncti sunt Societati, quorum unus deprecabatur enī Deum, ne unquam sibi adeundæ Societatis mentem injiceret: *Credebam enim certissime* (sic ille, superstes adhuc, datis ad nos literis confirmat) *nullo unquam pacto fieri posse*, ut vel minimum ego ministerium obirem ex iis, quæ a Compostellensis Sociis exerceri volebam. Is ergo ad Carthusiensem Ordinem cum animum adiecisset, Franciscum quodam die, purata confessione, certiorem consilii sui reddidit, eumque de ratione illius

exæ.

exequendi consulebat. Cui Franciscus incunctanter respondit: Non ad Carthusiam, fili mi, sed ad Societatem nostram Deum vult, ut accedas. His verbis ardentissimum illi juveni desiderium incessit petendæ Societatis, in qua jam et salutem suam, et aliorum etiam per ipsius ministeria operaturum esse sperabat. Accessit insuper, ut idem ait, animus ingens et generosus (cum antea pusillanimis essem ac timidus) ad superandos conatus Avunculi, qui me miserat in Academiam illam, Parentumque meorum, qui licet essent optimi, longe tamen diversa cogitabant. Gravissimas ergo pugnas sustinere debui, antequam Societatem adirem, nec leviores per biennium in tirocinio sustinui. Quas ego pugnas nentiquam superasse, nisi alte reposuisse in corde verba illa Idiaquezii, que semper tanquam a Deo profecta consideravi. Hæc enim, opitulante Deo, addebant animos ad resistendum, et amorem meum in Societatem, quem excitaverant dum ea primum audiri, per consequentia deinde tempora semper aluerunt. Itaque quod Societatem ingressus sum, quod in ea permansi, Magistro, Confessarioque meo, secundum Deum, acceptum refero. Hæc paulo fusi exponenda fuerunt, ut discipulorum de Magistro suo præstantissima opinio, et verborum hujus efficacitas agnoscat. Neque enim aliunde, quam a divino spiritu, quocum ipse conjunctus erat intime, ortum fuisse crediderim responsum illud tam promptum, ac tam firmiter in discipuli mente confixum. Quod etiam effectu ipso comprobatum esse novimus. Hic enim Francisci discipulus multis saluti fuit in Hispania, ubi docendi labores susceptis per astatem expeditionibus sacris sublevabat. In Italia vero magno fuit, et esse pergit exilibus adjumento: eundemque Itali nonnulli religiosi viri, ac feminæ conscientiæ moderatorem adhibuerunt. Ne plura dicam, viventis adhuc viri modestia prohibet.

Quanto diligentior Franciscus erat in promovenda pietate discipulorum, tanto hi promptiores scholis aderant, et sapientiae, que in malevolam animam non introibit, copiosiores capiebant fructus. Ille quidem nullam prætermittebat industriam, ut prelectiones suas assidue, attenteque exciperent, et quod in eis difficilius occurreret, quam maxime posset, dilucidaret, omnesque privatim ac publice frequentibus

certaminibus exerceret. Inde habuit præstantes doctrina discipulos, quorum multi præclara deinde obierunt munera. In omnibus Philosophiæ partibus explicandis Aristotelem non solo Platonis, sed recentibus quibuscumque Philosophis præferebat. Ut enim ab his effecta quedam experimentorum ope fuerint explorata, vix tamen super illorum causis quidquam inventum est ab iisdem, quod anteferri mereatur principiis Stagiritæ. Non ideo ille quæstiones aliquot ab hodierna Philosophia mutuatus non esset libenter, quæ jucundiores studentibus laborem redderent, et aliquam in posterum, pro diversa ipsorum professione, utilitatem afferrent. Sed et illas juxta Peripateticorum placita plerumque tractari, definirique cupiebat, ut quæ magis accommodata crederet explicandis, ac tuendis altissimis catholicæ religionis mysteriis.

Ad hæc pertractanda missus ille est ad Pintianam pri-
mum, deinde ad Salmanticensem Academiam, in quibus The-
ologiæ magisterium exercuit ab anno exeuntis seculi quadra-
gesimo octavo ad quinquagesimum secundum. Ut autem in
philosophicis Aristotelem, ita etiam in Theologicis secutus est
Divum Thomam, interprete ac duce Eximio Doctore, quem
ille Thomistarum optimum reputabat. In utroque laudabat
plurimum et fundatam doctrinæ soliditatem, et admirabilem
methodum in proponendis, explicandis, confirmandisque sen-
tentiis propriis, atque in alienis refutandis modestiam singu-
larem, quam tenuit ipse, dum versatus est in scholis, dein-
deque cæteris commendare nunquam prætermisit. Antequam
primum Theologiæ curriculum absolvisset, lætissimum accepit
nuntium, concessam sibi esse a Generali Præposito solemnem
quatuor votorum professionem. Hanc Vallisoleti emisit anno
1749, in templo S. Ambrosii XVIII Kal. Septemb., qui di-
es Assumptæ in cœlum Virgini sacer est. Eadem præmisserat
consuetas S. Ignatii meditationes, ac per triduum ostiatim ex
more Societatis emendicaverat. Fuit autem plerisque civibus,
quibus affectio notus erat, spectaculum admirandum, atque
optimi plenum exempli, primogenitum Granatensium Ducum
intueri, suspensa ex humeris mantica, vicatim stipem in ea
urbe queritatem, in qua propinquos altissimæ conditionis ha-
bebat. Sed qui sponte voluit fieri pro Christo pauper, ta-
lem

lem sese exhibere, neque modo in amplissimæ civitatis conspectu, neque unquam alias in oculis cuiusquam erubuit.

Post hæc alacrior ad inceptum docendi munus regreditur. Hoc autem brevioris fuisse moræ idcirco existimo, quod aliqui diutius illud protrahere conabantur. Notum erat Granatæ Ducis, filium suum non vacuum gerere Magistri nomen, sed post explicatas cum laude universæ Philosophiæ quæstiones, designatum fuisse publicum Theologiæ Professorem, et cathedram cum ingenti honore occupare. Voluisset ergo, ut Salmanticæ Doctoris insignibus ornaretur, ubi jam alii Sociorum, ex primariis orti familiis, ad eundem dignitatis apicem eveneti fuerant. Id equidem per semetipsum filio significasse, compertum non habeo. Sed de his egit cum Priore Pompelonensi Lubiano, qui literas ad Franciscum misit, in quibus eloquentiæ suæ vim omnem exprompsit, ut eum induceret ad lauream in Theologiæ facultate accipiendam. Verum surdo narrabat fabulam, et quamvis ingenio, et eloquio præstaret multum, nihil tamen potuit hac vice apud Franciscum efficerre. Is argumenta omnia, quibus Priori adstringendus esse videbatur, facillime argumentis aliis dissolvit ex christiana humilitate desumptis, in qua erat apprime peritus. Et quoniam ajebat Prior, nullum inde oriturum gravamen vel Salmantino Collegio, vel Castellanæ provinciæ, cum ejus Pater vellet omnem præstare sumptum, ut in Doctoris gradum assumeretur, id æquo animo vix ferre potuit, ac fere cum indignatione respondit: nullo unquam pacto permissurum, ut in se perversum illud ederetur exemplum, posse Sociorum aliquem in Doctorum referri album, eoquod ex opulenta esset domo, quæ sumptus in eam pompam offerret. Deinde cuidam familiarissimo suo, qui rem omnem noverat, asseveranter dixit, quanta posset contentione obnisurum, ne hunc honoris titulum acceptaret, nisi si forte a Superioribus cogeretur. Hi autem invitum noluerunt cogere. Perspecta illis quidem erat profunda viri sapientia, et mens altissima, quæ obvündis digne Academiz muneribus aptissimum eum redde-rent, præter egregium decus, quod eidem ab ejus illustri genere accederet. Noverant etiam, in explicando perspicuum esse, solidum in defendendo, subtilem et acrem sine offendio-

sione adversariorum in oppugnando. Sed cum scirent pariter præclaras ejusdem dotes ad gubernandum, videbant illi, si Lyceum ad regendam Cathedram ingrederetur, longo nimis annorum spatio ibidem ex Lycei legibus permansurum. Igitur reluctantem cogere non voluerunt, ut eum citius possent ad Collegiorum regimen admovere. Quam vero prudens eorum consilium fuerit, planum brevi fiet, si quædam prius attin gam, quæ in spiritale multorum commodum per eosdem annos effecit.

C A P U T . I V

De ministeriis ab eo exercitis ad animorum salutem procurandam.

Magisterii sui tempore non solum erudiendis in scientia discipulis, ac bonis moribus informandis intentus erat, sed multa etiam aggressus est, quæ proprius ad aliorum in spiritu profectum spectabant. Dum recolenda Theologiz navabat operam, præter strenuam in excipiendis confessionibus diligentiam, majus quoddam suscepit opus, in quo suum ad promovendam salutem hominum studium vel inter labores non minimæ difficultatis ostendit. Magna erat ab antiquis etiam temporibus Salmantini Collegii cura pro instruendis in officio Christianæ vitæ Batuecis, qui pascendis capris dediti, alvearibusque curandis, scabros montes habitant et incultos. Difficilem illam provinciam ea tempestate suscepérat Emmanuel Diezius, in eodem Collegio infatigabilis operarius, et vir simplicitatis antiquæ, propter quam, et sparsos in Batuecum institutione sudores acceptissimus erat Cauriensi Episcopo, cuius ditioni illi subsunt. Etenim per annos fere triginta cum juniore aliquo Sacerdote ad eos montes in æstate profectus, concionibus, et catechesibus, et privatis adhortationibus gentem illam ad timorem, et amorem Domini permovebat. Octogesimum ætatis agebat annum, cum ultimam ad Batuecos expeditionem suscepit: ab eaque Salmanticam per autumnum regressus, morbum contraxit, quem cum superare

re non posset, ut pacifice semper vixerat, ibidem quoque pacifice obiit 21 Januarii 1767. Inter alias ejus virtutes mansuetudo, et virginitas eminebant: quarum illa nota erat omnibus, hanc autem illibatam intulisse tumulo, qui omnia ejus intima noverat, post illius obitum testatus est. Cerverz natus fuerat anno 1687 die 25 Martii. Hunc ergo mitissimum senem Franciscus Xaverius, recenter a Sacerdotio suscepto, ad laboriosam illam comitatus est excursionem: sub illiusque ductu egregiam inter montanos illos operam posuit, ut eos ad pœnitentiam, et pietatem adduceret. Non pauca sustinenda ei fuerunt incommoda per confragosa montium itinera, quæ pedibus agenda erant, et in quibus aliquando totum juvenile robur debuit exerere, ut ulterius progrederetur. In trajectu fluminis, quem socius superare non poterat, humeros supposuit sandapilæ, intra quam senex inclusus erat, et sic eum, oppidanorum adjutus ope, in adversam ripam transvexit. Cibus utriusque frugalissimus, vel ex agrestibus fructibus, radicibus, et silvestribus herbis; vel, si quando laetus reficiebantur, ex lacte caprino. Lectus autem vel nudi asseres, vel stramen. Et tamen inter pastores illos jucunde Xaverius diversabatur, quod ex ejus sermonibus conjiciebamus, quibus suam ad Batuecos missionem ita commemorabat, ut qui libenter eam suscepérat, ac sapius, si licuisset, iterasset.

Alias non æque difficiles missiones habuit in his Scholærum interstitutionibus, quæ proficisciendi offerebant opportunitatem: multoque habuisset plures, si negotia, quæ demandata sibi fuerunt, permisissent. Sed quidquid in iis minus poterat, aliis supplere studuit utilissimis ministeriis. Nam et exercitia S. Ignati multis meditanda proposuit, et conciones aut publicas in templis, aut privatas in Coenobiis ad Virgines, in carceribus ad custodias, aliisque in locis ad Scholasticos, et Milites frequenter habuit. Inde autem longa confessionum series exoriebatur, quibus audiendis promptas semper, et patientes præbebat aures. In hoc exercendo munere, quantum assequi per effecta possumus, peritiam ac dexteritatem habuit singularem. Ubique enim plurimi ad eum confluabant, et cum linguam ejus ad animi sananda vulnera salutiferam ex-

perti fuissent, avidius deinde revertebantur. Compostellæ, Salmanticæ, Vallisoleti, Burgis ad illum summi, et infimi magno accedebant numero: et quamvis hos libentius exciperet et audiret, in illis tamen consiliorum suorum fructus luculentius apparebat. Salmanticæ nobiles aliquot adolescentes, qui Collegiis majoribus adscripti erant, et Franciscum animi ductorem elegerant, multam ei laudem pepererunt, cum ab aliis passim ob perspectas ipsorum virtutes dígito monstrarentur. In aliis quoque urbibus et primarii cives, et conspicui templi forique Ministri, et militares Prefecti, qui eodem conscientiæ moderatore utebantur, optimum ejus ductum integritate morum, et præclaræ vite exemplis comprobabant. Neque tantummodo extranei, sed domestici etiam, et conjunctissimi non semel eum propter opinionem virtutis suæ in conscientiæ arbitrum adhibuerunt. Villamfrancam Guipuzcoæ oppidum confirmandæ valetudinis causa profectus, ad sororem suam Michaelam Idiaqueziam divertit. Nupserat hæc Marchioni de Valmediano Joachimo de Arteaga, qui deinde inter Hispaniæ Magnates relatus est. Hi ergo nobiles que, ac pii conjuges, quod alias occasione simili fecerant, arcana sua Francisco in confessione aperuerunt. Idem Marchionum filii quatuor effecerunt, quibus idonea jam erat ætas: idem primogenita ipsorum filia Anna Joachima, tunc Basurti Domina, postmodum autem, ditione illa reicta, et quidquid ei mundus ab illustrissima stirpe, ac singularibus naturæ dotibus pollicebatur, Sanctimonialis in Tudelensi domo Virginum Societas Marianæ, quæ publicæ puellarum incumbunt educationi, ubi paulo post vitam cum suavissimo virtutum odore finivit. Enimvero in Arteagarum familia ita erant omnia rectissime constituta, Christianæque discipline ita vigebat studium, ut singuli sine rubore possent animi sinus Sacerdotibus aperire: sed ut eosdem et fratri, et leviro, et avunculo manifestaverint, fieri nequaquam potuit, prout sunt hominum ingenia, nisi præclaram de sanctitate illius existimationem habuissent. Ipsa etiam Francisci mater confessionem apud filium instituere aliquando desideravit: sed hunc debita reverentia continuit, ne votis ejus annueret, illiusque sermonem prudenter ad alia convertit. Denique Francisca de Sancto Ignatio,

tio , altera Francisci soror , quæ in Azcoithensi S. Crucis Cœnobio religiosissimam vitam duxit (eam deinde imitata est soror ejus Elisabetha , sacrum pariter induta velum in celebri Parthenone Matritensi , ab Incarnatione nuncupato) poenitentia Sacramentum sæpe a fratre suo recepit : sæpiusque ab eodem absente , vel cum relegatus in Italiā venerat , consilium in rebus animi per literas petiit .

Neque propterea tam multi ad eum recurrerant , quod Dei offensas facile dissimularet . Ut de his intime dolebat ipse , sic etiam eas vindicare curabat , et impedire . Variam pro variis animi morbis prudenter adhibens medicinam , protertos et contumaces acriter objurgabat : præsidentibus frangebat spiritus : spem diffidentibus injiciebat : timidis ac pusillanimis addebat animos : omnesque ita dimittere conabatur , ut ad se non invite reverterentur . Patientiam in primis , et longanimitatem præ se ferebat , ut nunquam illorum desperaret emendationem , qui vel fragiliores esse viderentur , vel in perversis moribus obstinationes . Etenim , cum audiret ab omnibus , qui suis pedibus accidebant , in ipso statim confessionis initio Patris se nomine compellari , æquissimum utique judicabat , eos pariter in filiorum habere loco , et paternum erga illos animum exhibere . Inciderat de his aliquando sermo in familiari collocutione , cui Franciscus jam senior aderat : et cum is aliqua pro temporis opportunitate dixisset , conversus ad eum aliis : *Existimo , inquit , neminem a te fuisse sine absolutione dimissum .* Id ille neque negare voluit , neque item concedere , solumque respondit : *Hoc tibi confirmare possum , difficultem me semper ad desperandum fuisse .* Innuebat scilicet , nihil non tentandum ad peccatorum salutem obtinendam , neque committendum , ut deseratur æger , si primi conatus irriti fortasse ceciderint . Sed iterum , ac sæpius adhibenda remedia , Deumque ferventius interim obsecrandum , ut operi perfectionem adjiciat , quod ipse inchoavit : eaque via suluberinos effectus expertum se esse affirmabat . Cum audisset olim , quemdam e Societate famosam feminam ad peragenda S. Ignatii exercitia recipere non voluisse , nisi prius ab eo loco discederet , ubi obscoenis amoribus cum magna Christiani orbis offensione virum principem illaqueaverat ; hanc ille agendi ra-

tionem adduci non potuit ut probaret. Imo etiam ajebat, exceptam illam ad commentandas fidei veritates se facile fuisse admissurum; cum fieri profecto posset, ut per eas ad bonam rediret frugem; aut si secus contingeret, integrum sibi esset reliquam officii sui partem explere.

In orationibus, quas ad populum, vel ad privatos cœtus habebat, quamvis excellens in oratoria esset facultate; quod inter docendum eam, et s̄epe alias ostendit; non tamen sublimi dicendi genere ut plurimum utebatur. Illam plerumque tenebat orationis formam, quam omnes facilime caperent, licet gravis semper esset, ac sententiosa. Hoc etiam ad faciliorem captum haud modicum efficiebat, quod non festinanter, ac propere, sed paulatim, cunctanterque loqueretur. Inde autem aliqui existimabant, pro ingenii sui fœcunditate orationem plerumque fundere extemporaneam. Sed enim a veritate tantum ii aberrabant, quantum ille ab quorumdam aberat opinione, qui sacrum Oratorem in suggestum ita vellet ascendere, ut ea solum paratus sit dicere, quæ ibidem a Domini spiritu suggerantur. Id valde improbabat ipse, propterea que longa commentarye parabat omnia, et quatenus alia negotia sinerent, et argumenti exigeret gravitas, omnia etiam, vel pleraque commendabat scriptis. Dum Theologiam docebat Vallisoleti, multis auditorum plausibus exceptæ fuerunt orationes duæ, quas ibidem dixit: alteram de S. Ambrosio in ejus templo, alteram in S. Albani de Maria Virgine Vulnerata. Hanc ibi denominationem habet religiosissima Dei Matris imago, quam Gadibus heretici Angli sacrilegio furore vulneribus appetiverunt: indeque Vallisoletum translata est ad Seminarium Anglorum S. Albani, ut ab eis coleretur impensis, quorum a conterraneis sceleratius violata fuerat. Utique illi orationi quamplures adfuerunt viri doctrina, dignitateque insignes: quibus admiranda fuit et propositionis jucunda novitas, et argumentorum ad eam comprobandum efficacitas, et apta cunctarum partium dispositio, et singularum elegans exornatio. In domesticis adhortationibus quæcunque susciperet pestractanda, luculenter adeo explicabat, et tam vividis coloribus depingebat, ut ea non modo animi auditorum, sed prope oculis obversari viderentur: unde per mult-

multos consequentes dies frequens erat et fructuosa domesti-
corum de his, quæ ab ipso audierant, sermocinatio.

Sed vis verborum ejus ad animos permovendos non so-
lum in concionibus, sed in privatis etiam colloquiis emicuit.
Attentus ad omnem juvandi homines occasionem, multis pro
loci ac temporis opportunitate consilia dabat, quæ salubres
ferebant fructus post longam etiam annorum seriem. Virum
ego novi septuagenarium, qui dum puer esset, Franciscum
eo tempore convenire cœpit, cum is Salmanticæ alterum theo-
logici studii cursum absolverat. Et jam inde, inquit, a pri-
ma quam habui cum ipso allocutione, videbar mibi agere cum
homine sanctitate vitæ commendabili. Talia illius erant verba,
sanctaque consilia. Ingressus ad eum quodam die, legentem re-
peri sacrum Codicem, dataque inter nos salute: Ecce, ait, quo-
modo vocanti Deo sit obaudiendum. Hic enim legebam modo,
vocatum a Deo Abramum, statim respondisse: Adsum. Co-
gitabat tunc puer de religiosæ vitæ statu diligendo: eaque
verba sic illi adhæserunt, ut non solum brevi Societatem ad-
ierit, sed nunc etiam asserat, nullo unquam tempore memo-
riam eorum abjecisse. Idem adjungit, tunc primum cognovi-
sse de cultu Cordis Jesu, et Mariæ, acceptis ab Idiaquezio
imaginibus aliquot e multis, quas ad eum mittebat præclarus
ille Sacerdos Franciscus Nunnus, qui promovendæ pietati
verbis, et exemplis Navæ regiæ insigniter adlaborabat, et Fran-
cisci nostri studium in eodem opere urgendo bene perspexe-
rat.

Is libenter ad ea, quæ diximus, intendebat animum, nullumque detrectabat ministerii genus, quod esset augendis animarum lucris opportunum. Sed interea majus ei paraba-
tur onus, quod fere in omne vitæ tempus latus erat, quamvis non ita libenter ob profundam humilitatem, qua de se demisse sentiebat semper. Alia tamen de illo Præpositorum opinio erat, longeque diversa sententia. Viderant in demandatis ei muneribus, quam recte, ac diligenter eadem admini-
strasset. Perspexerant prudentiam ejus in multis agendarum
zeturum consultationibus, quibus pro sui ratione officii sœpe in-
terfuerat. Observaverant in eo benignitatem cum fortitudine,
modestiam cum magnanimitate, patientiam cum caritate con-
junc-

junetam , aliaque præclara dona , quæ illum præfecturis aptissimum efficiebant . Et quanquam idoneum etiam regendis Cathedris judicabant , de illius tamen conatu ne Doctor inaugaretur , minime doluerunt , cum possent eum diutius regendis hominibus adhibere . Jam inde ab ipso tirocinii tempore Magister ejus Sartolus , qualis , quantusque futurus esset Francisco , non obscure significaverat . Cum enim prudentiorem in eo agendi , cogitandique rationem animadverteret , hanc de illo coram aliquot veteranis Patribus admirabilem pronuntiavit sententiam : si ad ea pertinuisse tempora , cum S. Ignatius , non tam ætatis , ac religionis computatis annis , quam æstimato virtutis , et prudentiæ pondere , juniores aliquem multis provectioribus imponebat ; dignum utique habendum fuisse , cui non solum alicujus Collegii , vel Provincie , sed universæ committeretur regimen Societatis . Quod licet per hyperbolem a tam prudente viro dictum esse non dubitem ; is tamen prænuntiasse videri posset honorificum illud judicium , quod de Francisco deinde gravissimi tulerunt viri , qui Congregationi XVIII , ut infra dicam , adfuerunt .

C A P U T V.

Burgensis Collegii Rector designatur.

Anno volventis seculi quinquagesimo secundo quæstiones Theologicas iterum explicabat Vallisoleti , cum literæ aliae sunt Roma , quibus ei Præpositus Generalis Collegii Burgensis curam demandabat . Expavit ad inexpectatum nuntium humilis Francisci animus , initioque literas de affrentis manu recipere recusavit . Deinde alis , qui ad accipiendas vehementer illum urgebant , neutquam per eas literas impediri se ajebat , quominus rem prius attenta consideratione perpendebat , et quæ objicienda sibi occurrerent , juxta Ignatii leges , cum debita submissione proponeret . Postquam illud impense Domino commendavit , quosdam etiam in consilium adhibuit , quorum erat perspecta virtus , et nota prudentia . Horum autem responsis , qui , salva officii religione , repugnare non pos-

posse affirmarunt , adductus tandem est , ut literas acceptaret : cum ea tamen animi reluctance , quam ipse cuidam e discipulis significavit . Huic enim ajenti sibi , nullum jam evadendi aditum superesse , sed omnino caput oneri subjiciendum : *Recte sis , respondit ille : verumtamen res ardua est , mihi credere , nimumque difficilis gubernatio , si ad omnes instituti numeros sit exigenda . Ora pro me Dominum .* Sic ille solicitum , suique diffidentem animum indicabat . Sed nemo ad imperandum est aptior , quam qui detrectat imperium , illudque majorum auctoritate compulsa assumit .

Vertente jam vere Burgos profectus est , ubi prima ejus cura fuit de Collegii statu diligenter cognoscere tam in his , quæ ad spiritualia spectabant , quam ad temporaria . Ut autem boni plurimum , quod in prioribus reperit , promovere facilius posset , ad reparanda plurima , quæ in posterioribus derant , cogitationes suas convertit . Notum erat omnibus provinciæ Sociis quam exigua res Burgensis Collegii esset . Tempulum quidem , et Sacracium bene erant instructa : quanquam et iis novus Rector novum etiam ornatum adjunxit . Sed in Vestiario repositum invenit thoracem unicum , qui suffici aliis posset , quibus induiti erant Socii , cum lavandi essent illi , vel reficiendi . Multa quoque desiderabantur in cæteris apothecis : ac præterea rimosum erat Collegii tectum , proindeque sarcendum imbricibus , ne graviora damna ex frequenti stillicidio provenirent . Postquam attente omnia inspexerat , summam earum rerum confecit , quæ parato opus erant , eamque Procuratori tradidit expediendam . Is erat Michael Sanctistephani ex Adjutorum numero , vir sane humilis , et pius , tantæque in seipsum austерitatis , quantam in alios benignitatem perhibebat : quanquam ne largior erga omnes esset , ex domesticæ rei angustiis prohibebatur . Nunc ergo , cum longissimum percurrisset indicem , in quo tam multa sibi comparanda jubebantur , vix , quo se vertcret , inveniebat : nam et scrinia pene erant vacua , et mutuari difficile judicabat , cum jam ære alieno gravatus esset non modico . Tandem ex consilio alterius , quocum de his privatim egerat , difficultates exponere decrevit , quæ hujus rei obstare videbantur executio- ni : easque brevi scripto comprehensas , Rectori modeste ob- tulit

tulit considerandas. Laudavit is factum, quod Procuratoris consentaneum erat regulis: sed nihilo minus in incepto persistit, eidemque ad bene sperandum confirmato dixit, ut illa omnia emeret, quæ indicata jam fuerant; se autem de ratione solvendi, ut re vera fecit, omnino provisurum.

Alia etiam præstítit, quæ vel prorsus necessaria, vel admodum erant utilia. Inter Collegii creditores civis quidam erat, qui pecunia vim ingentem dederat mutuam, et alia insuper contulerat beneficia. Sed cum ob eam causam nimium sibi arrogaret, et in administrationis partem vellet se ingere, curavit Rector, ut debitum illud quamprimum extingueretur, et sic hominem a domesticis negotiis exclusit. Post hæc magnificam aram, quæ jam ibi erecta fuerat Divo Xaverio, propriis expensis contexit auro: multumque industria sua consultulit ad inaurandam aram maximam ejusdem templi. Prægranadem etiam argenti summam impendit in reparandis Scholis tum puerorum, qui primas literas, et Grammaticam addiscebant, tum juvenum, qui Philosophiæ, Theologiæque operam dabant. Unde merito Idiaquezii nomen, ob effusam adeo beneficentiam, ex Superiorum decreto inter insignes Burgensis Collegii Benefactores relatum est. Sed cum gravioribus intentus esset, non ideo cætera, quæ levioris erant ponderis, negligebat. Paterna cavebat solicitudine, ne quid eorum deesset Sociis, quæ communis ferebat vivendi ratio: quo in genere multum ei fuit enitendum, ut immoderatam Promi cūjusdam, optimi cæteroqui viri, parsimoniam coerceret. Nullum tamen ex inferioribus administris in suo munere volebat diligentiores, quam Valetudinarii præfectum, ut is ægrotantibus non modo necessaria, sed jucundiora quoque, quantum fieri posset, subministraret. Adibat ipse frequenter infirmos, ab eisque distincte inquirebat, numquid in cibo, aut potu, aut medicamentis tempori adhibendis a præfecto peccatum esset? num etiam in curanda commoditate lecti, cubiculique munditie debitam solertiam exhiberet? Et cum is in evacuando scaphio negligentior aliquando fuisset, Rector illud in latrinam ea via portavit, qua præfectum habiturus erat obvium, ut facto ipso negligentiam ejus acrius, et efficacius coargueret.

Ad

Ad studia vero virtutum , et Societatis ministeria promovenda conatum nihilo remissiorem adhibuit . Ad utrumque Socios et efficacibus verbis , et suo maxime incitabat exemplo . Nam ut exactus erat in domestica disciplina servanda , sic erat strenuus in laboribus aggrediendis , qui vel publicz cunctorum civium , vel privatæ multorum saluti deservirent . Ipse aderat in templo primus ad poenitentium confessiones audiendas : accurrebatque promptus ad ægrotos , et moribundos , qui ejus opem in extremis implorabant . Tam sæpe , quam cæteri , vel frequentius etiam , e superiori dicebat loco nunc domi , nunc in Coenobiis sacrarum Virginum , nunc in primario urbis templo , ubi Canonicorum expectationem superavit . Nonnunquam , recurrentibus esurialibus feris , per multos continentis dies binas quotidie conciones habuit . Mane dicebat ad milites in eorum urbanis castris , postquam longam dederat operam confessionibus excipiendis . Post meridiem autem extra urbem ad duo fere millia prodibat in oppidulum , quod regio Huelgarum Monasterio subjacet . In eo missionem sacram agere instituit , obtenta facultate ab Antistita Monasterii , quæ in locis amplissimæ suæ ditionis potestate fungitur fere Pontificia . Id autem , quod novum multis videri poterit , quam vere dictum sit , intelligere licet ex literis ejusdem Antistitæ , quas apud nos habemus , et quarum exemplum hic juvat apponere .

NOS DOMNA MARIA HOZES

„ Dei , et Apostolicæ Sanctæ Sedis gratia , Antistita Regalis Monasterii Huelgarum prope Burgensem urbem , Ordinis Cisterciensis , et Habitus P. N. S. Bernardi , Domina Superior , Prælata Mater , et legitima Administra in spiritualibus et temporalibus prædicti Regalis Monasterii , ejusque Hospitalis domus , quam appellant Regis ; Coenobiorum quoque , Templorum , et Sacellorum suæ filiationis , Oppidorum , et Castellorum suæ Jurisdictionis , Ditionis , et Clientelæ ; ex vi Bullarum , et Concessionum Apostolicarum , cum jurisdictione omnimoda , privativa , quasi Episcopali nullius Diœcesis ; et ex vi Regalium Privilegiorum :

,, utramque enim jurisdictionem tranquille , pacificeque exerceamus , ut publicum est , ac notorium . „

Præsentium tenore literarum , attenta virtute , et scientia N. N. potestatem ei facimus , ut pro tempore nostræ voluntatis administrare possit sanctum Pœnitentia Sacramentum (exceptis Religiosis feminis sine speciali nostra facultate) quibus eunque personis apud ipsum confiteri volentibus , aque in hoc dicto Monasterio , atque in Hospitali nostra domo , quæ Regis appellatur , et in ceteris Cœnobiis , Templis , et Sacellis nostra filiationis , sine præjudicio juris Parochialis ; absolvendo eos ab omnibus peccatis , iis exceptis , que Sanctitati suæ , et ex jure sunt reservata , procedendo in omnibus multa cum prudentia , maturitate , et attentione ; observatisque omnibus Decretis Apostolicis , et Sacri Tribunalis Sanctæ Inquisitionis . Ad quorum effectum præsentes dari jussimus , ac dedimus , nostro subscriptas Nomine , signatasque Sigillo Abbatiali nostra Dignitatis , et a præsenti Notario roboratas &c.

Possit etiam Monialium confessiones audire , et Sanctum Evangelium prædicare in omni nostra ditione , ac jurisdictione &c.

Igitur iteratis Idiaquezii catechesibus , et concionibus populus ille , qui nunquam post incolarum memoriam eo prædicationis genere fuerat excultus , pœnitentia concepit sensus , et ad pietatis recaluit studia . Multum ad id genus expeditiones afficiebatur ipse propter uberes justitiae fructus , qui plerumque inde proveniunt , aliosque pariter ad easdem adhortabatur . Sed quoniam Burgensibus Sociis tanta messis copia intra urbem erat , ut longius excurrere non vacaret , a provinciæ Præposito Sacerdotes duos obtinuit , qui tertio probationis anno exercebantur . Hos misit in disjuncta septem oppida (Bellimar in eis fuit , ubi Societas habuerat olim domicilium) in quibus illi strenue adlaborarunt , ut indigenas ad vitia detestanda , et ad novæ vitæ propositum permoverent . Neque inde aut populis , aut Collegio ipsi major aliquis sumptus accrevit , cum aliunde Rector sacris illis Præconibus de necessario sumptu providerit . Certam pecunia summam legaverat quidam Burgensi nosocomio , quod ibidem Barrantes vocant : eo tamen pacto , ut Collegio Societatis quinquageni donarentur aurei , quoties Socii per dies totidem quinquagennos

nos missionem aliquam intra diœcesim illam susciperent. Cum id notum Rectori esset, a Curionibus, et Magistratibus eiusque oppidi literas petiit, quibus publicam faciebant fidem, par illud Sacerdotum quinquaginta dies in ea sacra expeditio posuisse. Exhibitisque nosocomii Administratori literis, prædictam ille numorum summam Rectori misit, qui eam solvendis profectionis ejus expensis adjudicavit.

Multam quoque operam contulit ad animos hominum piis meditationibus ex disciplina S. Ignatii exercendos. Inter plurimos, quos eo commentationum genere instruxit, dignus est memorari Joannes Franciscus Guillenius, in Academia pri-mum Cæsaraugustana Sacré Theologix Doctor, deinde Canariis Insulis (Fortunatas dixerunt veteres) datus Episcopus, ac demum ad Burgensem Archidiœcesim evectus. Is in Rectore Idiaquezio cum eximiam prudentiam, spectatamque doctrinam, et morum probitatem animadverteret, illum a confessionibus habere voluit, et in gravioribus Pastoralis curæ negotiis frequenter ejusdem consilium exquirebat. Eadem aliquando dixit, optare se aliquam cæteris occupationibus particulam temporis suffurari, ut eam inspiciendis animi sui rebus impenderet: proptereaque in Collegium secedere decrevisse, ut ab aliorum interventu remotus, sub illius ductu divinis incumberet meditationibus. Tam laudabili optimi Præsulis desiderio non potuit Rector obsistere. Advenienti deinde per quadragesimam jejuniorum eam designavit temporis partitio-nem, quæ personæ congruebat, et ætati: quarum hæc erat valde inclinata, illa vero ad pietatis opera sua sponte propensa. Cunctis autem domesticis admiranda fuit singularis in tali viro docilitas, qua descriptas commentationum vices ita observabat exacte, ut ab eis nollet vel transversum unguem arbitrio suo discedere. Per eos dies quidam Sociorum verba facturus in templo, dum in suggestum pergit, ad Archiepiscopum ingreditur, ab eoque rogat, ut auditoribus suis quadraginta dierum Indulgentiam concessam velit. Petitioni libenter annuit: simul tamen inquirit, num ipse interesse concioni possit? Quidni possis? ajebat Socius: si modo id tibi placeat, nil obstat omnino. Sed Rector, opponebat Antistes, nihil super hoc mihi dixit: et aliud quiddam agendum mo-

do erat ex illius præscripto. Instabat nihilominus Socius , ut, quod libitum esset, ipse decerneret. Sed cum id obtinere non posset, Rectorem monuit, quem protinus accurentem sic affatus est Archiepiscopus: *Paratus sum in concionem prodire, si jusseris; aut hic remanere, si velis.* Deduxit eum Rector in superiorem chorū, unde Concionatorem commode audire poterat: omnesque in Ecclesiæ Principe illam adversus animi ductorem observantiam suspexerunt, quæ foret vel in religioso viro summe laudanda. Rector vero, qui plures alias, et præstantes æque virtutes in egregio Pastore agnoscebat; multaque noverat benevolentia signa, quæ idem in Canariis, et Burgis, et alibi erga Societatem exhibuerat; jam pridem Romam scripserat ad Præpositum Generalem, ut fraternalitatis jura, et spiritualium bonorum participationem, quam amplissime fieri posset, benemerenti Præsuli largiretur. Commodum Præpositi literæ, quibus eà Guillenio germanitas concedebatur, cum is adhuc sacris insisteret exercitiis, Burgos perlatæ sunt ad Rectorem. Hic autem opportunitatem illam arripiens, literas pretioso circumornatas margine, qui Rectoris jussu Romæ fuerat elaboratus, coram Sociis obtulit Archiepiscopo, brevi ad eum habita oratione eucharistica, in qua illius erga Societatem præclara merita commemorabat, atque hujus aliquam grati animi significationem in præsenti dono exhibebat. Lætissimo vultu, magnisque gratiarum actionibus beneficium illud Præsul accepit: suamque regressus domum, literas in patenti loco decentissime collocavit, et adventientibus ostendebat, ut se Societatis fratrem esse, quod plurimi faciebat ipse, cæteri agnoscerent.

Hunc autem fraternali dilectionis affectum, quo Socios humanissimus Pontifex complectebatur, ampliori deinde testatus est beneficio. Burgense Collegium, ubi olim et græcae literæ, et severiores floruerant disciplinæ, tanta premebatur modo facultatum inopia, ut paucos aleret Sacerdotes, quorum unus moralém Theologiam, terni Grammaticani edocebant, reliquis ad varia intentis pro animalium salute ministeria. Archiepiscopus de augendo Magistrorum numero cogitavit, ut in metropolitana urbe, quæ sedes Regum fuerat, et Castellæ primatum obtinet, faciliorem juventuti aditum ad studia literarum aperriret,

riret. Rectori ergo syngrapham dedit. undecim mille aureorum, sive ducatum, ut Hispani loquuntur, viginti millium, ex quorum fructibus bini saltem alerentur Socii, quorum alter Philosophiam, alter vero Theologiam traderet Scholasticam: disertisque declaravit verbis, per donationem illam nullum se onus Collegio imponere, quod ex justitia subire teneretur. Huic tanto beneficio ut aliquam Rector referret gratiam, Guillenium inter insignes Collegii benefactores recentendum curavit, misso ejus nomine in album, quod appensum in Sacrario erat, ut et illius beneficentia nota esset omnibus, et ipse particeps fieret Sacrificiorum, et precum, quæ singulis annis, et mensibus, et hebdomadis peragebantur a Sociis pro ipsorum benefactoribus. Deinde in studiorum proxima instaurazione novi designati sunt Professores, qui Cathedras occuparent, quas erexerat Archiepiscopus, habita in ejus laudem Otatione latina, multisque diversi generis, et vario idiomate carminibus evulgatis. Aliud etiam benevolentia monummentum Burgensibus Sociis Guillenius reliquit, quod silentio involvendum esse non duxi. Tractatus illos, quos in Scholis dictaverat auditoribus, dum esset Cæsaraugustæ Doctor, dono dedit Collegii Magistris, quibus magno esse poterant usui, cum Guillenius in Scholæ questionibus pertractandis multa ingenii laude floruisse. Pulchre illi compacti erant, sed cum nullo inscripti essent titulo, Rector, currente calamo, hoc eis apposuit epigrammatum:

Qui victimum dederat, donat sua scripta Magistris:

Quos pius Antistes sic alit, atque docet.

Nimius fortasse, justoque prolixior in exponenda Guillenii liberalitate quibusdam videbor fuisse. Sed longus de beneficiis sermo, quanto magis conferentem dedecet, tanto est in accipientibus laudabilior. Nec vero hæc ipsa largitas Archiepiscopi ad commendationem Idiaquezii, cuius gesta exequimur, parum credenda est pertinere. Hujus enim virtuti, ac sapientiæ tantum tribuebat Præsul, ut in expediendis difficultissimis rebus, atque his maxime, quæ Theologicam requirabant scientiam, vix quidquam sine illius consilio statueret. Inde amabat eum plurimum, et pro susceptis in suarum ovium commodum laboribus eidem gratificari studebat. Haud minorem

rem apud cives inivit gratiam, quos in primo fere ad eorum urbem accessu sibi obstrinxerat inestimabili beneficio. Inter multas nobiliorum familias graves insurrexerant dissensiones, quæ veterem eliminaverant amicitiam. Rector ad eam revo-
candam aggressus, urbanissime convenire singulos, alios sub-
misse rogare, deprecari, alios prudenti coarguere severitate,
omnes ad condonandas et reparandas injurias gravissimis ra-
tionibus adhortari: donec pacem in illis constituit domibus,
quæ antea, ut affirmabat Sacerdos quidam, infernarum sedium
speciem referebant. Exinde Burgensibus magno in honore fuit
Idiaquezius, quem multi Rectorem illustrem, Rectorem doc-
tum, et sanctum frequenter denominabant.

C A P U T V I .

*Renuntiatus tirocinii Rector, Romam mittitur
ad comitia.*

Post triennium in Burgensi administrando Collegio magna cum approbatione peractum, IV Nonas Majas 1755 missus est Villamgarsiam, ut Collegium illud regereret, ac tiro-
num susciperet magisterium. Hoc enimvero majus erat onus,
longeque difficilius, quam Burgensis administratio: nec tamen
aliquid molitus est, quod sciam, ut eam gravissimam effuge-
ret occupationem: Inde autem colligendum est manifeste, con-
tentioñem illam, qua saepe alias honorifica detrectare conatus
est munera, non ex abjectione animi, aut fugiendi laboris de-
siderio, sed ex Christianæ humilitatis studio provenisse, quod
eum constanter induxit ad honores, et plausus hominum de-
clinandos. Neque hos admodum timere poterat in solitudine
Villagarsiensi, ubi fere tantum domesticos intra parietes tota ejus
exercenda, et versanda erat industria. Jucunda quoque reme-
moratio fervoris antiqui, quem olim in illis conceperat religio-
sa vita incunabulis, multum potuit eum allicere, ut libenter
munus illud amplecteretur, a quo novum ad studia virtutum
ardorem facile accessurum sibi esse sperabat. Sed, ut insta-
bilis est humanarum rerum conditio, pacificam illam sedem,

in

in qua diutius jucundissime permansisset ,aliis nec opinato supervenientibus causis , nonnisi parumper in præsentia tenere potuit .

Quo die Burgis excesserat , ut iter ageret Villagarsiense , vivere desierat Romæ R. P. Ignatius Vicecomes , Præpositus Generalis Societatis . Pro successore diligendo , bini per singulas Provincias designandi erant Socii , qui simul cum Provinciali Romam ad electionem faciendam proficiscerentur . Ad hoc ergo munus in Castellanæ Provinciæ conventu propter insignes illius dotes electus est Idiaquezius , qui multa tentavit , ut ab illo onere , cui se imparem reputabat , eximeretur . Neque verba tantum , et preces , sed lacrymas etiam largiter fudit , ut electionem illam , quantum se penes erat , impeditret . Cum enim fama vulgasset , expeti se Romæ , et super hoc literas ad Provinciæ Præpositum fuisse directas , incredibile dictu est , quantum is rumor illius animum exterruerit . Etenim illud est sincerae humilitatis ingenium , ut quo quisque a cæteris habetur dignior , tanto se ipse judicet indignorem . Xaverius certe longissime aberat a quorumdam misera conditio- ne , qui claris natalibus orti , fumosis majorum imaginibus insolescunt : et cum nulla ipsi laude nitantur excellere , omnia sibi arrogant , nihilque deberi sibi non existimant propter egregia progenitorum facinora , a quibus illi turpissime desciverunt . Contra hæc Franciscus noster , cum splendida familiæ suæ decora probro sibi futura esse cognosceret , nisi eis aliquid de suo ipse adderet ; ad persequendam virtutis viam , quæ vera demum est gloria , toto pectore incubuit . Et quoniam inter cæteras ejus virtutes solida eminebat humilitas , quidquid honoris sibi deferebatur ab aliis , non tam suis , quam suorum meritis adjudicabat . Illa vero præclara munia , quæ saepè jussus est exercere , vix adducebatur , ut crederet , propætrea sibi demandari , quod esset eorum dignus ; sed potius propter sui generis splendorem , et clarissimam suæ gentis stirpen , quæ Societati eximios sanctitate viros dederat Ignatium , Xaverium , et Borgiam . Is eum angebat timor , eodemque vehementius incitabatur ad conspicua detrectanda munera , nequid suo vino Societas detrimenti caperet , quam ipse summopere diligebat . Nunc igitur legationem illam Romanam ut
veri-

verissimam calamitatem deprecabatur, ex qua nonnihil honoris imminere sibi pertimescebat, prout rumores ferebant sparsi, quo nihil ingratius eidem poterat evenire. Suamque in renitendo constantiam apud amicum excusaturus, qui cum ipso intererat Provinciali conventui, dolenter eidem dixit. *Aver-tat Deus tam perniciosum exemplum, ut honorifica Societatis munera propter sanguinis claritudinem aut mibi, aut alteri deferantur, qui proprio sit merito destitutus.* Sed quamvis multum pro revocanda electione sua contenderit, aliorum tamen cedere sententia debuit, qui longe diversam de illius meritis induerant opinionem.

Dum Romam pergeret, multis in locis perhonorifice fuit exceptus. Burgis, ubi recentissima erat rerum ab eo bene gestarum memoria, tota pene civitas ad salutandum illum confluxit. Galli etiam Socii, qui suum quodammodo Xaverium reputabant, quem a pueritia bonis artibus erudierant, et apud ipsos voluisse Societati dare nomen sciebant, magnis modo benevolentia signis, et praecipuis honoribus prosequabantur. Sed ex illorum obsequiis non potuit ipse, quin multum hauriret amaritudinis: cum praesertim unum, aut alterum post tergum suum incaute cum aliis ita mussitatem audierit: *En vobis Hispania Magnatem ex Xaveriana stirpe, qui modo Societatis Praepositus eligetur.* Nihil esse poterat efficientius ad Francisci animum, quem timores jam diu solicitabant, penitus contubandum. Conceptus inde mœror vires etiam afflxit corporis, contractoque tandem morbo, coactus est Augustus Taurinorum subsistere. Provincialis, quoniam comitorum urgебat tempus, commendata Taurinis Patribus Francisci cura, qui omnibus erga illum usi sunt caritatis officiis, cum Electore altero Romam ire perrexit. Ibi peringratum fuit nuntium de adversa Idiaquezii valetudine. Multi enim Electorum oculos in eum conjecerant, et aliorum animi, prout affirmabat deinde quidam ipsorum, ita comparati erant, ut Idiaquezius in Generalem assumptus esset, si Congregationi ad condic tam electioni diem adfuisset. Postmodum acceptis Taurino literis, quibus lætiora de salute illius afferebantur, ab iisdem Electoribus renuntiatus est Assistens Hispaniz. Quæ quidem elec-
tio multis eo visa est respexisse, ut Idiaquezius, si forte R. P.
Aloy-

sio Centuriono superviveret, qui devexa in atate Präpositus creatus fuerat, et ante biennium ab electione decessit, suffici eidem posset: atque interim Romæ degens, in his, quæ ad regimen Societatis proxime pertinebant, exerceceretur.

Sed si huc aspicerunt aliqui, Franciscus ab scopo recusandi honores nunquam deflexit oculos. De munere delato sibi certior effectus, cum primum ex infirmitate convaluit, sine mora contehit Romam, antequam Electorum cœtus dissolveretur. Die vigesima sexta Decembris in Urbem ingressus, ad congregatos Patres recta perrexit: ibique multa excusavit, quominus parem se fore arbitraretur labori ejus munieris: multa etiam deprecatus est, ac flevit multa, ut ejus abdicationem Congregatio comprobaret. Re in deliberationem adducta, rogatisque, eo excluso, Patrum suffragiis, nonnulli ad acceptandum munus cogendum esse censebant, nec rationibus cedendum esse, quas eidem profunda suggerebat humilitas. Alii vero non tam rationibus adducti, quam permotiti depreciationibus, ac suspiriis, annuendum illius petitioni judicabant. Inter cæteros quidam e Germania Socius Francisci angorem tanta est miseratione prosecutus, ut elata voce clamaverit: *Fiat semel et iterum Provincialis, et fruatur eo Societas, nec certa morti addicetur.* Cum in eam sententiam reliqui adiissent, tandem abdicationem ratam habendam esse censuerunt. Tum demum Franciscus respiravit, abstersisque lacrymis, et moerore, sessionibus, quæ deinceps habitæ fuerunt, latissime interfuit. Romanos etiam Socios, praesertimque illos, qui in Professorum domo habitabant, jucundissima consuetudine, moribusque facillimis sibi stricte conjunxit: ut dolerent deinde, cum ab eis discessurus erat, quod opportunitatem habendi eum diutius amisisserent.

Quos in Urbe dies egit, his domesticorum colloquiiis multo libentius detinebatur, quam externorum salutationibus, quorum non pauci e primariis ad eum convenerunt, multisque benevolentiaz, atque observantiaz significationibus sunt prosecuti. Quod ego non solum antiquissimo suæ domus stemmati tribuendum puto, sed recenti etiam exemplo modestiaz, qua munus sibi sponte delatum abdicaverat. Neque enim magis ad devinciendo animos hominum ea facta valent, quibus

pariuntur honores, quam valeant illa, quibus honores promeriti recusantur. Pontifex Maximus Benedictus XIV, quo die Congregationis Patres ad pedum admisit osculum, de Primogenito Duci Granatæ nominatim interrogavit: qui cum indicatus ei fuisset, in illius conspectu singularem ostendit animi voluptatem. Inter viros principes, qui favere illi studuerunt, quidam e Collegio Purpuratorum, cum de contentione agnovisset, qua demandatam occupationem repudiare nitiebatur, per epistolium hortatus est, ut Assistentis munus acciperet: atque ut majorem vim verbis adderet, suum ipsius allegabat exemplum, qui purpureum Galerum minime recusaverat. Respondit ei Franciscus, de præstantibus Eminentissimi viri dotibus altissimam sibi esse opinionem: sed in eo, quod de Galeri admissione adjungebat, quamvis hoc ipse non reprobaret, tamen laudabilius multo sua quidem sententia fuisse facturum, si dignitatem illam non admisisset. Is erat de honoribus Francisci sensus, quem ipse perpetuo tenuit, ut se illis eripere conaretur, quantum religiosæ jura sinerent obedientiæ. Ad abjecta quæque ac viliora promptus aderat animo, et manu, quamvis dura essent, et laboriosa: ad ea vero, quæ decoris speciem aliquam exhiberent, nonnisi eorum coactus imperio, qui Dei tenebant locum, adducebatur. Demum postquam solutus est coetus, et pia quædam loca lustravit Sanctorum nobilitata cineribus, relicta libenter Urbe, in Provinciam suam latior, quam venerat, remeavit.

C A P U T VII.

*Ad Hispaniam regressus, pergit in Collegio regendo
Villagarsiensi.*

Non levis erat ponderis, nec leve reputabat ipse, Collegium illud administrare, in quo tirones septuaginta, vel octoginta, nonnunquam iis etiam plures educabantur. Ibidem triginta fere degebant veterani Socii, quorum alii Sacerdotes erant, diversis aut docendi, aut cencionandi, aut expiciendi confessiones intenti ministeriis: alii vero Coadjutori*its,*

res, quibus et domestica demandata erant officia, et agrorum, ac villarum cura committebatur. Pro his necessarius erat opportunus servorum numerus, pastorum, et agriculturarum, quorum multi domesticos intra muros habitabant. His accedebant non pauci Ministri templi, Sacerdotes, Cantores, et Symphoniaci, qui quotidie divinas ibi cantabant laudes, et Missam quotidie cum cantu celebrabant: ad eosque proinde Rectoris intendenda erat cura, ut suo muneri diligenter, ac de core satisfacerent. Hæc multiplex, ac tam varia hominum rerumque conditio difficile reddebat munus, quod Francisco ex Italia reduci deferebatur. Id tamen multo illi tolerabilius erat, addo etiam jucundius, quam in Urbis conspectu vivere, atque in amplissimo totius orbis theatro permanere. Ut autem expediendis negotiis, quæ suis incumbebant humeris, longiorrem haberet usuram temporis, multo ante cæteros linquebat lectulum: diuque divina contemplatus, quo tempore surgebant reliqui, ipse ad Confessarium accedebat, ut animum expiaret, quod solemne illi erat quotidie facere. Pergebat deinde orare cum omnibus, donec sacrificandi tempus adfuisset, quod plerumque in tirocinii Sacello maximo, adstantibus tironibus, efficiebat. Postmodum admittendis, audiendisque vel domesticis, vel externis operam dabant. Rectoris cubiculum in superiori domus contignatione, intra quam tirones etiam ab aliis sejuncti Sociis manebant, ita erat ad tirocinij angulum constitutum, ut duas haberet januas. Altera spectabat in tirocinium, per eamque tironibus ad Rectorem facilis patebat accessus. Altera extra tirocinii septum erat, per quam reliqui Socii, qui medianam, et infimam habitabant domum, atque externi etiam ad Rectorem ingrediebantur. Is autem, cum auscultandis novitiis diu noctuque esset intentus, non propterea cæteros, qui ad exteriorem januam accederent, excludebat. Frequenter potius ad eum conveniebant et Collegii Minister, et Procurator, et studiorum Præfectus, et templi Economus, aliique aliis præpositi negotiis, ut rationem de injunctis redderent, et ab ipso nova mandata reciperent. Et cum tam multi quotidianè, ac tam variis de causis ad eum convenirent, unumquemque tamen, quasi vacuus ab omni alia cura esset, excipiebat.

Supra sexennium in occupatione illa perseveravit, quæ inter gravissimas totius provinciæ computabatur. Sed ea capacissimum Francisci animum præpedire adeo non potuit, ut is potius novum eidem pondus addiderit, subtractiones quædam aggressus, quæ in subditorum omnium, sed novitiorum maxime, cederent utilitatem. Nullum pro his erectum erat peculiare Valetudinarium: proindeque, dum ægrotarent, in alia quædam cubicula extra tirocinii ambitum descendebant. Aliunde vero Bibliotheca, in superiore Collegii parte ab initio constituta, nonnisi per tirocinium adiri poterat: quod et Sacerdotibus satis erat incommodum, et tironibus nullam prorsus addebat commoditatem. Hi enim duas habebant Bibliothecas, quarum alia libris abundabat asceticis, alia optimis instructa erat Latinis, græcisque Auctoribus pro illorum tantum usu, qui literis humanioribus studebant. Rector igitur, translatis alio Bibliothecæ primariæ voluminibus et armariis, in eodem loco Valetudinarium tironibus posuit. Separatas ibi struxit cameras, aramque in medio constituit, ad quam prospectus erat ab omnibus infirmorum lectulis, ut Sacerdotem, ad eamdem operantem, vel decumbentes videre possent; aliaque ibidem adjunxit in ægrotorum commodum valde opportuna. Vestiarium quoque ad aliam sedem transtulit spatiösorem, in qua novitiorum vestes, quæ prius in angusto conclavi reponabantur, laxius, et accuratius haberri possent, ut non adeo facile contagione pedicularum inficerentur. Sensebat molestiam illam Franciscus, dum esset tiro, eamque patienter præ fervore spiritus toleraverat. Sed modo, ut eadem novitios liberaret, quorum villosæ vestes hujusmodi bestiolis erant obnoxiae, præter alia, quæ ex Medici consilio tentavit, novum illud Vestiarium ita disposuit, ut in eo distinctis quæque cellis separatius asservarentur. Quas novitii deponebant vestes, postquam lotæ, refectæque fuissent, in superius tecti cavum deportabantur: suspensæque ibi, tandiu ventis ac frigori manebant expositæ, donec lendibus expurgatæ, ad eum locum referebantur, unde illas novitii, cum vestimenta mutare vellent, desumebant. Hac usus industria, munditiae novitiorum consuluit, et Bibliotecham in antiqua Vestiarii sede, quæ commodior erat Patribus, modico sumptu collocavit.

Aliud

Aiud quoddam molitus est opus majoris impensæ , cui sufficere solus potuisset Idiaquezius . Vetus erat multorum quærela , tardiores a discipulis in studiis humanioribus progressus fieri propter librorum penuriam , et mendas nimium editio-nes. Sed cum hoc multi lamentarentur , nemo tamen huic malo remedium afferre conabatur. Ut ei Franciscus occurre-ret , Typographiam in Collegio Villagarsiensi posuit ad usum illius Seminarii , obtenta facultate Regis , et Præpositi Gene-ralis. Obtinuit etiam a Patre suo bis mille ducentos aureos , quibus officinam opportuno loco prope alteram Collegii janu-am ædificavit: præla emit: characteres optimæ formæ , quibus latini , aut vulgares libri , atque etiam græci excudi possent , Matriti , et in Hollandia comparavit. Collocandis vero typis , prælisque versandis habiles quæsivit opifices , inter quos egre-gium nactus est juvenem , qui per id tempus Societatis Adju-toribus voluit adscribi , postquam Salmanticæ , ac Matriti ex-cellentem egerat Typothetam . Is Adjutorem alium instruxit , qui deinde græce quoque componere didicit accuratissime . Paratis jam instrumentis , et qui eadem tractarent perite , quos-dam Sociorum designavit Rector , qui typographicæ errata cor-rigerent diligenter. Alios etiam induxit , ut Auctorum libros , quos edere pro Scholarum usu cogitabat , brevibus commen-tariis dilucidarent. Ipsemet inter gravissimas sui muneris oc-cupationes , quippe animum gerens nullis negotiorum molibus opprimendum , Cornelium Nepotem notis ad puerorum cap-tum accommodatis illustravit. Ad exemplum ejus alii Cice-ronis Orationes selectas , Virgilium , Ovidium , Q Curtium opportunis annotationibus explicarunt: alii expurgatas Ana-creontis odas , et Æsopi Fabulas vulgari donarunt interpre-tatione , indicatis passim regulis Grammaticæ græcæ , quæ ibi-dem excusa fuerat , Auctore Josepho Petisco . His editis li-bris , et præceptorum compendiis , quæ paulo ante Burgis e-denda curaverat , pueris aperuit viam ad latini , græcique ser-monis notitiam facilius adipiscendam . In alio quodam opus-culo , quod jussu Provincialis scripsérat , Magistris etiam ex-peditum et utilem proposuit docendi modum juxta ea , quæ pridem constituta fuerant in Ratione Studiorum Societatis . Hoc modo sublatis , quæ sensim irrepserant , impedimentis ,

novisque additis adminiculis, latina pariter, et græca refloruerunt studia. Quoniam vero in Societatis Scholis haud minor pietatis, quam eruditio[n]is discipulorum habenda erat cura, pi[os] aliquot vulgavit libros, qui promovendæ religioni deservirent. Inter alios edidit libellum aureum Thomæ a Kempis de Imitatione Chisti cum versione græca Patris Georgii Mayr, qui pridem illum ediderat Augusta Vindelicorum anno 1615. Sed versionis hujus exempla ita erant rara, ut Franciscus unicu[m] ejus exemplum in Collegio Pontevedrensi repererit. Hoc autem invento thesauro, decrevit illum statim cum multis communicare, pulcherrima editione facta, quam Societatis adolescentibus nuncupavit, qui literis dabant operam; ut pietatis, atque humanitatis semina, quæ dudum in Seminario Villagasiensi receperant, lectione assidua pretiosi hujus libelli confoverent. Idem cum plausu exceptus fuit in Hispania, ut etiam a quibusdam Ital[is], qui eum ab Hispanis exilibus obtinere potuerunt. Reliqui Villagasienses libri propter correctionem exactam, et papyri nitorem, elegantiamque typorum magno etiam habebantur in pretio: nec solum in Societatis legebantur Scholis, sed inter ipsos Praeceptores externos non deerat, qui avide illos conquereret, ut auditores suos ad eam conformaret normam, quam ostenderat Idiaquezius.

Is inter adeo multiplices occupationes nihil de vigilancia super administratione domestica detrahebat: non quod inferiorum officiis sese importunus ingereret, sed quia erat in exigenda ratione diligentissimus, in eoque plurimum reponebat momenti. Nec semper administratoribus rerum, quæcunque agenda essent, singillatim præcipiebat omnia: sed cum negotium generali quadam admonitione injunxisset, cætera relinquens gerentium arbitrio, ut ipsi pro re nata consilium caperent, quod saxe ad negotiorum juvat expeditionem. Sic etiam administratorum animos sibi adjungebat, quorum industria, ac diligentia multum se tribuere demonstrabat. Et quæ illi prudenter in suo quisque munere decrevissent, tueri, ac defendere conabantur; aut eosdem, si quando errassent, ad corrigenda sua decreta sic inducebat, ut ipsorum consulenter auctoritati. Nonnunquam tamen eam curam ipsem sibi desumpsit. De Collegii Procuratore conquestus est Palentinus Canoni-

corum cœtus , quod pecudum copiosiores haberet greges , quam ex antiqua circa Decimas conventione permissum eidem esset . Nihil de conventione illa noverat Rector : sed facta modo super his diligent vestigatione , Palentiam ad Canonicum venit , qui pro negotio illo fuerat designatus . Is de pecorum excedente numero (quem compertum esse ajebat , et coram Rectore determinavit) offensos esse dixit Collegas suos , sibiique demandasse , ut excessum illum , etiam intenta lite , impeditret . Tum Rector : Excessum , inquit , pecorum non bene exploratum habes ; est enim haud parum illo major , quem ipse statuisti . Sed hoc sine fraude cujusquam , et me inscio effectum est . Propterea huc ipse venio , ut Canonicis satisfaciam , novamque cum eis pactionem ineam , que accommodata sit diversæ conditioni temporum , et majori Sociorum numero , qui modo Collegium incolunt Villagarsiense . Delegatus ad eam viri sinceritatem obmutuit ; et cum de his ad Canonicorum Senatum retulisset , illi etiam , collaudata Rectoris ingenuitate , ab instruendæ litis consilio recesserunt : novumque constitutum est pactum , quod et Canonicis erat utille , et Collegio Villagarsiensi congruentius .

Ut hic Procuratoris sui causam ingenua veritatis manifestatione defendit , sic etiam alibi contra mendacii fabricatores acri decertavit studio . Quidam ex Adjutoribus sibi subditis Collegi prædium vicino in oppido administrabat . Huic oppidi ejusdem incola , vel acceptam prætexens injuriam , vel propria inductus malevolentia , gravissimum imposuit crimen , quo nihil religioso viro invidiosius . Ut criminationi majorem fidem adderet , tres alios contribules suos ad eam testificandam induxit : eorumque innixus testimoniosis , delationem coram Episcopo fecit , qui diœcesis lustrandæ causa prope aberat ab eo loco . Non defuit , qui de tota illa machinatione Rectorem admonuit . Is accitum ad se Fratrem de rumoribus edocet , qui contra ipsum spargebantur : et quam benignissime potest , hortatur , ut siquid hominum more commiserit , aperte sibi , ac simpliciter fateri non dubitet : se autem pro paterno amore , quo illum prosequebatur , et pro gratia , qua valebat apud Episcopum , ad quem nomen ejus delatum fuerat , rem omnem sine strepitu , et cum minimo dedecore transacturum .

Ad

Ad hæc Frater ille totus inhorruit: seque immunem penitus ab imputato scelere protestatus, Rectorem enixe deprecatur, ut in mores suos diligenter inquirat, rogatis incolis, quos cunque velit, ejusdem oppidi; quorum testimonii malitiosi quadruplicatoris fraudem aperiendam esse sperabat. Cum veridica existimaret Rector, quæ Frater attestabatur, nullum pro illius defensioue laborem prætermisit, aut sumptum. Quæstionem juridicam institui fecit, ex qua inter alia compertum est evidenter, e testibus, qui delationem subscripsisse ferebantur, unum nescire literas, neque unquam subsignare didicisse. In de calumniatoris infamia patuit, et Adjutori restitutus est honor, qui tam inique violatus fuerat.

Solicitam Rectoris industriam non solum in gravioribus hisce rebus, sed in aliis etiam videre licuit, quæ diligentem illius curam erga omnes sibi commissos aperte manifestabant. Multi erant in Collegio servi, quorum alii colendis agris, alii pascendis gregibus incumbebant. Pro his designatus erat Socius, qui certis anni temporibus, statisque diebus, cunctos in doctrina Christiana, et bonis moribus erudiret. Rector, qui ad omnes officii sui partes erat intentus; cum observasset, pastores sæpe ab instructionibus illis abesse, vel quia pecus in remotis pascebant montibus, vel quia nusquam illud deserere posse causabantur: promptum huic etiam malo remedium adhibuit. Cuidam e Sacerdotibus injunxit, ut instruendis servis invigilaret: ac ne unquam pastores deessent aliqui, juberet eos alternis custodias agere, ut omnes etiam per vires catechesibus interessent. Nonnunquam ipsem in destinatum catechesi locum descendens, modo ab iis, modo ab aliis exquirebat, quid tandem in explicatione doctrinæ didicissent: quod omnibus, ut intento essent animo, proficiebat. Quæ autem ipse circa servorum curam statuit, deinceps servata sunt usque ad Sociorum exilium.



C A P U T V I I I .

De ratione, quam habuit, in tironibus educandis.

Rectoris Villagarsiensis præcipua vertebatur cura in insti-tuendis tironibus, qui per id tempus fere octogeni-censebantur; convenientibus eo non paucis, qui postmodum in Americam erant, aut in Asiam transmissuri. Omnes hi, utpote a tam variis genitoribus orti, atque in diversis nati-regionibus, diversam etiam habebant indolem, magna-que opus erat industria, ut unumquemque ad novæ vitæ formam accommodares. Multi achuc teneri, qui tum primum e pa-terna domo discesserant: grandiores alii, qui prius in publi-cis Scholis, et Academiis aliquandiu versati fuerant: universi autem ab hujus mundi blanditiis, ad amplectendam Christi crucem, et ineundam perfectionis viam, recenter evocati. Qui-bus proinde opus erat experto duce, sapienteque Magistro, ne in prærupta, vel devia discederent, et ut frequentes hos-tium insidias detergerent, ac superarent. Non enim mirandum est, si humani generis implacabilis adversarius adolescentes il-los variis modis impeteret, qui, relictis omnibus, ad perfec-tionem connitebantur, ut deinde alios per Instituti sui mini-steria ex Dæmonum erectos imperio, in Dei libertatem as-sererent. Franciscus ergo, cui Diaboli notæ erant mille no-cendi artes, ut contra illas alumnos suos instrueret, nihil eis commendabat impensius, quam ut omnes animi sinus expan-derent, nihilque celarent penitus, nisi vellent ab inimico vaferri-mo superari. Deinde ad se accedentes maternis visce-ribus recipiebat, auditisque patienter singulis, opportunum cuique conferebat auxilium. Mœrentibus abstergebat lacrymas: languidis subjiciebat stimulos: currentibus, ne usquam impin-gerent, offendicula demonstrabat: dubitantibus quo pedem ferrent, viam securissimam ostendebat. Cum autem viderent singuli, quam amanter ab eo susciperentur, quantusque ad virtutem vigor ex consiliis ejus accederet unicuique, cres-cebat in omnibus erga Franciscum amor, et facilitas ad eum iterum cum fiducia revertendi. Et sane recursus illi adeo fre-

quentes erant, ut, quamvis nullum aliud negotium supererset, solus hic labor audiendi, dirigendique novitios, distinendo, atque defatigando Rectori sufficere posse videretur. Sed ille nullis occupationum fluctibus impeditiebatur, quominus præcipuam adeo sui muneric partem diligenter obiret, quam etiam utilissimam videbat esse ad tirones in spiritu promovendos. Non enim minores inde capiebat fructus, quam ex adhortationibus publicis, quas sæpe habebat ad omnes, et ex collationibus, quæ frequentes etiam erant, de spiritualibus rebus, et quæ ad tirocinii disciplinam spectabant. Ex hac autem communi, privataque institutione, ac præsertim ex amore illo mutuo, qui Magistrum inter et discipulos intercedebat, strenuus ille ardor effluxit, quo tirones Villagarsienses ad studia virtutum sub Francisci magisterio contenderunt.

Non propterea cætera prætermittebat religiosæ perfectio-
nis adjumenta. In promovenda corporis mortificatione, quan-
tum quidem ad inediā pertinet, satis moderatus erat; cum
expertus jam olim fuisse, perniciosam esse robustis adoles-
centibus nimiam ciborum parsimoniam. Facilius iisdem per-
mittebat, ut dulciora quædam edulia relinquerent, quæ irri-
tandæ potius gulæ, quam sustentando corpori deserviebant.
In asperioribus aliis macerationibus, quæ flagellis, ciliciis,
lectique duritie peragebantur, receptum tirocinii morem ob-
servari curabat, nisi forte aliquid interdum esset ex pruden-
tia legibus immutandum. Ad cohibendos vero naturæ impe-
tus, et perturbationes animi moderandas, sagaci quadam u-
tebatur industria, iis sæpe injunctis, quæ cujusque ingenio
maxime repugnarent. Eos, exempli causa, qui vivaciores erant,
et irrequieti, certo quodam loco immotos jubebat esse,
donec inde discedere admoneret ipse: quod aliquando
durissimum cuidam accidit, qui diu in eodem loco perman-
sit, dum eum Rector alio evocavit. Sed non omnes uno modo
exercebat. Quemdam, qui epistolam a Patre suo avidissime
expectabat, in hunc modum probare voluit. Postquam
allatae sunt literæ, resignavit eas Rector ex jure, moreque
Societatis: viditque de his agere, quæ novitus vehementer
adeo desiderabat. Huic ergo non statim literas, quas apud
se retinuit, sed literarum integumentum tradidit, dicens:
Agno-

Agnoscisne manum istam? Agnosco, ait ille, literas Patris mei, quas habere tantopere optabam. **Tum Rector: Perge**, inquit, protinus in culinam, easque in ignem conjice com-burendas. Perrexit ille incunctanter, nec dubitavit Patris, ut putabat, epistolam, simulque ardentissimum legendi eam desi-derium flammis dare voracibus, ut Superioris sui jussa per-ficeret. Verum is paulo post literas tironi reddidit, ut eas le-geret, et responsum ad Patrem daret. Alias etiam adhibebat artes ad comprimendum judicium proprium, obterendamque superbiam. Et cum tam variis ab eo modis novitii frequen-titer exercearentur, mirandum tamen erat, quam illi assidue, fidenterque recurrerent ad eundem, ut qui tentamenta illa omnia, quamvis dura, et acerba essent, non aliunde oriri cognoscerent, quam ex amore intimo, quo ipsos prosequ-ebatur.

In decernendis delinquentium poenis ita severitatem ex-hibuit, ut amoris etiam paterni meminisset. Transgressiones illas non facile dissimulabat, quæ cæteris perniciose esse pos-sent exemplo. Sed in earum reprehensione, quamvis seve-riorem vultum induret, verba tamen amorem ejus manifes-tabant, quo unice inductus fuerat, ut virgam assumeret correptionis. Siquis publice ob graviorem aliquem defectum co-arguendus esset, in hunc ferme modum fieri consueverat an-nimadversio. Convenientibus ad prandium, vel cœnam So-ciis, reus in triclinii medio ante parvulam mensam procum-bebat in genua: deinde alius e suggestu contenta, gravique voce admissam ab eo culpam enuntiabat de scripto, quod a Superiore acceperat, in quo etiam justa culpæ objurgatio, et subeunda poena continebatur. Hoc autem supplicii genus Fran-ciscus nocturno tempore nemini volebat infligere, ne cuiquam somnum eriperet, quem juvenibus maxime necessarium esse judicabat, ut postridie solitas tirocinii functiones expeditius obire possent: aut fortasse etiam, ne aliquis per offusas no-ctium tenebras locum daret tristioribus imaginibus, quæ il-lum ad consilia devolverent deteriora. Si quando suspicaba-tur, nonnullum ex reprehensione illa publica vehementius ex-acerbandum, opportune submittebat aliquem, qui benigne illi occurreret, ac dolorem inde contractum mitigaret. Cum

decrevisset prædicto modo punire novitios duos laicos, qui solito gravius deliquerant, admonuit eum, qui sibi datus erat in Socium, ut dum illi reprehendebantur, maneret ipse in cubiculo præter morem: ac de ratione item docuit, qua eos excepturus erat, cum e triclinio post indictam pœnam regredarentur. Regressi quidem fuerunt admodum perturbati, multaque de austeriore severitate conquerentes, qua in conspectu omnium tam acriter fuerant objurgati: quare deliberatum sibi esse affirmabant, a Societate discedere, in qua leves etiam culpæ gravi adeo reprehensione castigarentur. Magistri Socius, ut ab eodem præmonitus fuerat, leniter illos exceptit, paulatimque ad eam animi tranquillitatem adduxit, ut jam ipsi erubescerent tulisse impatienter correptionem illam, quam vel insontes æquiore animo ferre debuissent; quippe qui versarentur in schola virtutis, in qua nonnunquam innoxii etiam soliti sunt pari modo exerceri. Ambo deinde in suscepto vitæ cursu perseverarunt, et lætanter experti sunt, postquam suam ipsi culpam agnoverant, et emendaverant, a tirocinii Magistro æque benebole haberi, ac si nihil deliquissent. Nunquam ille, quantumvis acriter increpareret aliquem, dimissionem a Societate comminabatur. Hoc enim officium relinquendum ajebat Satanæ, cuius est noviorum præsertim animos ab incepta virtutis via mille artibus deterrere: suum autem esse, adolescentes illos in arrepto vitæ proposito confirmare: siquis vero ad Instituti formam aptari nollet, postquam alia omnia tentasset frustra, eum in domum suam, ut aliquando fecit, civilissime dimittere.

Aliquando vero in tironibus gubernandis ita se gessit, ut potius ductum superni luminis, quam humanæ prudentiæ leges observare videretur. Patuit hoc maxime, ut de cæteris taceam, in Joanne Baptista Barcena. Is ad Societatem venerat per superatas parentum, et propinquorum gravissimas oppugnationes: et cum esset egregia indole, atque honestis moribus adolescens, in tirocinio sub Francisci magisterio positus, ad omnem ejus loci disciplinam se facile inflexit. Ultra annum ibi processerat alaci semper animo, tantaque ad virtutes contentione, ut inter spectatissimos tirones recenseretur: cum repte gravi tædio corruptus, omnia jam fastidire incepit, quæ

ad-

adhuc in deliciis habuerat. Non distulit de his ad tirocinii referre Magistrum , qui animos illi addidit , securasque indicavit vias , quibus manifestam Diaboli eluderet tentationem . Hæc tamen adeo invalescebat in dies , ut tironem aspicere retro , et missionem a Societate coegerit postulare . Noluit petitionem illam exaudire Franciscus : sed partim benevolentia signis , partim contemptu suarum precum , aliisque artibus conatus est perturbatam novitii mentem ad tranquillitatem adducere . Parebat is Idiaquezii monitis , et quamvis optatam inde non traheret pacem , in obeundis tamen publicis et privatis tirocinii muniis nihilo segnior erat , quam antea . Exacto jam biennio , quando sacramentum de more dicturus erat , vehementius institut , ut in paternam domum remitteretur . Sed Franciscus divino potius , quam humano consilio reluctantem induxit juvenem , ut religiosa vota conciperet . Post aliquot demum menses , cum ad Philosophiam mitten-
dus erat , apud Franciscum conquestus est , quod jugum sibi imposuisset , quod portare diffideret , ac tandem cum ignominia excutere pertimesceret . Cui ille : *Ne timeas , inquit ; neque enim longum abibit tempus , cum mihi de his , quæ tecum egi , plurimas persolves gratias : et ipse ad saniorem restitutus mentem , tuam hanc fateberis , et improbabis insaniam .* Hæc Octobri fere medio contigerant : et Joannes ante duos menses Francisci prædictionem cumulate , ac latanter vidit expletam . Nam quo die S. Xaverii festum eodem anno celebribatur , repente mutatus est : et quasi velum ex ejus oculis reduceretur , insidias agnovit Satanæ ; deceptionisque periculum , a quo proxime abfuerat , cum horrore prospexit ; ac divinam erga se laudavit misericordiam . Memor simul eorum , quæ Franciscus sibi dixerat in discessu , sine mora de his omnibus certiorem reddidit , maximasque illi egit gratias pro insigni caritate , et patientia , qua se penitus immerntem sustinuerat . Et quoniam beneficium illud S. Xaverii meritis adscribebat , quem ipse pio cultu venerabatur , statuit ejusdem vestigia premere , profectionemque ad Indos petere , si modo consilium hoc ab eodem Francisco probaretur . Is juveni de felici mutatione plurimum gratulatus , profectionem dissuasit Indicam : non quod eum tanto operi judicaret ineptum ,

tum, cum jam vel in tirocinii velitationibus magnum pro animalium salute zelum ostendisset; sed quoniam Indiam, ut expresse illi ajebat, reperturus intra Hispaniam esset. Et vero Joannes per annos quinque, quos duntaxat deinde vixit, pretiosiores auro, et gemmis Indicis thesauros meritorum invenit in diuturnis, et gravissimis morbis, quos invicta patientia, et invidenda l^exitia pertulit, gratias Deo indesinenter agens pro singulari providentia, qua se in Societate servaverat, simulque laudans cœlestem Idiaquezii prudentiam, cui suam post Deum tribuebat felicitatem. Narravit hæc Joannes ipse fidissimo amico, et condiscipulo suo Josepho Gallardo, a quo eadem ego totidem fere verbis accepi.

Qui prudens, et industrius erat in medendis tironum animis, maternam ostendebat solitudinem, cum iidem corpore infirmarentur. Sæpissime invisebat illos, non modo interdiu, sed intempsa quoque nocte, postquam cæteri discesserant ad dormiendum. Cuidam negotium dederat, ut se moneret protinus, quotiescumque Medicus aveniret: et quæ is decerneret medicamenta, curabat a præfecto Valetudinarii prescribi, ut exacte omnia, tempestiveque adhiberentur. Si periculosior esset morbus, peritiorem aliquem Medicum advocabat aliunde, nullisque parcerat sumptibus, ut ægrotantium consuleret valetudini. Chirurgum quemdam experientissimum, qui legiōnem militum sequebatur, et aliquot inde aberat leucas, in Collegium venire fecit, missis ad Tribunum litteris, ut novitium inviseret, qui gravibus ex tuberculo doloribus angebatur. Unum, aut alterum, cui Medicus nativum cœlum profuturum esse censebat, in patriam suam misit cum Socio, qui curam illius ageret. Vigilabat ipse attentissime, ne quid infirmorum Curatores omitterent, quod posset eorum levamini, recreacionique deservire: iisdemque amplam faciebat potestatem, ut c^epnu, aliisve cellis illa omnia peterent, quæ parando ægrotis delicatiōri cibo necessaria essent, aut opportuna. In Collegiis omnibus, quibus præfuit, eadem usus est vigilantia, ut infirmorum Præfecti suo muneri accuratissime satisfacerent. Inter alios quidam erat diligentissimus, quem tamen Rector aliquando ita coarguit, quasi esset in procurandis ægrorum commoidis negligentior. Contristatus est ille objurgatione Rectoris:

et ad Sacerdotem quemdam ingressus; Nescio, inquit, quid ultra præstare debeam, ut Rectori nostro plati complacem. Tu ipse nosti, noruntque, opinor, alii, omnes officii mei partes quam non oscitanter implere contendam. Et tamen hodie, postquam certiorem illum reddidi de infirmorum statu, deque applicitis unicuique medicinis, vehementer suspicari se dixit, me meo muneri non debite satisfacere. Neque defectum aliquem singularem mihi exprobravit, sed hoc unice objecit: nullam adhuc adversum me querelam delatam ad se fuisse vel a Procuratore Collegii, vel a Coquo, vel Promo: quod ipse tanquam certum negligentia mea interpretatur indicium. Ad hæc Sacerdos ille subridens: Nihil est, ait, quod inde dolere debeas: Rector enim non serio tibi succensuit, sed incitare currentem voluit, et contra difficultates obfirmare validius, quas Procurator, et qui cibariis præsunt, obtendere nonnunquam solent, ne tam prompte, ac liberaliter ea tibi concedant, quæ ab ipsis pro ratione tui muneric debes exigere.

Præter diligentiam, quam adhibebat Rector, et ab aliis adhiberi curabat, ut ægrotantes benignissime tractarentur; superaddebat ipse ferventes ad Deum preces, ut illis valetudinem impetraret. In gravi cujusdam tironis infirmitate frequenter, et instanter iterabat illam Reguli ad Christum deprecationem: *Domine, descend, priusquam moriatur filius meus.* Nec minus orasse credendus est pro cæteris, qui bene valerent, cum ad rectam tirocinii administrationem ea potissimum adhibuerit adjumenta, quæ ab oratione ferventi, et profunda humilitate nascuntur. Inde autem fructum illum percepit, quem ipse, vel nolens, indicavit. Commentarium scripsit, in quo nonnulla pro tirocinii regimine adnotavit, quæ longo usu didicerat: eaque deinde successori suo Juliano Fonsecæ reliquit, quem inter alia his verbis alloquitur, quibus suam cum tironibus agendi rationem summatim videtur expressisse: *Intime persuasum babeas, te prorsus inutilem, et tanquam nihilum esse, ut huic tanto muneri satisficias: imo vero indignum te reputes, cui Deus tot, et tam caros sibi filios commiserit educandos. Experieris autem hoc pacto, Dominum tibi ubera distenta lacte concedere, ut entrias eos cum suavitate, doctrina sancta, et copia diuinarum consolationum, ut illi tecum,*

cum et tu cum illis pariter curras per viam mandatorum suorum, et semitam consiliorum. Quod ipse fecerat, et senserat utilissimum, hoc videlicet alteri velut optimum commendabat. Illam autem doctrinæ sanctæ alimoniam, qua ipse tironum animos enutravit, magna ex parte proposuit in libello quodam edito, cui titulum fecit: *Praxes spirituales ad usum tirocinii Villagarsiensis*. In eo quotidianas percurrentes tironum occupationes, et quæcunque iis peragenda erant certis anni temporibus exercitia, de ratione disserit exequendi singula cum perfectione; propositis plerumque nonnullis Christi Domini actionibus analogis, vel sententiis, ad quas inter operandum respicerent, ac se illis, divina juvante gratia, conformatarent. Multa etiam armorum genera subministrat, variaque subsidia perhibet opportuna, tum ad tentationes Dæmonum superandas, tum etiam ad virtutes, quæ religiosum virum decent, assequendas. Propterea librum illum, quem Auctor pro tironibus tantum ediderat, multi etiam proiectores conquierabant, ut ipsi præclaris ejus monitis uterentur, et alienis quoque profectibus inservirent, cum viderent in eo religiosæ perfectionis medullam contineri. Antequam Galliæ regnum convelleretur, Sacerdos quidam Gallus, qui familiariter Francisco nostro utebatur, prædictum libellum ab eo petiti, ut Gallice redditus et excusus, per sacrarum Coenobia Virginum diberetur, ad pietatis, et perfectionis studium inter easdem promovendum. In eundem libellum cum incidisset alter Sacerdos Italus, qui selecta quædam Hispanorum Opera italice reddidit, et excudit ad hominum mentes solida pietate imbuendas, illum etiam in patriam linguam convertit, cum multam inde sibi promitteret utilitatem.

C A P U T I X.

Collegio præficitur Salmantino.

Jucundam tirocinii sedem non sine dolore reliquit, ut morem gereret Præposito Generali, qui eum Salmanticam adire jussit, ut Collegium illud maximum administraret. Cospio-

piosus ibi etiam erat, et varius Sociorum numerus: Juvenum, qui sacras discebant, aut recolebant literas: Magistrorum, aliquorumque Sacerdotum, qui domi ac foris juvandis omni ope animis incumbebant: et Adjutorum, qui domestica exercebant munia, et Collegii curabant prædia. Franciscus ad omnes pariter vigilanter suæ curam extendit, ut et disciplina vigeret domi, et externorum commodis omni officiorum genere inserviretur. Id autem feliciter urgere potuit, cum Operarios nactus esset strenuos, quibus ipse, quantum graviora negotia sinerent, præibat exemplo suo in confessionibus præsertim excipiendis. Magistris honorem debitum deferebat, neque propterea cum iisdem facile dissimulabat, si quid in eis reprehensione dignum animadverteret: unde quedam ipsorum libere admonuit, ut in scholarum explicatione a quibusdam locutionibus abstineret, quæ teneris auditorum animis aliquam afferre poterant offenditionem. Juvenibus, quorum plerique sub ipso posuerant tirocinium, reverentiam atque obedientiam commendabat erga Magistros, et indefessam in studiis assiduitatem, ut otium in præsentia fugerent, quo nihil juventuti funestius, deindeque alios solide docere possent, quæ diligenter modo didicissent. Sic tamen illos ad studia literarum volebat intentos, ut maiorem ab eis curam exigeret in perfectione vitæ sectanda, et Societatis legibus observandis. Hoc etiam a laicis, cæterisque subditis tanto potiori exigebat jure, quanto diligentior erat ipse in omnibus officiis sui partibus adimplendis.

Hæc domi agebat sedulus, cum literas quasdam accepit, quæ illum extra domum, atque adeo extra urbem prodire coegerunt. Bletissæ, nobili Vetonum oppido, quod Salmantica disjunctum est millibus viginti quatuor, stationem habebat Helvetiorum militum legio. Tribunus legionis hujus literas ad Salmantinum Societatis Rectorem misit, quibus enixe ab eo petebat Sacerdotem peritum linguae Gallicæ, ut gregarium militem Gallum, qui morte plectendus erat, confessione sacra expiaret, et ad locum usque supplicii comitaretur. Rector, acceptis literis, professionem illam voluit ipse suscipere, exhibito in viæ comitem Jeanne Joseph Carrillo, qui etiam sciebat Gallice, et Theologiam eo tempore audiebat. Bletissam ingressus, statim ad reum deducit petiit, qui

vinetus jam erat in ergastulo , unde propediem educendus erat ad necem. Initio comiter illum affatus , dolere se vicem suam ostendit , simulque de qualitate cognovit criminis , propter quod capite damnatus esset . Deinde quædam opportune suggestit , ut sententiam illam non tam ab hominibus , quam a Deo latam existimaret , qui sibi per corruptibilis vitæ jacutaram aditum ad immortalitatem aperiret . Postremo de his eum monuit , quæ præstanda sibi erant , ut confessionem rite institueret , ad quam excipiendam post brevem aliquam moram redditurum se dixit .

His in tenebricosa illa custodia peractis , inde ad Pazen-sium divertit domum , quorum nota ibi erat pietas , et singularis erga Societatem benevolentia . Dum eo pergit , juvenem illum , quem secum Bletissam duxerat , in hunc ferme modum alloquitur : Vehementer incitari me sentio , ut militem istum ab extremo supplicio , quantum me penes fuerit , liberare contendam . Ego quidem neque tribunum , neque alium quempiam ex præfectis militaribus novi , quibus pariter me ignotum esse crediderim . Sed cum adventus noster eos diu latere non possit , factu proclive est , ut ipsorum aliquis ad nos salutandos accedat . Proinde utamur saltem hac vice iis rebus , quas mundus in pretio habet , ut caritatem facilius exercere possimus . Tu ergo , postquam ego intro discessero , illa de me , deque meis fratribus poteris dicere , quæ visa tibi fuerint opportuna . Fortasse hac via miserandum hunc hominem ab imminentि vitæ periculo eripiemus . Inter hæc Pazen-sem intrarunt domum : nec multo post milites venerunt duo , ab ipsorum tribuno missi , ut Salmantinum Patrem inviserent , eique gratias agerent , quod iter illud ad preces suas tam prompte suscepisset . Tunc juvenis , Francisci socius , egregie partes illas sustinuit , quæ sibi fuerant demandatae . Milites humanissime exceptos tantisper sedere jussit , dum ad eos pro-diret Rector , quem intus breve quoddam negotium distinebat . Rogantibus vero , quid nominis haberet Rector ? Hic est , reposuit ille , Pater Franciscus Xaverius Idiaquezius , Grana-tensium Ducum primogenitus filius , et frater præsentis Gra-nare Ducis , qui rebus bene gestis in bello multam apud Regem obtinet gratiam , a quo jam dudum est Legati munere
de-

decoratus : alii etiam ejusdem fratres præclaros occupant in militia gradus . Plura volentem dicere milites interpellarunt : sequentes ad tribunum reverti velle dixerunt , ut de iis , quæ cognoverant , certiore eundem redderent . Ille autem , cum hæc audisset , subito ad Rectorem venit , centurionibus , aliisque legionis suæ præfectis stipatus . Obviam eis processit Rector , atque omnes summa cum humanitate recepit . Post communes inter se habitas salutationes , varia de variis rebus miscuerunt verba , donec tandem , ut pronum erat , de reo militie opportunus incidit sermo .

Hic vero ad tribunum conversus Rector : Fateor equidem , dixit , me in privato legionum vestrarum jure non admodum esse versatum . Sed si vera illa sint , quæ mihi reus coram exposuit , non omnem arbitror implorandæ misericordiæ aditum esse præclusum . Postquam enim vestra deseruit signa ; quod sane gravissimum est crimen , meritaque morte ulciscendum ; in Lusitaniam aufugisse ait , ibique tandem perseverasse , donec de Catholici Regis decreto quodam audivit , quo veniam concedebat transfugis , si modo ante certam diem ad castra reverterentur . Se autem ad dictam diem ideo non rediisse , quod nihil ad aures ejus de hujusmodi decreto pervenerit : sed cum primum de illo cognovit , statim arripuisse viam , ut in legionem , a qua defecerat , sine mora remearet : in eoque reditu , velut transfugii reum , fuisse comprehensum . Si hæc , inquam , verum habent , nonnullum indulgentiæ locum erga reum istum existimo superesse . Etenim bona fides , qua decrevit se ultro sistere , atque in relicta castra regrediebatur , non parum favere illi videtur , ut possit statutæ poenæ remissionem aliquam obtinere . Hoc iterum ingenue fateor , militiæ vestræ leges non bene habere perspectas , nec me quidquam petere , quod iisdem legibus adverseatur . Si tamen , illæso militari jure , aliquis sit gratiæ locus , et irrogata mortis pena in aliam possit commutari mitiorem , id ego enixe deprecor , singularique beneficio me vobis obstrictum reputabo , si vitam huic homini meis precibus concedatis . Tribunus ad hanc Rectoris orationem initio tantisper hæsit . Deinde , collaudata pietate viri , quidquid pro reo adduxerat , ita sibi probari affirmavit , ut libenter postulatis ejus

annueret, nisi aliorum etiam exquirendum esset judicium. Scis enim, addidit, deliberationem hujusmodi ab illorum pendere sententia, qui bellico interesse solent consilio. Tum Rector: Video, inquit, in hanc domum, honorandi mei causa, tot advenisse duces, ut omnes consilii judices, vel plerosque certe hic adesse crediderim: quorum ego clementiam similiter imploro, neque illam a tam generosis viris impetratum me esse diffido. Ad hæc verba consurgunt duces, omnesque una voce tribuni sententiam probant, et reo poenam remitti posse decernunt. Hic Rector amplissimas omnibus persolvit gratias: eosque admonens, ut reo concessam veniam caute, paulatimque indicarent, ne forte repentina opprimeretur lætitia, ipse cum ingenti animi consolatione ab iisdem discessit.

Sed militibus majora his præsttit caritatis officia non diu post ipsius redditum in Collegium. Exarserat Hispanos inter, et Lusitanos bellum, in quo Rex Galliæ auxiliares copias misit Hispanis sub ductu Principis de Bobò. Is Salmanticæ per dies amplius viginti substitit, ut militem ex confecto longo itinere recrearet. Aliis in alia Religiosorum claustra digressis, Franciscus in Collegio suo tria Gallorum millia cum ipsorum ducibus recepit hospitio. Non facile dictu est, quantum eo tempore adlaboraverit, ut hospites illos, antequam in aciem cum hoste conflicturi prodirent, ad stabiliendam cum Deo pacem, et conscientias confessione criminum expurgandas induceret. Affari omnes comiter, et humaniter: modo hos, modo illos de instabilitate vitæ, deque incerta Martis alea commonere: præsentem opportunitatem, qua fortasse nunquam alias redditura esset, tanquam singulare Dei beneficum expōnere: suam denique operam policeri libenter, si quis ad aures ejus pro quærenda animi medicina vellat accedere. Cum hæc ille, aliaque salutis monita opportune inculcaret, et milites nativa ipsorum lingua scite adeo loquentem audirent, facile adducti sunt multi, ut eidem arcana sua manifestarent. Quorum exemplis subinde permoti alii, jam non solum Collegii hospites, sed illi etiam, qui diversa subierant per urbem tecta, Societatis Rectorem frequenter ad exonerandas conscientias perquirebant. Sæpe etiam ad Nosocomium militum

tum vocabatur, ut ægrotantium confessiones audiret, vel decessuris suprema ferret auxilia. Cum vero unus jam impar esset tanto oneri sustinendo, Vallisoleto duos obtinuit Socios, Joannem Baptis tam Iriartem, et Josephum Petiscum, qui Gallice bene noverant, et utilissimo promovendo operi magno illi auxilio fuerunt. Primas tamen laboris ubique ferebat Rector, ad quem milites, præsertim nobiles, magno semper numero concurrebant. In eis insignes animorum conversiones effecit: multosque ad exspuenda venena induxit, quibus eos infecerat Hæresis, falsaque Philosophia, quarum utraque per id tempus nimis jam serpebat in Gallia. Non semel ob eam causam ad sacros récurrerit Judices, ac tandem supremus Quæsitor fidei potestatem ei fecit amplissimam, ut in reconciliandis qui lapsi fuerant, iis tantum cautionibus uteretur, quæ prudenti ejus arbitrio necessariæ viderentur, aut opportunæ. Alii, quos a corruptissimis moribus revocaverat, in poenitentiaz testimonium, magnam ei pestilentium librorum copiam, et peccandi nefanda instrumenta tradiderunt. Hac ille animarum præda latissimus, notitiam sermonis Galici, quo tanquam hamo tam multos e coeno vitiorum extraxerat, inter Dei beneficia grato animo commemorabat: eamque aliquando totius mundi divitiis anteferre se dixit, cum toties sibi usui fuisset ad alienigenarum salutem procurandam. Et enim in quibusunque fere urbibus habitavit, tanto frequenterius ea caritatis exercuit officia, quanto promptiore illum et Superiores, et Parochi reperiebant, ut peregrinos spirituali opere adjuvaret. Salmanticæ vero non solum Gallis, sed Hispanis quoque militibus profuit, quorum multi per id tempus in eadem urbe diversabantur. Nonnulli e primariis ducibus ad expiandas confessione noxas illum adhibere voluerunt: quorum aliqui meditationibus sacris ab eodem fuerunt exerciti: omnesque deinde singulari eum amore, ac præcipua veneratione prosequabantur.

Diurna Gallorum militum in religiosis ædibus communitatio domesticam disciplinam, et tranquillitatem Sociorum nihil interturbavit. Rector enim, conspirantibus cum eo duabus, eorumque Imperatore, prudenter adeo disposuit omnia, ut nulla esset domi perturbatio, atque omnis abesset pro-

procul licentia militaris. A secunda vigilia noctis altissimum ubique silentium observabatur, quod non ante licebat abrum-pere, nisi post peractum sequenti mane primum Sacrum in templo: tunc enim permissum erat militibus, ut ab suo pro-dire possent diversorio. Imperator Gallus, qui prudentem vi-ri suspiciebat industriam, cæterasque virtutes ejus tacitus ob-servaverat, misifice affectus est erga illum. Pro susceptis ve-ro laboribus in copiarum suarum commodum plurimas eidem persolvit gratias, seque beneficii hujus memorem in poste-rum etiam exhibuit. Nam paucis post annis, cum Hispani Socii relegati essent in Corsicam, ille Chauvelino Præfecto, ad eam Insulam proficiscenti, nihil commendavit impensius, quam ut Idiaquezium, insignem olim sui agminis benefac-torem, quibuscumque posset rebus protegeret, et adjuvaret. Nunc vero Salmantica profecturus, infirmorum hospitium ei-dem committere desiderabat: sed ab incepto destitit, cum re-poneret illi Rector, posse inde detrimentum capere annonam Hispani exercitus, cuius pars magna reposita erat in Collegio. Quod sane prudentissimi fuit consilii; nam paulo post, con-tagioso gliscente morbo, multi e Gallis pariter, et Hispanis periculosius ægrotare cœperunt. Tunc Rector, quos domi suæ recipere, suadente prudentia, recusaverat, in valetudina-rio jacentes publico, stimulante caritate, diligenter adjuvit. Ad nosocomia duo, quorum in altero Hispani, in altero æ-grotantes manebant Galli, omnes Collegii Socii per vices suas aderant incunctanter, et quæ cuique ad infirmorum subsidium partes demandarentur, eas singuli adimplebant strenue. Sed stetit non parvo Sociis præclarum hoc caritatis officium. Non-nulli cum Rectore ipso, qui plus cæteris laborabat, graviter ægrotarunt. Hunc Deus ad graviora certamina reservavit: quos-dam alios, et inter eos eximis indolis juvenem Stephanum Zaldum, qui Diaconatum attigerat, sibi pigneratum est cœ-lum. Talis denique fuit Sociorum in subveniendis militibus diligentia, ut Minister æratii regii Marchio Scylacæus ad Re-ctorem scripserit, quam exhibuerat erga milites beneficen-tiam, Regi notam, et gratam esse, cuius proinde nomine gratias eidem agebat cumulatissimas.

Dum ille in juvandis militaribus copiis tam strenuam po-ne-

nebat operam , nullam erga domesticos curam prætermittebat, ut ad privata munera , et communia Societatis ministeria singulari pro conditione sua diligenter incumberent . Sed in tractandis animarum causis, sicut indefessam ab unoquoque requirebat industriam, sic etiam a quavis vel offensionis, vel novitatis specie abesse omnes desiderabat, neque in eo facile connivebat, quod minus ad prudentiæ leges exactum deprehendisset. Antequam ad eam veniret urbem, audierat de pia quadam femina Salmanticensi, cuius erat apud quosdam opinio sanctitatis eximia; aliis longe aliter opinantibus, ac fumum tandem ex fulgore daturam pertimescentibus. Dirigebat eam hoc tempore quidam Societatis Sacerdos, minime quidem levus, neque destitutus ingenii dotibus, quarum nobile specimen dederat, vulgatis prælo libris, qui cum laude legebantur, et fructu: sed idem aliquanto credulus, et qui pro suo candore animi non facile in aliis fraudem suspicaretur. Is Vitam devotæ feminæ scribere aggressus, multas jam illeverat paginas, cum eo Franciscus advenit, qui rem illam seria discussione dignam existimavit. Vocatum ad se Socium, de ratione primum interrogat, quam haberet in ea femina dirigen- da: deinde, quam adornabat historiam, afferri sibi jubet, ut eam ad trutinam revocaret. Paruit ille incunctanter, cum omnino esset ad religiosæ vitæ leges exactus. Rector spissum illud opus evolvit, in quo longissima erat visionum series, multaque divinitus revelata, quæ multa etiam indigebant sponsa, nec facile poterant sine discrimine divulgari. Quædam obiter notavit ipse, quæ inter alia sibi maxime displicebant: eaque deinde cum scripto libro discutienda tradidit duobus Collegii Patribus, quorum nota erat sagacitas, et scientia . Cum imperata illi fecissent, eorum animadversionibus alias adjunxit Rector, easque ad Provinciale misit, cuius interposita auctoritate, Sacerdotem illum et a persequenda historia, et a regenda conscientia feminæ prorsus inhibuit. Quæ non ideo dicta sunt, ut feminæ, de cujus exitu non liquet nobis, detractum velimus quidquam; sed ut Rectoris providentiam vigilem ostendamus, ne quisquam suorum in devia, et periculis obnoxia declinaret. Sacerdos autem ille, de quo loquimur, Superiorum jussa prompte, submisque explevit,

neque de femina deinceps, neque de hujus interrupta historia ullum unquam auditus fuit inferre sermonem: quod non vulgare est solidæ virtutis argumentum.

In temporariis Collegii rebus vix quidquam Rector reformatioне dignum invenit. Nam et fabrica, quam Philippus Rex III ad carissimæ conjugis Margaritæ Austriacæ supremas preces erexerat, perpetuoque dotaverat censu, omnibus erat absoluta numeris, et in domesticis apothecis illa suppetebant abunde, quæ pro Sociorum usibus requirebantur, seu bene valerent ipsi, sive contra valetudine uterentur adversa. Circa illa tamen, unde annui proveniebant reditus, quiddam immutandum censuit, quod sibi minime probabatur. Habebat inter alia Collegium illud numerosum taurorum gregem, qui pascebantur ad Villam, cujus opportuna erant pascua id genus armentis, quæ certis deinde temporibus divendebantur. Sed ferociores illæ bestiæ non raro viatoribus terrorem, et periculum inferebant: sæpe etiam in vicinos agros, delusa pastorum solertia, cum strage satorum, ac messium dilabebantur: et quanquam id semper pro damni æstimatione resarciebatur, querelis tamen occasionem dabat, et offenditionibus vicinorum. Ut his penitus occurreret incommodis, cogitavit Rector de universo taurorum armento divendendo. Non pauca opponebant illi, quibus demandata erat rei familiaris administratio: nec deerant aliqui graviores viri, qui Rectorem ab eo consilio removere contenderent. Ipse vero, postquam attente omnia perpenderat, tandem Superiorum consensu, atque approbatione munitus, et tauros, et pascua vendidit: reductamque inde pecuniam alibi collocavit, unde pares, aut majores etiam proventus sine aliorum offenditione poterat sperare.

C A P U T X.

Provincia Castellana primum illi decernitur.

Præsagus quodammodo haberi posset Germanus ille Socius, qui Romæ olim in Electorum consessu dixerat, ut Francis-

ciscus noiter, quoniam delatum sibi Assistentis munus tanta contentione recusabat, fieret semel, et iterum Provincialis. Bis enim prefecturam Provinciarum gessit, quamvis ille ne semel quidem eam exercere voluisse. Nunc igitur, postquam Salmantinum Collegium vicenos fere menses administraverat, in eunte anno 1764, jussus est Provinciam suscipere gubernandam. Hoc illi dolorem attulit acerbissimum, et cum ad eum multi gratulandi causa convenissent, mirari satis non poterant incredibilem hominis commotionem, qui delatum sibi honorem tanquam gravissimum infortunium deplorabat: unde aliqui ab eo digressi, continere se non poterant, quin ad tantæ humilitatis exemplum exclamarent: *Vere sanctus est homo iste.* Dolenti ergo, et afflito animo suscepit iter ad Vallisoletanum Collegium S. Ignatii, quæ solita erat provinciarum Praepositis commoratio. In eo itinere, cum venisset ad torrentem, qui Guarenna nomen habet, ancipites habebant comites, præstaretne referre pedem, anne trahicere torrentem, qui tumidus, et rapidus eo tempore præterfluebat: et cum saepe Franciscum sententiam rogassent suam, hoc tantum ab eo elicere potuerunt responsum: *Non magni profecto interest, si mediis ego submergar aquis.* Adeo illi collata dignitas displacebat, ut morti potius, quam eidem subjacere voluisse. Sed cum nulla jam declinandi honoris superesset via, constanter induxit animum ad annexa illi onera sustinenda. Hoc enim peculiare fuit ei semper, ut quanto ægrius munera susciperet honorifica, tanto deinde acrius contenderet, atque omnes nobilissimi animi dotes expromeret, ad ea pro virili parte adimplenda.

Cum primum Vallisoletum venit, ut melius de Provinciarum rebus cognosceret, longas cum senioribus illis consultationes habuit, qui designati erant, ut eorum consiliis in Sociorum regimine adjuvaretur. Appetente deinde vere, profectus est incunctanter ad Provinciarum domicilia recognoscenda. In his profectionibus, quibus dabat maximam anni partem, hunc fere tenebat agendi morem. Multo surgebat mane, ut Sacrum mature faceret, quod vix unquam prætermisit, superatis vesperi difficultatibus, quæ non raro in tanta locorum varietate occurrabant. Quotidie itineraryum Clericorum, ante-

quam domo exiret, cum Socio recitabat. Viam ingressus, Mariæ Virginis opem Lauretana deprecatione implorabat, Angelorum item, et Sanctorum Societatis auxilium singularibus precibus deposcebat. Post hæc horam circiter dabat meditationi cœlestium, deindeque Psalmodiæ partem aliquam exsolubebat. Si tempus, et locus sineret, Socium auscultabat, qui frequenter inter eundum legebat aliquem librum; vel cum eo de Collegii tractabat rebus, in quod habebat iter, aut de his etiam, quæ ad totius Provinciæ regimen spectarent. Ante meridiem conscientiam diligenti examine discutiebat, quod noctu pariter, antequam iret cubitum, iterabat. In diversoriis, dum se occasio ferret, solitus erat pueros de mysteriis fidei, et christianæ doctrinæ rudimentis interrogare: neque unquam alienum a se duxit, inter gravissima negotia in eam descendere puerorum institutionem. Post meridiem, cum Vespertinas solvisset preces, denuo arripiebat iter, in quo similem observabat procedendi modum. Vergente autem in occasum Sole, recitabat cum Socio Rosarium B. Virginis: et cum venisset in locum, ubi pernoctandum erat, Matutinum officium pro insequenti die dicebat, et lectioni vacabat spirituali. In spatiosis Castellæ, ac Legionis campis faciliores erant hujusmodi profectiones, quoque demum tempore suscipiuntur. Sed cum ad Cantabros, et Gallaicos, ad Astures, et Pæsicos iturus erat, non leves ei sustinendi labores fuerunt; vel propter hospitiorum incommoda, in quibus aliquando lectus illi ad dormiendum defuit; vel propter salebrosos viarum anfractus, et frequentes cœli injurias, quibus erat inter equitandum facile obnoxius. Non ideo indictum differebat iter, aut intermittebat incepturn, quamvis ipse non raro contractis ab equitatione plagis miserabiliter cruciaretur: habebat enim tenuissimam cutem, quæ diurnæ vectationis attritu sëpe illi discindebatur. Cum angustam aliquando vallem sub acenti Sole pertransiret, auditus fuit ex abrupto dicere: *Subit animam inexplicabilis afflictio Domini, aum affixus Cruci, nullum doloribus invenire poterat levamentum.* Quæ verba ideo protulisse credebant socii, ut ipse ardorem astuantis aeris, et pungentes plagatum morsus, quos mulae impositus nullo modo poterat mitigare, proposita Christi nece, patien-

ti

ti animo sustineret. Ac multum quidem ex tam sublimi proficiebat exemplo, cum inter graves itineris molestias hilaris semper, et festivus incederet, ut viꝝ comites incitaret ad easdem æquanimiter perferendas.

Postquam venerat in Collegium aliquod, adorata primum suppliciter Eucharistia, complexisque amantissime omnibus ad unum Sociis, ad salutandum Episcopum, si quidem in ea urbe degeret, sine cunctatione prodibat. Deinde, cum Adjutori qui eum comitabatur, discussionem commisisset librorum, quibus accepti et expensi rationes continebantur; ipse in his totus versabatur, quæ ad domesticam disciplinam, et subditorum spirituale bonum pertinebant. Singulos Sacerdotum, a Superiore incipiens, in eorum cubiculis alloquebatur: Fratres ad se vocabat: unumquemque juxta ea, quæ ab ipso audiret, vel aliunde cognovisset, opportune instruebat, monebat, corrigebat, adhortabatur: omnes ad renovationem in spiritu, et perfectionis studium excitabat. Quæ omnia tam suaviter, et benigniter efficiebat, ut Parentis potius, quam Superioris personam sustinere videretur. Collegiorum Rectoribus solitus erat inculcare, S. Ignatio gratissimum effecturos, si Magistros benebole haberent, quo libentius, et alacrius suo muneri satisfacerent. Id erga illos maxime commendabat, qui laboriosam docendæ Grammaticæ suscepserant occupationem. In his aliqui erant, qui vel sponte sua, vel hortatu Provincialis inducti, quamvis idonei ad majora essent, se totos in tam utile opus impendere constituerant. Hos semper in honore habuit, et intra religiosæ moderationis fines præcipua studuit liberalitate fovere. Cum enim tanti ad Dei obsequium et Reipub. utilitatem intersit, pueros humanioribus literis, et optimis moribus informari; qui se huic exercitacioni perpetuo addixerant, singulari aliquo præmio munerandos esse judicabat.

In tradendis severioribus disciplinis probare non poterat nimiam quorumdam Theologiæ Doctorum prolixitatem, qui nonnunquam in eadem versanda materia biennium integrum consumebant. Ex quo fieri necesse erat, ut ipsorum discipuli per quadriennii spatum modicam admodum Theologicarum rerum notitiam compararent. Ad eam præcidendam immoder-

rationem, Theologiz Professoribus injunxit, ne quis ultra annum excurreret in eodem tractatu prælegendō: atque ut firmius in posterum ab omnibus servaretur, idem deinde fecit a Preposito Generali confirmari. Quod si per adversa licuisse tempora, optime de his meruisset omnibus, qui deinceps ad theologica studia suam conferre operam decrevissent. Utissimum movebat opus, quod Magistris pariter, atque auditoribus ad sacras docendas, discendasve literas faciliorem aditum aperuisse. Virum designaverat in theologicis bene versatum, ingenio item, ac prudentia præditum, ut delectu habito inter scripta Magistrorum veterum Societatis, quorum fuerat nomen in Academiis Salmanticensi, et Pintiana celeberrimum, potiora quæque redigeret in convenientem facultati ordinem, juxta methodum D. Thomæ, completamque Theologiz summam quatuor mediocribus tomis complecteretur. Ex iis primus tantum prodierat in lucem, quando Socii missi sunt in exilium: et approbatio, quam apud multos obtinuit, vehementius dolorem auxit, quod tam utile opus perfici non potuisset.

Optabat etiam Franciscus, ut in Philosophia, detractis nonnullis, quæ parum utilia, vel minus certe necessaria credebantur, alia quædam subrogarentur ad præsentem philosophandi morem accommodata. Cum enim inter eos, qui Lyceum in Societate frequentabant, non omnes inde gradum facerent ad Theologiam, sed longe aliam studiorum rationem sequi meditarentur; pro his quidem opportunum, ac fere necessarium existimabat, aliquam in Philosophia mutationem facere, et amoeniores quasdam eidem superaddere tractationes. Eo fine nonnullos Societatis Auctores, qui paucis ante annis philosophica scripserant, et cum laude recepti fuerant, Romasibi mitti curavit, ut eorum inhærendo vestigiis, novus aliquis in Hispania Philosophiz cursus institueretur, qui esset et loco, et tempori maxime accommodatus. Id ille pro virili urgere non destitit; sed iniqua, quæ supervenerunt, tempora præclaris conatibus ejus obstiterunt. Sic tamen novum Philosophiz nitorem addere cogitabat, ut fundamenta, quibus ad eam usque diem innixa perpetuo fuerat, immota relinquenterentur. Nam vel in physicis, quæ innovanda præsertim erant, nihil a principio

cipiis Aristotelicis recedendum esse censebat; cum iisdem minime adversaretur major quidam ornatus eruditionis ad insigniora naturæ arcana illustranda; et aliunde principia illa in Societatis Constitutionibus, et decretis magnopere commendarentur. Hęc eadem opportuniora reputabat ipse ad Catholicæ religionis dogmata propugnanda: seque illud observasse ajebat, ex impiorum numero, qui nostrum hoc seculum probrosis inundarunt scriptis, plerosque aut ex Mathematicis produisse, qui falcem in alienam miserunt messem, aut ex Philosophis Peripateticæ sectæ adversariis, aut ex Theologis deinde, qui Theologiam Scholasticam, eidem sectæ addictam, aspernarentur.

Non eadem a Mathematicis timebat incommoda, qui suos intra fines continerentur: eorumque nobilissimas disciplinas et commendabat ipse quam plurimum, et easdem in Provincia sua, non sine fructu, conatus est instaurare. Confugerant ad Hispaniam eo tempore non pauci ex Gallia Socii, qui Senatorum illius regni decretis in alias migrare sedes compulsi fuerant. Horum plerique intra Castellanæ Provinciæ fines, cui tum Franciscus præterat, considerunt: et is occasione utendum ratus, Petrum de Lacaze, qui Tolosæ Mathematicam explicabat, Salmanticam misit, ut eam ibidem traderet. Sub ejus disciplina nonnulli Societatis juvenes studia illa ita percepérunt, ut ab eis deinde in Italia, quo tandem relegati fuerunt, plures alii didicerint. In his fuit Franciscus Azpurus, qui paucis abhinc annis a Serenissimo Parmensi Duce Placentiam cum aliis ad erudiendam juventutem evocatus, Mathematicam ibi publice profitetur, eamque magna civium acclamatio ne, dum hęc scribimus, coram discipulis quinquaginta quatuor exponit.

Circa reliqua Societatis ministeria parem Xaverius noster diligentiam adhibuit, ut ea magistratus sui tempore promoveret. Ad augendam eloquentiæ sacræ dignitatem quosdam huic idoneos muneri designavit ex eorum numero, qui triennium in docenda posuerant Philosophia, cum antea soliti essent ad iterandum denuo cursum destinari. Nonnullos etiam Theologiz Professores hortatus est, ut gymnasii Cathedram cum templi suggestu commutarent. Et quamquam hoc aliquis mi-

nus libenter audiit, hortantique Præposito non ea, qua par esset, submissione respondit; is tamen cogere reluctantem noluit, cum ab invitis vix quidquam boni crederet sperandum. Illorum vero industriam, qui templis addicti erant, ut poenitentium confessiones audirent, vel solo exemplo suo ex-
acuebat. Quoties iter lustrandæ Provinciæ causa susciperet, missis ad Episcopos literis, quorum in dicecesibus degebant Socii, de profectione sua singulos admonebat, promptumque ad ipsorum imperia pollicitus obsequium, facultatem insuper excipiendi confessiones (nisi jam alias obtinuisse) et sibi, et qui ei a secretis aderat, postulabat. Neque otiosa potes-
tas erat, quam illi amplissimam deferebant Antistites. Cum enim in Collegium aliquod devenisset, ad sacram Pœnitentia-
sellam et prompte accedebat, et constanter in eadem perse-
verabat. Non ideo tamen inter multiplices officii sui partes aut præteribat aliquam, aut perfunctorie tantum exequebatur. Sedulo inspiciebat omnia, deque præsenti rerum omnium sta-
tu, de Collegiorum redditibus, de creditis, ac debitibus per se ipse agnoscebat attente, ac siquid emendandum esset, pru-
denti consilio decernebat. His adde multorum civium saluta-
tiones, quæ solito frequentiores erant et propter excelsam sui generis conditionem, et propter publicam doctrinæ, ac virtutis famam. Sed hæc ipsa humanitatis officia in aliquam vertebat Collegiorum utilitatem, vel augendo amicorum numero, vel iis denuo reconciliandis, qui falsis rumoribus, aut alia quavis de causa fuerant abalienati. Aliquando Præsulem, quem im-
prudenter Rector quidam offenderat, insigni edito demissionis exemplo, veniamque humi prostratus implorans, ad benevölen-
tiā pristinam revocavit.

In statuendis ordinationibus parcus erat, et maxime cir-
cumspectus. Quæcunque autem in commune præcepturus es-
set, ea simplicibus verbis, valdeque perspicuis edicebat, ne-
que ullam præcipiendi formulam usurpabat, quæ aliquam af-
ferre posset offenditionem. Siquid autem vitiosum in privatis a-
gnosceret, quod ad omnem Sociorum cœtum minime perti-
neret, id plerumque non publice, sed remotis arbitris coar-
guebat: et cum persuadendi, flectendique animos vim habe-
ret incomparabilem, privatam hujusmodi correptionem opta-
tus

tus emendationis fructus consequebatur. Errata vero illa, quæ in aliorum oculos incidissent, in eorum quidem conspectu, ne latius serperent, corrigebat, sed adhibita etiam tum convenienti moderatione. Cum jam a Collegio quodam abiturus esset, Sociique omnes præcedenti nocte ad recipiendam Indulgentiam convenienter, quam Provinciales, absoluta visitatione, impertiri solebant; quemdam illorum severa reprehensione corripuit propter iteratos in eadem culpa lapsus, quibus fastidium aliis crebat, et offenditionem. Sed antequam objurgare illum inciperet, excedere de loco jussit et Sacerdotem, quem a secretis habebat, et laicum, qui utrumque comitabatur, ut ruborem minueret reo, qui reprehensione illa omnino resipuit, impensiusque deinde Præpositum amare perrexit. Idemque universim in cæteris domibus eveniebat, ut Socii omnes vehementius erga illum afficerentur, cuius prudentiam, et caritatem experti publice fuerant, et privatim. Ipse autem, postquam aliquem Provinciaz tractum obierat, Vallisoletum regrediebatur, non ut labori parceret, sed ut alias officii sui partes expleret. Ibi enim cum designatis Consiliariis de negotiis occurrentibus conferebat, ac de his ad Generalem Præpositum referens, acceptisque ab eo responsis, diversos Sociorum gradus, variasque illorum occupationes aptissima dispositione ordinabat. Hæc sane communia Francisco fuerunt cum cæteris decessoribus, qui Provinciam administraverant, neque illa penitus amplitudinem animi ejus manifestassent, nisi alia prorsus insolita, quæ seorsum exponenda sunt, occurri sent.

C A P U T X I.

*Quid egerit, exortis in Societatem gravissimis
tempestatibus.*

Adoranda semper æterni Numinis providentia, cum Societatem Jesu decrevisset extremis laboribus exercere, infabili etiam benignitate disposuit, ut in eadem multi essent præstantes virtute, ac prudentia viri, quorum exemplis, adhortationibus, et consiliis imbecilliores alii ad sustinendum erigerentur.

gerentur; alii vero in magnis vita angustiis per solicitam eorumdem caritatem opportunum reperirent auxilium. Inter eos haud postremum obtinuit locum Franciscus Xaverius Idiaquezius, quem Deus ad calamitosa illa tempora reservavit, ut exemplo, et solatio esset non modo suæ Provinciae Sociis, sed aliis etiam quam plurimis, qui procellis inhorrescentibus, suisque repente convulsi sedibus, tandem ejecti sunt in exilium. Id ego modo aliqua ostendam ex parte, quanquam evidenter hoc idem posteris apparebit, quando conversa conditio ne temporum, alia multa dignoscere poterunt, quæ in praesentia palam divulgare non licet.

Primi contra Societatem impetus facti sunt in Lusitanis, ubi multi Sociorum in tetrica detrusi fuerunt ergastula, quorum aliqua denuo Carvallius construxit, quæ mortuorum potius sepultra, quam vivorum habitacula videbantur. Ceteri longissimam, et asperpinam intra Collegia passi sunt obsecionem, in qua non pauci egestate consumpti fuissent, nisi eos aliorum pietas vel cum proprio discrimine sublevasset. Franciscus eo tempore tirocinium regebat Villagatsiense: cognitaque suorum fratum calamitate, adeo fuit diligens, et industrius, ut in eorum subsidium termille quingentos aureos, hinc inde collectos, intra Ulyssiponensem Professorum domum fecerit importari, superatis feliciter difficultatibus, quæ minus solerter virum, ac suorum non æque amantem deterruissent. Cum deinde plerique Lusitanorum, post diuturnam ac durissimam in suis dominibus inclusionem, relegati sunt in Italiæ, pari eos amore complexus est, parique beneficentia prosecutus. Corrogata enim stipe inter propinquos, et amicos, non semel illorum sublevavit inopiam, quibus nulla fuerat pensio ad sustentationem vita attributa. Juvenibus autem, qui, spretis Carvallii terroribus, et promissis, invictum animi robur pro retinenda veste Societatis ostenderant; postquam Romanum adventasse cognovit, epistolam cultissimis scriptam legis misit, in qua illorum collaudata constantia, ad eandem inviolabili fide servandam adhortabatur. Huic epistolæ, quæ multum inter Romanos plausum obtinuit, pari stilo juventur Lusitana rescripsit, maximasque Francisco egit gratias et pro saluberrimis ejus monitis, et pro singulari erga omnes exhibi-

bita beneficentia. Hanc ille per in sequentes annos , dum trans quillæ res in Hispania fuerunt , exercere non intermisit , quamquam brevi post tempore caritatem suam in alios etiam extendit .

Expulsis e Lusitania Sociis , cum Carvallius , ad invidiam tam insoliti facinoris imminuendam , famosis Europam libellis inundasset , in quibus ea recudi fecerat , quæ duobus retro seculis malitiose contra Societatem conficta fuerant ab Hæreticis , et malevolis ; non pauci ansam inde arripuerunt , ad illam variis in locis , novisque calumniis exagitandam . In Gallia Senatus Parisiensis , multique alii , Societatis Institutum , quod ne Carvallius quidem improbare ausus fuerat , perniciosum , et impium declararunt , Sociosque ad illud ejurandum , et obedientiam Præposito Generali denegandam , vel , si secus facerent , ad emigrandum ex Gallia coegerunt . His Senatorum decretis cum in varias Socii regiones discessissent , sexaginta circiter in Guipuzcoam , et Navarram advenerunt anno 1764 , quo Idiaquezius tempore præfecturam gerebat Provinciæ Castellanæ . Scripsit ille continuo ad Collegiorum Rectores , ut benigne advenientes Gallos reciperen t , eisque in omnibus , quæ opus essent , perinde atque aliis adessent subditis . Et quoniam inter Superiores inveniri aliquis poterat , qui novum illud onus propter facultatum angustias parum libenter , gene roseque sustineret ; vehementi omnes adhortatione incitabat , ut divinæ fiderent providentiaz , cui suam ipse operam diligenter esse adjuncturum spondebat . Id quidem strenue præstitit , ut postmodum demonstrabo , si prius ea paucis attingam , quæ , ad extricandam graviorem aliam difficultatem , effecit . Dubius et incertus erat , quid Aula sentiret de Gallorum in Hispaniam ingressu , et concessum illis hospitium in quam demum partem acciperet . Ut hoc penitus exploraret , literas misit ad P. Stephanum Bramierum , qui erat a confessionibus Elisabethæ Farnesiæ Reginæ Viduæ , Caroli III Matris . Fecit accurate Bramierius quæcunque a Francisco rogatus fuerat : et cum de iis omnibus , quæ sollicitum illum habebant , Reginam allocutus esset , eisdem jussu his fere verbis scripsit : „ Notum Regi esse Gallorum adventum , notamque Francisci caritatem , „ qua illos in Sociorum tectis curaverat excipiendo s . Proin Lib. II. m m „ de-

,, deque tranquillus esset, nec porro pergere dubitaret, dum „ Rex aliud non statuisset ., Hoc habitu responso, resedit Francisci timor. Et quanquam denuo illum incessit, cum paulo post regii Procurator fisci de Gallis in Hispania receptis ad Castellæ Senatum retulit, longamque ibidem orationem habuit ad eorum receptum improbandum; id tamen non diu Franciscum solicitavit. Etenim eodem fere tempore agnovit, gravissimum illum Senatum exercitam in peregrinos hospitalitatem ex Evangelii lege probasse, suisque confirmasse sententiis. Rex quidem nihil tum contra Gallos statuit, neque unquam Francisci nostri, cuius virtutes noverat, ac suspiciebat, operandi rationem improbavit.

Is ab ea jam graviore cura expeditus, ad alteram de procurando Gallis victu, quam ipse pro firmissima in Deum fiducia minimam omnium appellabat, cogitationes et industrias omnem convertit. Ac primum, superato rubore, quem natura omnibus, sed excelsis praesertim viris infudit, ad petendam elemosynam sese sponte demisit. Brevem quandam scripsit epistolam, cuius exemplum cum Salmanticam ad Collegium Conchense pervenisset, nobiles illi Collegæ tenere se non potuerunt, quin invicem exclamarent: *Deus bone! quanta hic, et quam sincera resplendet humilitas!* Quædam ejusdem exempla, manu sua subscripta, misit Franciscus ad Episcopos sibi notos, aliasque dignitate, vel genere conspicuos viros, a quibus, exposita sine furo præserti necessitate, simpliciter elemosynam propter amorem Dei precabantur. Hanc vero flexaniam deprecationem nemo fuit, qui rejiceret. Subsidium, quod in praesentia poterant, alii e vestigio sunt elargiti, alii vero etiam in posterum datus esse promiserunt. Nonnulli, ut Compostellanus Pontifex, et Ovetensis, quotquot Gallos in eorum dioeceses Franciscus mitteret, suis expensis alere receperunt. Sed Galli tam procul a patriis finibus, quos revisere propediem sperabant, vix adduci poterant, ut recederent, unusque tantummodo Compostellam proficiisci voluit. Pompelonem venerunt multi, ibique Prior Lubianus, cuius alibi mentionem fecimus, unciales argenteos septuaginta quinque (nec plures effusa ejus in pauperes liberalitas reliquos sibi fecerat) Recatori tradidit Societatis, ut Gallis hospitium disponeret aduenturis.

turis. Deinde vero, cum parem donasset sumnam, hoc addidit, quod nullo vel argento, vel auro rependi potest. *Quoscumque*, Rectori dixit, *advenientes exules Collegium vestrum non capiat, ne dubites al me mittere: ego enim illos domi mee recipiam, ego illos alam, et familiam meam, si opus fuerit, in alienas dimittam domos.* Quo facto vir prætantissimus eminenti sapientiae sue caritatem supparem esse demonstravit. His autem piorum hominum largitionibus Gallorum necessitatibus abunde subvenire Franciscus potuit: et cum deinde permissum iisdem fuisse a Ludovico XV, ut in Galliam, non quidem ad Collegia Societatis, a quibus pridem extrusi fuerant, sed ad privatas domos redire possent, si vellent (voluerunt autem plerique) quinquagenos philipeos numos singulis in viaticum impertivit.

Interea tamen dum incertus erat Gallorum ad patriam reditus, neque omnino, quantum augendæ forent impense, poterat definiri; ne benevolis importunior esset, alias etiam Franciscus initivias, ut illorum sustentationi sine alieno gravamine provideret. In primis nonnullos Provinciarum Socios, qui Pompe lone, Lojolaque degebant, ad alia jussit Collegia profici, ut hospitibus locum suum cederent. Suborta deinde inter Gallos dubitatione circa privilegii cuiusdam usum, quod sublevandas præsentis inopiae causa concessum iisdem fuerat, nihil prætermisit, ut omnem dubitationis æstum ex justitiae legibus componeret, ac prudentiae. Omnibus Galliæ Sociis, cum propriis ejecti essent ædibus, permiserat Clemens XIII, ut expulsionis illius tempore, non obstantibus Societas Constitutionibus, stipendia possent accipere pro Missarum celebratione. Nunc vero, cum intra Collegia Societatis recepti fuissent, in eisque propter Hispanorum caritatem egregiam de religioso victu sufficienter sibi provideretur, dubitare coepерunt aliqui, possentne diutius concessionē illa uti Pontificia. Super his Idiaquezii sententiam exquirebant, qui noluit arbitrio suo decernere controversiam: sed Romam scripsit, expositis et Gallorum dubitandi rationibus, et eleemosynis, quas ipse pro illorum subsidio acceperat, et in posterum sperabat. Rescriptum est ab Urbe, Pontificem Maximum, quam prius potestatem Gallis fecerat recipiendi pro Missis stipendia, ean-

dem confirmare denuo , etiamsi alias undeliberet haberent eleemosynas . Tunc Idiaquezius , ut erat fœcundo ad aliorum procuranda commoda ingenio , novam augendæ in Gallos liberalitatis rationem invenit . Adhibitis in consilium præstantioribus Theologis , quæsivit ab eis , liceretne Hispanæ Sociis , qui nullam , ut Galli , solutionem legis habebant , Sacrum facere pro adimplenda Sacerdotum aliorum obligatione , relicto his in integrum stipendio ? Quod cum omnes licitum esse affirmassent , certam pecunia summam , quam Galli pro celebrandis Missis in discessu suo ab amicis acceperant , iisdem habendum permisit , et Missarum onera inter quosdam Provinciæ Socios distribuit , ut expeditiores essent Galli ad alia stipendia recipienda . Præterea nonnullis aperuit viam , ut in privatis quorundam domibus decentissime vitam degerent , honestis occupationibus dediti . Quidam enim ex Optimatibus rogarunt Franciscum , ut Sacerdotem aliquem Gallum ad se mitteret , qui liberorum incumbere posset educationi , vel Capellani munus exercere . Quorum precibus in ea rerum , ac temporum difficultate facilius annuendum censuit : habitoque inter Gallos delectu , quosdam apud Duces Granatæ ad Egam , Uzedæ , ac Montisplani collocavit , alios apud Marchiones de Valmediano , et S. Joannis , aliosque apud Comites Cervellionis , et Petrifloridæ .

Postquam exulibus de habitatione , et victu tam decenter accommodaverat , de his etiam diligenter statuit , quæ religiosæ congruerent disciplinæ . Venerant Galli omnes communis Clericorum habitu induuti , quem jam tum assumere coacti fuerant , cum ex decreto Senatus Gallici jussi sunt Collegia deserere , privatisque in ædibus habitare . Aequum erat , ut qui jam inter Hispanos recepti erant Socios , sicut iisdem vivebant legibus , paribus etiam vestibus uterentur . Neque id diu cunctati sunt facere , qui Sebastianopolim appulerunt : partim exemplo inducti Provincialis Aquitanæ , qui cum eis venerat , et ut promptus erat semper ad obeunda omnia religionis munera , ita etiam fuit primus ad Societatis vestem induendam : partim adjuti liberalitate , atque industria Joannis Alustizz , impigri , strenuique in paucis viri , qui Collegio illi præterat , et nullum caritatis officium prætermisit , ut venientibus ad se Gallos , juxta Idiaquezii desiderium , humanissime haberet . Inter

ter eos, qui venerant Pompelonem, quidam inopiam, alii timorem obtendebant, ne Christianissimum Regem offenderent, assumpta modo veste, quam exuere jussi fuerant in Gallia, indeque pensionem amitterent, quam Rex nonnullis eorum assignaverat. Sed eos tandem Franciscus induxit, ut, omni diffidentia, timoreque deposito, religiosas induerent vestes, quas aliis donavit ipse, aliis Episcopus Pompelonensis Gaspar de Miranda, qui multam exhibuit adversus exules beneficentiam. Ut alia quædam decerneret disciplinæ capita, quæ Gallicis observanda erant, dum inter Hispanos immorarentur, regaverat Carolum Nectusium Aquitaniæ Præpositum, ut Villagarsiam usque procederet, quo ipse profecturus erat lustrandi tirocinii causa: sed impeditus valetudine Nectusius eo misit, qui vicem suam gereret, Patrem Dulimbertum, cuius erat perspecta virtus integritas, et prudentia. Cum eo Franciscus consultationes multas habuit, ac tandem communis consilio statuerunt, quæ ad rectam Collegiorum, in quibus manebant Galli, disciplinam, et œconomiam spectabant. Statuta illa, typis edita Villagarsiensibus, communicata cum Gallis fuerunt, qui ea probarunt valde, opusque prudentia plenum denominabant. Omnia etiam probata sunt Romæ, atque is maxime articulus, in quo Gallorum regimen ex jure Societatis adjudicatum fuit Idiaquezio.

C A P U T X I I .

*De his, quæ fecit, cum Societas in Hispania
incepta est perturbari.*

Non pauca per Hispaniam eodem fere tempore aliqui moriebantur, quæ viam gravioribus sternebant malis, et indicendi post paulo Sociis præludia fuerunt exilii. Multi contra Societatem libri ex Gallia, Lusitanique advecti, per varias Regni partes spargebantur, qui deterendæ Sociorum famæ, conflandæque illis invidiæ fuerant editi. Et quamvis corruptæ illæ merces clanculum importarentur, aut jam olim ab incorruptis morum Censoribus proscriptæ fuissent; tamen ut natu-

naturæ quodam vitio nitimus in vetitum, non deerant, qui avide illas conquirerent, et quovis pretio compararent. Inter alios Pompe lone venalis prostrabat liber, quem *anonymus Author* inscribere non erubuit *Annales Jesuitarum*, cum potius Declamatio esset in Jesuitas fere perpetua, falsis quibusdam narratiunculis interpolata. Ibi enim congesta erant, quæ olim Carolus Molinæus, et Stephanus Pasquierus, aliique Societatis adversarii contra illam, ne pedem in Gallia figeret, objecerunt. Molinæus, quam suscepserat, Parisiensis Academæ defensionem, inde orsus est, quod Jesuitæ novam quamdam Religionem inducerent contra canones Conciliorum, quibus vetitum erat novam ullam Religionem erigere. Quasi vero canones illos ignorasset Summus Pontifex Paulus III, qui Societatem confirmaverat ante annos viginti quatuor, quam Molinæus hæc diceret. Pasquierus autem eo prorupit insanix, ut Societatem hæreticam Sectam diceret, et Ignatium non minus, quam Lutherum, Ecclesie perturbatorem fuisse contenderet. Intolerandam hominis impudentiam! quam ut modo cohíberent Sacri Judices, ad quos liber delatus fuerat, illum per Ministrum, quem Pompe lone habebant, intercipi fecerunt, et ad Inquisitionis tribunal deportari. Tulit hoc indignanter vir potens, qui Bibliopolæ protectione suscepta, multa movere cœpit, ut eidem *Annales* restituerentur. Sed, jubente Rege, quem supremus Quæsitor fidei de iis omnibus coram edocuit, verendi tribunalis jura servata fuerunt illæsa, et præpotentis viri conatus ea vice repressi.

Verumtamen in tanta ingruentium undique libellorum colluvie fieri nequaquam poterat, ut omnes supprimerentur; atque eo vel maxime, quod intra ipsam etiam Hispaniam quædam ejusdem farinæ procudebantur. Publici nuntii, qui per menses singulos sub titulo edebantur Mercurii, multa passim evulgabant, quæ Jesuitis conciliare odium poterant, et infamiam. Videbat Franciscus noster quantum inde malum possset exurgere, nisi mature remedium aliquod apponерetur. Institit ergo apud virum principem, cui suberat is, qui Mercurium compilabat, ut hujus obloquendi licentiam coargueret, neque bonum Societatis nomen calumniosis narratiunculis obscuraret. Alii etiam cordati viri, cum graviora inde ominaren-

tur

rur incommoda , iis omni ope occurrentum esse censebant . Inter cæteros Conchensis Episcopus Isidorus Carbajalis , et Lancaster , Apostolici vir pectoris , multa tentavit , ut perniciosam illam maledicentiam cibiberet . Et quanquam ob injuriam temporum neque ille , neque item Franciscus conata sua pro eo , quantum optandum erat , obtinere potuerunt , malum tamen illud videbatur aliunde fuisse compressum . Mercurii enim auctor paulo post in regnantem Pontificem Clementem XIII invectus est , atque adeo integritatem S. Gregorii VII ausus est improbare . Sed cum religiosissima Hispanorum pectora tam procacem audaciam ferre non possent , multi contra ejus auctorem insurrexerunt , quorum opera , post recantatas injurias , amotus fuit a munere , quod gerebat . Sperandum erat proinde , ut insectationes quoque cessarent in Jesuitas . Verum is , qui priori successit , quamvis de Romana sileret Sede , in traducenda tamen Societate simili modo perrexit . Tunc Franciscus binas Matriitum misit epistolas . Alteram ad Magnatem , qui multam apud Generalem fidei Quæsitorem habebat gratiam , ut eum ad tuendam Societatis causam impelleret , et obtrectationes , quibus passim lacerabatur , impediendas . Alteram ad provinciæ Toletanæ Præpositum , quem rogabat , ut , si tentare aliquid ex communi duorum consilio ad asserendam Societatis famam crederet opportunum , suum interponere nonen non dubitaret . Forte per eos dies Matriitenses Socii litem vicerant , quæ pridem cuidam ex illorum Domibus intenta fuerat . Inde autem Præpositus corjiciebat , res Societatis non adeo abscissas esse , ut meliora sperari non possent . De rumoribus vero , qui spargerentur in vulgus , non admidum curandum existimabat . Atque his conatus est solicitum Francisci animum aliqua ex parte sublevare . A Magnate vero tale responsum habuit , quale is a supremo receperat Quæsitore : *Non omnia , quæ in votis essent , pro votis posse obtineri . Nihil ergo tum temporis ad avertendam , quam timebat , calamitatem , efficere Franciscus potuit .*

Multa interim ad eum per auctores minime ineptos affreabantur , quæ augendis suspicionibus , ac timoribus occasionem quam maximam subministrabant . Noverat , consultationes Matriiti haberi super quæstionibus , quæ , licet ad omnes religiosæ

vitæ

vitæ Asseclas pertinere possent, ex aliis tamen adjunctis Jesuitas singillatim respicere videbantur. Quærebatur inter alia, et responsum a viris doctis sub inviolabilis secreti fide postulabatur: An sententia contra Religiosos in Supremo tribunali laico pronuntiata, effectum sortiti debeat, etiam contradicente Romana Curia? Utrum aliquis Religiosorum cœtus, inconsulto Pontifice, a Regni finibus posset expelli? Essetne Romanus Pontifex in Religionum approbatione infallibilis? Noverat, in diversis Regni partibus Tabularia jussa fuisse diligenter exuti, excitatas olim contra Societatem lites recognosci, et veteres quorumdam adversus eam querelas explorari. Imo etiam Civitatem quandam, quæ paucis ante annis recipiendo Societatis Collegio accerlime, sed frustra repugnaverat, solicitatam modo fuisse ad causam instaurandam. Quod cum efficere illa renuisset, quippe jam fundationis ejus latissimum fructum experta; unum aliquem civem, qui vehementius ceteris obstiterat fundationi, per literas admonitum fuisse, ut ea omnia, quæ populus, et Clerus, et Religiosorum ordines contra Jesuitas, pendente lite, objiciebant, accurate colligeret, ac perscriberet. Noverat insuper, exploratores quosdam esse designatos, qui Socios in verbis caperent, si forte in concionibus publicis, aut in privatis Congregationibus aliquid eis elaberetur, quod in partem posset accipi deteriorem. Et ab iisdem curiose observari, quinam Sociorum limina frequentarent, et familiariter cum eis agerent: quod cum sensim emanasset in publicum, familiarissimi quique a Sociorum consuetudine discedebant. Denique per dignas fide literas agnoverat, in Gallia pro comperto haberi, Societatem evertendam demum fore in Hispania, solumque deliberari, an id exequendum esset, ut in Lusitania factum erat, an potius ut in Gallia, anne tantummodo prohibita Novitiorum receptione.

Cum tam multa Francisci animum solicitarent, alia tamen non deerant, quæ illum erigerent ad sperandum. Atque illud præcipue, quod missis ab Aula literis aliqui confirmabant: Catholici Regis animum non facile fore inflectendum, ut exemplum imitaretur, quod in Jesuitas Lusitania ediderat, et Gallia. Nec vero dubia erat Régis erga Societatem per illa etiam tempora benevolentia. Cum decrevisset Scholam in

arce Segoviensi constitui, ut adolescentes nobiles tractandis in acie tormentis bellicis erudirentur, ad eam recte instituendam duos e Societate viros designari voluit. Et Franciscus noster, de his a Gazzolæ Comite admonitus, duos sine mora Socios venire Segoviam fecit, quorum alter Mathematicam adolescentibus explicaret, alter Christianæ illorum institutioni, quæ voluntas erat Regis, incumberet. Sub idem fere tempus Procuratores quidam Americani, supplementum pro Missionibus Indicis scripturi, Matritum venerant. Oblatisque Regi precibus pro conscribendis aliquot Sociis, qui secum in Americam navigarent, Rex adeo superavit eorum vota, ut octoginta diligere benignissime concesserit. Sed ad propensam in Socios Caroli III voluntatem demonstrandam, nihil eo evidentius, quod ipse cuidam de his secum disserenti respondit. Quo tempore probrosa multa contra Jesuitas et scriptis libellis, et obtrectatorum linguis undique jactabantur, inter Hispaniæ Magnates nonnullus ausus est, quid de illis sentiret, Regem ipsum interrogare. Cui Rex: *Nullam ego, inquit, de Jesuitarum fidelitate, optimisque officiis suspicionem habeo. Cujus hoc tibi, et cuicunque alteri manifestissimum esse debet argumentum, quod filios meos etiamnum constitutos habeam sub illorum disciplina.* . Enimvero a prudenti, atque amantissimo Patre, simulque Rege potentissimo, de præclara Jesuitarum opinione nullum hoc majus testimonium poterat exhiberi. Non deterius de illis opinabatur Marchio Scylacæus, Minister regius, Regique acceptus in primis. Præter alia notissima ejus benevolentiaz signa, fama erat, cum aliqui veterem coram ipso recinerent cantilenam de superbis Jesuitarum opibus, quibus haud modica ærario fieri posset accessio, indignanter eos a se rejisse, ineptias illas ajens, ignaro popello venditarent; cum ipse nosset optime quænam Jesitarum essent facultates, quantoque inde imminerent incommoda, si modo illæ ad ærarium regium devolverentur.

Franciscus igitur spem inter et metum constitutus, cum decerni vix posset, utri potius adhærendum esset parti; neque illa, quæ privatim ipse neverat, palam cum aliis communicari oporteret; in administratione Provinciæ suæ quædam efficere cogebatur, quædam item dissimulare, quæ nonnullis for-

tasse displicerent, nedum ab omnibus probarentur. Quoniam notum illi erat, ex insidiis observari Socios, num aliqua in Orationibus ad populum dicerent, quæ malignam admittere possent interpretationem; taliaque a quibusdam improbis reputari quæ nonnunquam Oratores sacri adversus choreas, et spectacula proferre consueverunt; Concionatores admonendos censuit, ut auditores suos ad evitanda irritamenta omnia peccandi universim adhortarentur, ad eas tamen individuas periculorum species minime descenderent. Sed cum aliunde sciret, Sociorum literas aliquibus in locis resignari, admonitionem illam, conducto fideli viro, ad vicinorem Rectorem misit, ut is pari modo mitteret ad propinquum, atque ita deinceps in cæteros veniens, ad extremum usque perveniret. Quæ quidem literas mittendi ratio, ed admonitio ipsa, quæ mittebatur, satis erat insolita, sed, attenta conditione temporum, necessaria. Ob id etiam binos, aut ternos Rectores a litibus eo tempore abstinere jussit, quas adversarii contra quædam Collegiorum bona comminabantur, et quibus nulla tunc erat opportunitas. Quemdam item Sociorum, qui rem aggressus fuerat ad speciem sane utilissimam, sed aliquorum offensionibus obnoxiam, non sine commerita reprehensione ab incepto resilire fecit, in quo jam longe processerat. Is, inconsulto Provinciali, libellum supplicem scripserat, quem Guipuzcoanis offerre meditabatur. In eo auctoritatis, et eloquentiæ suæ, quarum utraque valebat plurimum, nerves omnes intenderat, ut ostenderet præstantissimæ illi Provinciae honorificum fore, atque utile, si Lojolæ Seminarium quoddam erigeretur, in quo nobiles pueri Guipuzcoani, aliique finitimi bonis literis, et liberalibus artibus informarentur. Id effici sine magno dispendio posse, dummodo incultus quidam locus, ac derelictus ea lege Lojolensisibus Sociis concederetur, ut illum arboribus consitum retinerent, cæsisque veteribus novas semper sufficere tenerentur. Inde magna in utramque partem commodâ proventura. Nam Guipuzcoanis ea silva carbonem poterat subministrare, cuius penuria laborabant, ad officinas ferrarias promovendas; et Sociis tantundem reddere, quantum pro Seminarii sumptibus opus esset. Hæc ille ingeniose magis, quam prudenter pro ratione temporis excogitavit. Nam

con-

consilium istud nonnulli quidem ex nobiliorum ordine, qui promovere illud poterant, probaverunt: et cum ejus auctor non minus esset acer ac vehemens, quam eloquens et ingenuosus, sine mora libellum supplicem edidit, cui etiam ausus est Francisci nomen, eo penitus inscio, subscribere, atque ita Vallisoletum ad eum remisit. Sed nondum libellus venerat ad Franciscum, quando is quasdam accepit literas, quibus admonebatur, libelli argumentum non æque placere omnibus, et a quibusdam Guipuzcoæ primoribus non facile recipiendum. Franciscus, lecto illo, similiter improbavit, et auctorem graviter pro meritis castigatum, quod libellum suo nomine subsignasset, a negotio illo jussit penitus abstinere. Id fuse propterea fuit exponendum, ne quis forte Francisco nostro libellum illum adjudicet, qui nomen ejus ferebat in calce.

Hæc inter annus incesserat præterlabentis seculi sexagesimus sextus, qui, frequentibus per Hispaniam tumultibus excitatis, pervagilium expulsionis Jesuitarum visus est fuisse. De Matritensi tumultu, qui Marchionem Scylacæum ab Hispania expulit, quem etiam paulo post secuti sunt Jesuitæ, ut ipse prædixerat navem Carthaginæ consensurus, ab eis multo plura, qui proprius erant, poterunt dici. Nobis hic ea tantum attingenda erunt, quæ facta sunt in Guipuzcoa, quippe intra illius Provinciæ terminos constituta, quam regebat Franciscus, cui proinde multæ occasionses fuerunt prudentiæ, patientiæque perhibendæ. Lojolense Collegium, S. Ignatii natale solum, duos inter populos æquo fere discrimine interjacet, quorum alteri Azpeithiæ, alteri Azcoithiæ nomen est inditum. Cum igitur aliqui de Azcoithiensium plebe, nescio quam annonæ caritatem obtendentes, tumultuari cœpissent, ad eorum sedandos animos plurimum juvit quinque Sociorum industria, qui eodem in oppido residebant. Sed perséverante querelarum causa, verebantur Guipuzcoæ Magistratus, ne turbulenti aliqui Azpeithiam usque pertransirent, et illius incolas concitarent. Propterea eorum princeps, quem Delegatum ibi vocant, Lojolæ Rectorem, Joannem Baptistam Mendizabalem rogavit, ut structores, et lapicidas, qui magno numero in Collegio illo laborabant, de ipsorum officio commo-neret, ne unquam seditionis adjungerentur, si forte novi ali-

quid adversus Azpeithienses tentare vellent . Figit Mendizabal accuratissime quæcumque rogatus fuerat ; sed illius verba non omnes operæ libenti animo suscepserunt , quinimo aliquis elata voce respondit , tumultuantum partes sibi potius esse amplectendas . De his Rector sine mora Delegatum admonuit . Nec diu post seditiosi denuo insurgunt , adjutique a nonnullis opificum , tumultum præbent Azpeithiæ , qui nonnisi multis Curionum , ac Sociorum Lojolensium precibus , et obtestationibus sedari potuit . Atque ita demum sedatus fuerat , ut artifices illi ad sua quisque opera reversi fuerint . Pauci tamen abierant dies , cum Guipuzcoæ Prætor , qui sedem tunc habebat Azpeithiæ , manipulo militum stipatus , Lojolam venit , et eorum multos , qui levigandis marmoribus , dolandisve lignis intenti erant , alios in templi atrio , alios vero intra Collegii septa comprehendendi , et in custodiam deduci jussit . Ut rescivit hoc Parochus Azpeithiæ , cuius intra fines situm est Collegeum , de violata immunitate loci apud Prætorem conquestus est . Sed brevi ab ea querela recessit , et Lojolæ Rectorem monuit , ut ipse causam illam susciperet defendendam . Is viam arripuit , quæ minuenda offensioni , et invidia declinandæ commodissima videbatur . Socium cum literis Pompelonem misit , ut Episcopus diœcesanus de his edoctus , quæ Lojolæ contigerant , quid opus facto esset , ipse decerneret . Episcopus peritum eo legavit Judicem , qui , perspecto locorum situ , asyli jus læsum fuisse , ac proinde vinctos in libertatem asserendos , pronuntiavit ; quanquam ejus deinde sententia Martiti fuit improbata .

Dum hæc Lojolæ fierent , longe inde Franciscus aberat , qui Vallisolero profectus Villamgarsiam , in Torozii montis oppidulo , cui Mudarra nomen , fasciculum literarum accepit , quibus eum Lojolensis Rector de operariis in Collegio captis admonebat . Ex eodem oppido responsum dedit : Capturæ locum non ita sibi esse cognitum , ut statuere inde posset , violatane fuisset immunitas : id ab aliquo potius externorum dijudicandum , cuius sententia standum erat ab utraque partium . Post non multos dies aliae sane quam prolixæ afferuntur ei literæ , in quibus Guipuzcoæ Magistratus conquerebantur , vano quodam immunitatis obtentu suspensam esse reorum causam ,

sam , qui tumultum excitaverant Azpeithiæ : id cuidam Sociorum præsertim imputandum , qui Pompelonem ad Episcopum adierat , ut eum ad inhibendum justitiæ cursum induceret : non nullos opificum adhuc in Collegii substructionibus retineri , quorum fuerat in conflanda seditione audacior impudentia : se denique ad Matritense Consilium querelas suas non detulisse propter debitam Francisco ipsi , et sanctæ Lojolæ domui reverentiam . Ob eam observantiaæ significationem multas Franciscus egit gratias . Cætera querelarum capita non aliis querelis , quod citra injuriam efficere potuisset , refutanda credidit ; sed patienti potius animo preferenda censuit , et , quoniam in lubrico versabatur , prudenti ac miti responsione delinienda . Igitur ad Magistratus respondit : Quidquid perperam gestum esset a Sociis , se penitus improbare , neque ullam errati purgationem recusaturum : Socium illum , cuius ipsi acriorem in dolem incusabant , in aliud Collegium , imo etiam in diœcēsim aliam protinus amandandum : Rectori vero præscribere , ut quoscumque opifices Delegatus designaret , sine mora dimitteret e Collegio . Responsum hoc ita Magistratum animos mitigavit , ut eorum primus , iterum ad Franciscum scribens , nihil ultra deposcere , ac plene sibi satisfactum fuisse , responderit . Verumtamen Societatis æmuli , cum tota illa controversia citius opinione sua , sedatusque quam vellent , dirempta fuisset , novam inde ordiri stropham decreverunt . Post menses aliquot , quando nullus jam de Guipuzcoanis turbis sermo erat , vir quidam (quem latendi studium non ita potuit obnubere , quin satis agnosceretur) primam illam Magistratus epistolam ad Franciscum typis edidit , ac per omnes fere Hispaniæ provincias divulgavit . In furtiva illa editione , quæ duobus in locis longissime distantibus effecta est , ut conjectura non levis indicabat , variationes erant aliquæ non magni momenti ; sed de Francisci epistola , qua ipse querelis omnibus satisfecerat , nullum in ea verbum , nullaque omnino mentio . Id Delegato ipsi , et Assessoribus ejus ita visum est iniquum , ut ille rem prorsus incredibilem judicaverit , donec excusam epistolam ab ignota manu recepit : hi autem Francisco promiserint , in generali Provinciæ conventu , qui proxime fieret , de fraudulenta literarum editione diligenter inquirendum , in

eos-

eosque severissime animadvertisendum, qui suam ad hoc operam contulissent. Sed oblatam injuriæ vindicationem Franciscus pro mitissimo ipsius animo non admisit.

Gliscebat interea rumor, et varius de Jesuitarum rebus opinandi modus majores addebat animos adversariis. Matriti præsertim, quo multa prædictæ epistolæ missa fuerant exempla, invidiosi adeo sermones habebantur, ut Franciscus de his admonitus ab amicis, animum tandem induxerat ad regiam S. Ildefonsi Villam, in quam Rex tum diverterat, proficiisci. Convenerant eodem per illos dies Procerum multi, aliquique primarii viri, ut in solemniis S. Ludovici, quæ in diem incident vigesimam quintam Augusti, Regem salutarent, et osculationi manuum de more interessent. Postridie ejus diei venit eo Franciscus, secum afferens et literas, quas a Guipuzcoanis accepérat cum variationum annotatione, quæ in earum editione factæ erant, et quas ipse rescripserat ad eosdem. De iis omnibus singillatim locutus est ad Ministros: eorumque singuli et vultu, et verbis significarunt, injustam epistolæ Guipuzcoanæ divulgationem quanta cum indignatione improbarent, nec Francisci causam coram Rege tueri, dum se occasio ferret, prætermisuros. Confessarium etiam Regis convenire voluit, qui ostendit ei literarum exemplum editum, quod a tabellario Bætico allatum sibi fuisse suspicabatur. Auditis deinde cum admiratione Francisci responsis, effrontem illorum impudenterit vituperavit, qui subdolam epistolæ curaverant editionem: et quantam ipse apud Regem habebat auctoritatem et gratiam, ad Francisci, ac Sociorum ejus defensionem conferre promisit. Inter Optimates ad eos præsertim adivit, qui aliquo in Aula munere fungebantur, ut et ipsi de totius rei serie melius instructi, de illa solidius possent ante Regem inferre sermonem. Neque ullus fuit inter eos, quin prompte suum pro tam justa petitione obtulerit patrocinium. Post hæc accessit ad Regem, cui manum osculatus est reverenter, nec minores ab eo accepit benevoli, ac reverentis animi significaciones. Nam postmodum Rex ipse cubiculario suo Pinio dixit: *Religiosus hic pauper, qui paulo ante ad me venit, Ducatum Granatæ ad Egam repudiavit, ut Societati Jesu nomen daret. Nec semel deinde per Confessarii sui literas Fran-*

cisci precibus Deo commendari petivit.

Biduum, neque illud integrum, in ea Villa permanxit, in qua multi eum magnis sunt honoribus prosecuti. A Ministris, et Proceribus ad prandium invitatus, accumbere delegit apud popularem suum Michaelem Muzquium, Ministrum ærarii regii. Idemque pridie fecerat apud Arcorum Ducem, qui Præfектus erat prætorio. Hic multi aderant Optimates, qui Franciscum non tanquam sibi æqualem, sed longe superiorem aspiciebant propter opinionem virtutum ejus, et animum generosum, quo fluxi honoris titulis humilitatem prætulerat Socieratis. Et vero ille inter Hispaniæ Magnates non ut eorum aliquis, sed ut magnus inter Christi pauperes apparebat: quod et modesto vultu, et morum ac verborum simplicitate, atque insuper vestimentorum vilitate demonstravit. Quocirca Marchionis Grimaldi, qui erat secretioris scrinii Custos, facetum quoddam dictum fuit eo tempore celebratum. Dum Regem Aulici mensæ jamjam accubiturum oppriebantur, inter illos Franciscus aderat: et Grimaldus, intento dígito in Francisci vestem, quæ fortuito disrupta fuerat, coram aliis audientibus dixit: *Idiaquezius, ut video, de stirpe Gironum venis.* Ludebat in ambiguo vocis *Gironum*, quæ cognomentum est Oxunensium Ducum, et vulgi sermone vestem indicat dilaceratam. Riserunt ad Grimaldi jocum non pauci, quamvis ex neglecto Francisci cultu cognoscerent, quantum ille a mundano fastu abhorreret. Ab honoribus pariter, qui sibi deferebantur, sic abhorrebat, ut altero postquam venerat in Villam die, sub vesperum ad Collegium recesserit Segoviense. Voluisset frater ejus Ignatius, Granatæ Dux, qui cum aliis eodem venerat, ut secum Franciscus Matritum usque procederet: non tantum ut Ducem uxorem suam inviseret, filiosque agnosceret parvulos, quod gratissimum sibi fuisset; sed ut Matriti, ubi præcipuum erat robur adversariorum, idem efficeret, quod fecerat ad S. Ildephonsi. Atque utinam fratri, multis eum roganti, Franciscus obsecundasset! fortasse teterimum illum nimbum, unde tempestas horribili fragore tandem increpuit, prudentia et industria sua dissipare, quod deinde tentavit frustra, mitioribus adhuc rebus, obtinuisse. Sed ille modo, cum Regis, et regio-

giorum animos ad protegendarum justitiae causam tam bene cerneret animatos, Matrii vero Praepositus resideret Toletanæ provinciæ, aliique viri gravissimi, qui se melius obviam ire periculis poterant, siquid aliqui machinarentur; suam ibi præsentiam minus credidit necessariam. Vallisoletum igitur recta contendit, ut inde alia provinciæ suæ negotia expediret.

Sed ne ibi quidem diu potuit optata quiete potiri. Cum jam undique Societas impeteretur, alia ex aliis oriebantur incommoda, quibus difficile admodum erat occurrere tempestive. Multi amicorum apud Socios conquerebantur, quod ingeminatas in eos plagas plusquam Harpocratico silentio ferrent, neque auderent mutire quidquam contra volitantes satyras, infamesque libellos, quibus carpebantur illorum mores, et Institutum ipsum impie, ac probrose sugillabatur. Inde insectatorum numerum, et audaciam crescere; cum ii præsertim, qui longe ab Jesuitarum consortio aberant, vera esse crederent, quæ illis objiciebantur, utpote nullis eorum impugnata responsis, sed potius taciturnitate ipsa quodammodo confirmata. Hæc apud Sociorum quosdam vim tantam habuerunt, ut pene religioni ducerent diuturniori indulgere silentio. Inter illos, qui Francisco suberant, quidam Instituti Societatis defensionem, quæ paulo ante prodierat in Gallia, Hispanice convertendam, ac typis etiam vulgandam curavit. Quod ut legitime, ac tu-to efficeret, a Typographiarum Judice facultatem petiit, qui tamen propter durissima tempora eam expresse concedere non est ausus, sed petenti respondit: *Multa esse, ad quæ præstan-da, si potestas rogetur, deneganda sit, quæ tamen, si fiant, omnino debeant dissimulari.* Responsum hoc Socius ille ita est interpretatus, ut sibi permissum esse crediderit, quod petebat. Itaque librum edidit, inscio penitus Provinciali, qui de his nihil ante cognovit, quam Vallisoletum regressus fuisse. Hic primum, acceptis Matrio literis, factus est certior, editionem illam, et alias ejusdem argumenti non ad Typorum Judicem, sed ad severiores alios fuisse delatas, multamque inde obloquendi materiam, et criminandi ansam Societatis simul arripuisse. Ut rescivit hæc Franciscus, graviter in Sacerdotem illum animadvertisit, qui, se inscio, curaverat editionem: nec solum a Rectoris munere amovit, quo fungebatur,

tur, sed ab illa etiam urbe, in qua multos ducebat annos cum magna civium approbatione, in aliam non æque sibi commodam relegavit.

Cum literas per eos dies ad Castrum S. Ildephonsi mis-
surus esset, ut iis gratias ageret, qui se ibi liberaliter exce-
perant, eadem usus est occasione, ut aliquam de inopinato illo eventu mentionem faceret. Super hoc ad Grimaldum, et Confessarium Regis scripsit, quorum benevolentiam, dum apud eos mansit, expertus fuerat singularem. Utrique dolo-
rem intimum exponebat, quem rediens senserat, cognita sub-
diti Sacerdotis imprudentia, qui librum ausus erat excudere, neque obtenta facultate sua, nec regni legibus, quæ cirea rem erant typographicam, satis religiose observatis. Huic se con-
tinuo promeritam irrogasse poenam, et gubernandi privatum munere, in remotum aliud Collegium amandassee. Rogabat eos propterea, ut apud Regem excusatam vellent Societatem Jesu, quæ delicta in alumnis suis minime dissimularet, sed eos ad exactam cogeret obedientiam, quam omnes erga de-
creta Regis, ac Domini sui fideliter exhibere tenebantur. His Francisci literis rescribens Confessarius, post consuetas urba-
nitatis formulas ajebat: „Asseruisse sibi Regem, cui accep-
„tam ab eo recitaverat epistolam, de Francisci rectitudine
„plene esse persuasum: nunquam de illo credidisse quid-
„quam, nec in posterum crediturum, quod virtuti ejus dis-
„sentiret, et a nobilitate sui sanguinis abhorreret. Cæterum
„de negotio illo, post auditas eorum sententias, quos admi-
„nistrandæ justitiae constituerat, id tandem decreturum, quod
„æquitati congruentius existimaret. „ Idem fere ajebat Gri-
maldus, cujus responsum, ut alterum etiam Confessarii, sæ-
pe vidit Franciscus Gonzalius, qui tunc Idiaquezio a secretis
erat, et a quo nos hæc omnia accepimus, ut pleraque alia,
quæ de illo diximus. Gonzalius enim, qui multos cum Idia-
quezio vixit annos; postquam is fato concessit, præclara illius
collegit facta; nobisque latine vertenda tradidit. Idemque
asserit, super controversia illa librorum nihil novi accidisse,
dum Franciscus provinciam tenuit. Eam suscepérat initio men-
sis Januarii millesimi septingentesimi sexagesimi quarti. Ut
autem præfecturam, quanto citius posset dimitteret, de his

mature providerat, quæ ad successorem deligidum spectabant. Acceptisque Roma literis, quibus Ignatio Osorio provincia deferebatur, illum Salmantica, ubi Rectorem agebat, Vallisoletum arcessivit: et in ipsis Januarii Nonis 1767, quamvis multa reluctantem, et excusantem multa, successorem sibi datum declaravit, ac sese illi humillime subjicit. Eodem tempore renuntiabatur ipse Salmantini Collegii Rector: sed antequam eo accederet, Matritum, jubente Præposito Generali, proficisci debuit, ut Societatis rebus, quæ vehementius in dies singulos oppugnabantur, quanta posset virium contentione succurreret.

Rigebant gelu omnia, et militaris via per eos dies alta erat nive impedita. Incensus tamen obediendi studio, subveniendique Societati, pro qua vitam ipsam prodigere non dubitasset, postridie festum Epiphaniorum difficile suscepit iter: superatoque non sine periculo Guadarramæ jugo, ubi currum reperit in altissima hærentem nive, Matritum ante Januarii medium pervenit: relictoque Imperiali Collegio, in quo recipi solebant hospites, ad tirocinium divertit, cuius Rectorem de his curaverat præmonendum. Ibi Magnates quosdam, Consiliariosque regios convenire cœpit, initio urbanitatis, ac veteris amicitia nomine, deinde ut Societatis causam iisdem commendaret. Hanc omnes justissimam agnoscebant, et pro illa plerique quidquid possent, naviter effecturos profitebantur. Nonnulli tamen implexam negotii hujus difficultatem non obscure significabant: cum vix nosse dicerent, quinam essent constituti Judices ad cognoscendas peculiares aliquot causas, pro quibus, ab excitata Matriiti seditione, novum quoddam erectum erat tribunal, quod nova etiam appellatione Consilium vocabant Extraordinarium. Ut de his certior Franciscus fieret, ad Præsidem accessit Consilii, a quo rem obtinere tanto sperabat firmius, quanto is hactenus Idiaqueziorum genti plura dederat intimæ familiaritatis indicia. In primo tamen ad eum ingressu, in quo solum urbanis utrinque officiis certatum est, ad inexspectatum Francisci adventum conturbatus fuit Præses, ut ab iis ego audivi, qui congressui illi adfuerunt, et quotidiana fere consuetudine perspectum illum habebant ad unguem. Deinde sæpe ad eundem redit, et indi-

cari sibi Judices postulavit , quibuscum agere de his rebus posset , quarum causa tam incommodam suscepserat profectio- nem . Sed nunquam hoc liquido explorare potuit , cum sermonem alio traheret Præses ; vel , propositum urgente Fran- cisco , solum dixerit , non semper eosdem , sed hos modo , modoque illos ad Regis arbitrium designari . Fortasse Francis- co voluit laborem eripere supervacaneum , cum jam de So- ciorum sorte decisum esset : vel forte ab impererrito illius animo timuit , ne Judices , aut Regem adiens , ad perficienda suscepta consilia moram aliquam , atque etiam obicem inter- poneret . Nam licet Rivadaviae Comes , qui Matrito venerat Vallisoletum , cum Franciscus inde Matritum moverat , cogni- to hujus discessu dixerit ; sero illum profectum fuisse , cum jam decreta esset ruina Jesuitarum ; tamen deinde constitit , non ante vigesimam nonam Januarii diem induci potuisse Regem , ut consultum Extraordinarii Consilii approbaret ad exilium Sociis omnibus indicendum . Supperebat ergo Francisco tem- pus , ut exitiale illam plagam avertere conaretur , nisi alia suis conatibus obstitissent . Neque id ab eo frustra tentandum fuisse , persuadebat tum Regis erga illum propensus animus , et eximia de virtutibus ejus præconcepta opinio ; tum Fran- cisci flagrantissimus in Societatem amor , pro qua se dimica- tioni capit is libenter objecisset , ut ipse Provinciali Toletano asseruit ; tum etiam postulatorum ejus æquitas manifesta , cum id unice intenderet , ne Societas indicta causa condemnare- tur , eidemque potestas fieret ad objecta sibi crimina respon- dendi : quod sperari profecto poterat a justissimo Rege fuis- se obtenturum .

Sed hinc adversariorum artibus , inde amicorum nimia credulitate remoratus , ac denique Sociorum etiam consiliis impeditus , quos recti conscientia securos reddidit ; non ea , quæ volverbat animo , et quæ maxime opportuna fuissent , ef- fecit . Enimvero , dum Matriti restitit , tanta fuit in quibusdam dissimulandi cura , tantumque in aliis simulationis studium , ut quamvis timor alicujus impendentis mali non penitus resedis- set , haud levia tamen essent indicia , quæ procellam excita- tam in Socios paulatim remittere , ac demum omnino sedan- dam ostendebant . Post illum etiam diem , quo Rex tandem

Societatem ab omni ditione sua decreverat expellendam , quædam ab auctoribus non ineptis asserebantur , quæ spem magnam facerent proxime secuturæ tranquillitatis . Magnates aliqui , Sociorum benevolentissimi , cum reverterentur ex Regia , quæ tunc erat in Pardo (nemus est Matrito proximum , in quod Reges interdum secedere consueverunt) latissimis eos nuntiis consolabantur . Ex iis quidam et emunctæ naris , et fidei non ambiguæ Franciscum certiore reddidit , circa Jesuitas aliam esse rerum faciem in Aula : desiisse jam suspectos , odiososque sermones illos , qui prius adversum eos conserebantur , omniaque tranquillam innuere serenitatem . Nec verba tantum , sed facta quoque latioris fortunæ fiduciam conferebant . Prodierat ante menses aliquot Extraordinarii Consilii decretum , ne Socii per Cantabriam expeditiones sacras susciperent , neve in regione illa cuiquam hominum externorum meditanda proponerent spiritualia S. Ignatii exercitia . Id adeo fideliter a Sociis servatum est , ut incunctanter in domos suas Lojola dimissi fuerint , interruptis commentationibus , quotquot iisdem in Collegio illo exercebantur . Multis deinde literis apud Consilii Præsidem Franciscus institit , ut inhibitionem illam tollere dignaretur . Hic autem spem bonam facere , propensam ad obsequia voluntatem ostendere , Francisci orationibus se valde commendare , diem tandem ex die ducere : donec modo ad iteratas Francisci preces , in ipsis fere Novendialibus S. Xaverii , et imminente jam Sociorum omnium ab Hispaniæ finibus expulsione , liberam Cantabriæ Sociis facultatem concessit ineundi Missiones sacras , et meditationes S. Ignatii privatim , ac publice proponendi . Quædam alia per idem tempus acciderunt , quæ vel perspicacissimi cuiusquam oculos facile perstrinxissent . Antonius Mouriñus provinciæ Toletanae Præpositus , cuius eminenti sapientiæ par prudentia erat , et utramque morum integritas coquabat , propter invalescentes obloquiorum turbines longiorrem Matriti moram fecerat , ut iis promptius occurreret , quæ usus postulasset . Sed cum videret Matritensi Professorum domui causam fuisse adjudicatam , quæ pridem in supremo Senatu disceptabatur ; ac pro domo illa quemdam summa orationis contentionе dixisse , qui vulgo inter acerrimos Jesuitarum

rum adversarios recensebatur; aliaque fieri animadverteret, quæ nullum prudenti viro relinquenter suspicandi locum, diutius Matrii morandum sibi esse non censuit. Quapropter ad inspectionem provinciæ discessurus, nullo se timore sollicitari Francisco nostro dixit, neque ulterius movendum quidquam, cum jam omnia tranquille fluere viderentur. Sed vix Murgim venerat, quæ non longe Matrito abest, cum Socii omnes, quamvis nullus eorum in judicium vocatus fuissest, abire jussi sunt ab Hispania.

C A P U T X I I I.

*Cum ceteris Hispania Sociis Franciscus ejicitur
in exilium.*

Negotium Rex dederat Arandæ Comiti, Supremi Senatus Præsidi, ut decretum illud exequeretur, quo Societas homines justis de causis, quas in regio animo reservabat, ab omni ditione sua in perpetuum expellere constituerat. Ut hoc uniformi ubique locorum tenore fieret, a vigesima die Martii opportuna monita direxit Comes ad Prætores, et Judices urbium, atque oppidorum, in quibus degebant Socii, quos ab omnibus civiliter, decenter, ac liberaliter haberi præcipiebat; cum hæc esset voluntas Regis, cuius sub patrocino, quamvis exilio poena damnati, considerari debebant, dum exacte illi regiis mandatis obtemperarent. Monita illa cum decreto Regis inclusa erant fasciculo literarum, qui non ante quartum Nonas Apriles resignari jubebatur, ut in ea nocte, vel certe albescente sequenti die Sociis omnibus exilium indiceretur. Matrii vero et in propinquis eidem locis, vel quia jam aliquid emanabat, vel alia quadam de causa, in ipsa nocte, quæ præcessit primam lucem Aprilis Socii omnes comprehensi fuerunt: et Matrienses, pro quibus Comes peculiares ediderat ordinationes, ante auroram educti fuerunt Getafium, inde in duas divisi turmas Carthaginem deducendi.

Franciscus in tristissima illa nocte, præter communem omnium calamitatem, aliud quiddam imminere sibi subtimuit,
quod

quod exilio ipso sine comparatione tulisset acerbius . Postquam Judex decretum Regis omnibus denuntiaverat , seorsum illum accepit , eique in aurem insusurravit , probabile sibi esse , non nullos ab Arandæ Comite in Hispania fore retinendos . Quæ Judicis verba in eo rerum articulo non alio respicere videbantur , nisi ut Francisco spem injiceret infortunium suorum fratum feliciter evadendi : in quo ego , non quidem voluisse fallere , sed falsum esse Judicem , affirmabo . Dum tamen spes illa verisimilis haberi potuit , molestissima solicitudine Francisci vexavit animum , nihil impensius veriti , quam ne disjungeretur a Sociis , et ne in eo discrimine , ut Nazianzenus de Machabæis ajebat , periculis eruptus , mala victoria superaret . Ut autem labores constanter ferret , qui durissimi sane fuerunt in hac ultima vitæ sua periodo , jam inde ab initio exilii se ipse in hunc modum interrogabat : *Ecquidnam præstantius erit? aduersis me vinci? an potius eadem a me superari?* Et cum postremum hoc tenendum esse sine ulla hæsitatione decerneret , omnes generosi animi vires adversus irruentium malorum impetus sic exerebat , et excelsæ mentis aciem ad superna , permansuraque bona adeo irretorto dirigebat obtutu , ut numquam (quod ab eo s̄zpe audivimus) melancholicum fuisse , nunquam correptum esse tristitia membrisset . Tanti est in rebus turbidis animum non abjecere , sed illum attenta meditatione , et fiducia divini Numinis confirmare !

Carthaginem cum Matritensibus deportatus , quindenos ferre dies in Hospitali domo regia consedit , dum cæteri adventabant Socii , et classis ad Tyrrheni maris litora instruebatur . Hic nihil de pristica tranquillitate decedens , placido vultu erigebat omnes , eosque jucundo et amœno sermone recreabat . Extremo Aprili navem conscendit , quæ brevissimo die rum spatio Centumcellas appulit , quo Socii omnes initio erant destinati . Sed Clemente XIII , cuius notus erat in Societatem amor , justis alioqui de causis descensionem in ditione sua non permittente , dirigendus fuit alio cursus , et in Corsicam secedendum , donec ulteriora Matrito jussa recipientur . Ob eam causam Franciscus super maris undas , ab uno in alterum delatus portum , quinque integros menses perseve-

severavit: quantum satis utique fuisse, ut in ultimam Americam navigaret. Duos circiter menses in portu S. Florentii constitit, qui sinus Nebiensis dicitur ab antiquo Nebio, cuius nihil jam superest, præter ruinas, et nomen Episcopatus. Inde Adjacium Urcinium, deinde Genuam, rursumque Adjacium contendit, ubi tandem expositi fuerunt Toletani Socii. Hic debitas rependit grates illius classis Præfecto Francisco Veræ, qui, ut omnes honorati viri, et strenui militis explevit numeros, ita etiam nullam erga Socios humanitatis, ac beneficentiae partem prætermisit. Idem fecit primariis militibus Prætoriæ navis, in quam ipse cum itinerary comite paucisque aliis receptus, semper ab urbanissimis viris liberaliter fuerat habitus. Sed et ipsi, perspectis in longa navigatione Francisci moribus, multum erga illum affecti fuerant. Mirabantur enim ingenuam hominis facilitatem, qua se cæteris, quasi neminem dignitate præcederet, in rebus etiam incommodis æquiparabat: laudabant studium juvandi animos, quo promptas classiariis præbebat aures, qui suam ad expianda peccata operam expetebant: sæpe illum, inter nautas considentem, suspicerunt longa cum iisdem colloquia serere vel de mysteriis fidei, vel de vitiorum fuga, vel de Sanctorum, ac Mariæ Virginis veneratione. Jam ergo redditurus ad suos, quos noverat consedisse Calvii, Toletanis Patribus valedixit, quorum jucunda consuetudine, fraternaque caritate novem fere mensibus usus fuerat: et litus in conducto lembo radens, Calviensem portum brevi trajectu tenuit die 28 Septembris, quinto scilicet mense postquam se mari commiserat in Hispania.

Adventus ejus lætitiam Sociorum auxit, qui post labores inenarrabiles in illius urbis ingressu, deindeque in obsidione molestissima toleratos, nonnullam habere inceperant, abeuntibus obssessoribus, tranquillitatem. Sed quanquam cessarat clamor et timor bellicus, quorum ab utroque procul Franciscus fuerat, haud pauca tamen, nec levia supererant incommoda, quorum multa subeunda illi ex æquo fuerunt cum cæteris, nonnulla ipse caritate, et industria sua quam plurimis delinivit. Conticente jam armorum strepitu, de constitutis convenienti ordine Sociorum domibus (cum in primo

mo ad urbem accessu , et in repentina Corsorum irruptione multi se , ubiunque aliquis pateret aditus , indiscriminatim conjectissent) Ignatius Osorius , qui universis præterat , cogitavit . Francisco gubernandam domum attribuit , in qua omnes adolescentes , qui sacras audituri erant literas , collocaverat , eidemque propterea S. Aloysii nomen imposuit . Hæc inter ampliores illius urbis domos numerabatur ; si tamen domiorum amplitudini locus esse poterat intra brevissimum totius urbis spatium . Sed receptis in ea Sociis octoginta septem , quibus et sacellum , et gymnasium , et triclinium , et alix communes erant officinæ designandæ , ad privatam incolentium habitationem adeo modicum unicuique relinquebatur , ut jam dominus omnium angustissima videretur . Rectoris habitaculum apothecæ mercatoriarum speciem referebat : in eoque tres simul alii , vel quatuor degebant Socii , quorum lectuli , et unica pro Rectore mensa , totius extensionem cubiculi vix non undebet occupabant . Ceteris intra domum illam neque laxior , neque commodior obtigit habitatio . Sed tamen inter eas loci angustias nulla erat animorum contractio ; cum omnes vigilanti Rectoris cura et frequentem haberent cum Deo consuetudinem , unde vera descendunt animi gaudia , et constantem in tractandis literis assiduitatem , quæ aditum inerti præcludebat otio , unde moeror , et luctus , et sexcenta alia gignuntur incommoda .

Quæcumque ad religiosæ disciplinam vitæ conferunt , apertissimo erant ordine constituta . Certa omnibus decumbendi , surgendique hora : designata meditationi , et conscientiæ discusionibus tempora , illa per horam integrum statim a somno , hæc per quadrantem ante prandium , et cubationem : definita spatia temporum pro celebrando , vel spectando altaris Sacrificio : quotidiana ex litaniarum ordine Sanctorum invocatio , et priorum lectio librorum ad semihoram : frequens Sacramentorum usus in Dominicis saltem , ac festis diebus , et frequentes item macerationes corporis vel in coenaculo coram aliis , vel privatim ad Superioris , aut Confessarii singulorum arbitrium . His accedebant anniversarius dierum octo secessus ad commentanda S. Ignatii exercitia , aliquie triduani ante duplum votorum instaurationem , quæ a junioribus peragebantur ,

ex quibus maximam partem Francisci familia coalescebat. Atque in his præsertim diebus frequentiores erant adhortationes de religiosæ perfectionis studio (quanquam id s̄p̄ alias fiebat) et collationes de rebus sacris. Eorum demum nihil ibi desiderasses, quæ usui esse solent ad pietatem, et profectum spiritus promovendum. Et cum cæteros Rector suis provocaret exemplis, aut si quem tardiorem adverteret, verborum etiam urgeret stimulis, vigebat in ea domo strenuus ad perfectionem conatus, et inter graves durissimi exilii ærumnas promptus ad labores animus, atque innocentia testis minime fucata laxitia. Non minor Rectoris erat cura, ut in studia literarum adolescentes illi toto pectore incumberent. Frustra necessaria tractandis scientiis adminicula in ea tunc urbe requireres, quæ diuturni calamitatibus afflita belli, assueta potius erat armis, quam libris. Sed Franciscus Romanum scripsit, indeque et ex aliis continentis urbibus sufficiētē librorum copiam obtinuit, quibus instructi Magistri pariter, et Discipuli, quaternas quotidie habebant scholas, unam de Scriptura sacra, de Theologia morali alteram, duplē de scholastica, ut Salmanticæ, ac Pintiæ siebat. Quotidianis lectionum repetitionibus, et collationibus addebatur interdum concertationes publicæ, ad easque Franciscus, præter veteranos provinciæ suæ Magistros, spectatissimos quosdam e Bætica, qui Calvii remanserant, invitabat: ipse etiam, quippe in eo certandi genere strenuus, propositas disputationi theses nonnunquam oppugnavit. Tantusque aderat Sociorum numerus, quantum in ejusmodi ludis nemo unquam alibi conspexisse meminerat: quod, ut honorem literario specaculo, dignitatemque augebat, sic etiam concertatorum exactuebat industriam, ut in his facultatibus diligentius exercerentur, quarum erant sub tam frequenti et erudito consessu specimen edituri.

Ut suaviorem laborem illum, aliosque passim occurrentes efficeret, liberalis erat in recreationibus concedendis, et iis, quæ ad quotidianum victum pertinent, subministrandis. Postquam rebelles Corsi, pactis induciis, ab obsidione recesserant, locum prope urbem in sphæristerii formam accommodare fecit, ubi juvenes pila nonnunquam luderent (quod in

Hispania vel apud religiosos viros erat in usu) ut et animum ab studiis severioribus relaxarent , et corporis valetudini exercitatione illa consulerent . In eo loco Franciscus spectaculum prædere voluit , quod risum , an teneras moverit lacrymas , dubitares . Inter spectatores alios ibi aderat quodam die , cum repente in arenam descendens , ternos ex ordine Rectorum ad se vocat : ac totidem conditionis ejusdem ex adversa parte designatis , contra ipsos lusionem ipse cum suis instituit , cæteris inspectantibus , et stupentibus . Nam , ut olim ludendi peritus esset , in ea tamen obessi jam corporis gravitate , si minus mittendæ pilæ , retorquendæ saltem , atque sistendæ satis erat ineptus : proptereaque in medium prodiisse videbatur , non tam ut luderet , quam ut ab aliis illudetur . Neque collusorum omnium erat ipse ineptissimus ; cum eorum aliqui nunquam ex professo in eo ludendi genere fuissent exerciti . Et tamen ille lusus perjundus fuit omnibus , atque ad intentum a Francisco finem peropportunitus . Neque enim is alio spectabat , quam ut sui despiciens nonnullam adstantibus exhilarandi animi occasionem offerret inter gravissimas , quibus undique impetebantur , afflictiones . Unde Sionæ Regis æmulatus exemplum , qui ante Dominum totis saltare viribus non erubuit , quamvis nonnemini pro deridiculo fuerit habitus ; ipse etiam coram fratribus suis ludere , subsilireque voluit , ut eos inter multiplices dolendi causas innocuo illo recrearet oblectamento . Quod si actionem illam voluissest aliquis austerioris ingenii tanquam ætati viri , vel ejusdem dignitati minus congruentem vituperare , poterat utique Rector cum eodem prudentissimo Rege reponere : Propter Dominum et ludam , et vilior fiam plusquam factus sum : et ero humilis in oculis meis : et .. gloriösior apparebo . 2 . Reg . 6 . 22 .

Sed qui jocari opportune voluit , serio quoque noverat exigere , ut quam quisque officii partem domi suæ suscep-
rat , in eadem tuenda totis unguibus adlaboraret . Ac ne ullus prætextus esset laboris subterfugiendi , de rebus ad vitam necessariis nihil deesse cuiquam , quantum calamitosa ferebant tempora , permittebat . At vero in egentissima omnium urbe qui tandem poterat numerosam adeo familiam sustentare ? Id quidem nunquam intra Calvum obtinuissest , nisi multas tentas .

tasset vias, ut aliunde subsidia compararet. Nam Genua non modo libros, sed alia etiam vestiendis, alendisque Sociis comportare fecit. Deinde portidores aliquot, qui Labrone, ac Neapoli, soluta obsidione, ad Calviense litus adverterant, spe lucri allexit, ut in advehendis pergerent commeatibus, quorum ipse vim magnam, nullo unquam sumptu deterritus, coemebat. Missis præterea in ulteriora Corsorum oppida domesticarum rerum administris, non pauca inde alimenta conquisivit: et inter alia coegit arietum gregem, quem pastori bus custodiendum tradidit, indeque suorum, ac nonnunquam aliorum etiam necessitati subvenit. Ad eas in vicina oppida profectiones inter alios designaverat Augustinum Cuestam, virum sane industrium et officiosum, expediti corporis et ingenii, nec minoris ad pietatis studia diligentia, qui tum Calvii, tum etiam in Italico itinere multa libenter devoravit incommoda, ut suorum fratum, quos intime diligebat, levameni deserviret. Is ante paucos annos Bononiæ decessit, magnumque sui reliquit desiderium inter Hispanos, et Bononienses, quorum plurimos sibi obstrinxerat ingenuitate morum, et officiorum multigena exhibitione. Hujus igitur, aliorumque usus opera diligent, potuit Franciscus in ea temporum difficultate frequentissimam illam domum ita sustinere, ut singulis, aut valentibus, aut ægrotantibus, quantum opus habebant, subministraret. Inde autem conjecturam licebit capere, nunquam ab illa pactione recessisse, de qua ipse duobus post annis, cum adhuc Bononiæ juventutem regeret, ad Hispaniæ Assistentem, Franciscum de Montibus, sic Romanam scribebat XV Kal. Feb. 1770. *Quid ego senserim, quidve tenuerim in hac juvenum multitudine gubernanda, paucis tibi possim exponere. Id enim in conventione quadam vertitur, quam ipse cum Domino jam inde a commoratione Corsica inivi. Nempe ut eos ego a tentatione famis, aliisque id genus indigentiis, juvantem Deo, liberare contenderem: Deusque vicissim a reliquis temptationibus eosdem eripere dignaretur. Huic hactenus insistere conatus sum via, eandemque premam in posterum.*

Ad ea jam rediens, quæ Calvii preferenda fuerunt incommoda, hæc sane circa domorum angustias maxime percreuerunt, postquam eo regressi sunt Galli, ut rebellantes

Corsos subjugarent. Cum enim certæ pro militibus nullæ ibi essent stationes, plerique Sociorum vel suis ejecti sunt sedibus, ut eas Præfectis relinquenter militaribus, vel in arctissimam redacti fuerunt habitationem, ut locum darent ejectis. Quid tum Francisco acciderit, ipsius literæ ostendent, quas dedit eo tempore ad quemdam Societatis virum in continenti commorantem Italia, cuius industria bonam inde obtinuerat librorum copiam. Hic erat P. Aloysius Mozzius, qui deinde Bergomi ob egregias ipsius dotes inter Canonicos primum, modo autem inter Prælatos adscriptus, suum ibi otium optime collocavit, præclaris opusculis adversus protervam Janzenistarum hæresim, atque in piam Philosophorum xvi nostri sectam evulgatis, quæ multam apud sapientes, et apud ipsum Pontificem Max. Pium VI. commendationem promeruerunt. Huic ergo Franciscus noster ita Calvio scribebat. „ De nos, „ trorum accessione laborum, quos omnino negare non possumus, quantum tibi doleat, ex tuis literis manifeste perspicio. Sed tamen aliquam spero dolori tuo afferre consolationem, iisdem laboribus exponendis, et fortitudine commemmoranda, qua illi (diviræ Majestati sint laudes) perferuntur. Nusquam alio per Dei misericordiam laborum pondus gravius incubuit, quam in hanc domum nostram, quæ S. Aloysii Gonzagæ nomine distinguitur a reliquis. Nactus ego eram, ut universi juvenes, qui Theologiam discunt, eorumque Magistri sub eodem tecto reciperentur: et quod unice ad aliquam ipsorum deerat ccommoditatem, id tandem perfectum fuerat in matutino diei 26. Maii. Sed ecce tibi post meridiem ejusdem diei primæ Gallorum copiæ repente huc appelluntur, duabusque paulo amplius horis ab earum adventu, dimidia nobis domus eripitur: et qui adhuc satis degebamus anguste, nocte illa intra reliquam compacti dormum, angustissime pernoctavimus. Postridie vero coacti sumus totam vacuare domum, ab eaque dejecti, nullum, quem subiremus, locum habebamus. Eodem die Julianus Fonseca cum tironibus, et Rheticæ auditoribus, quibus præterat, jussus fuit ædibus suis excedere. Cum ii teneriores essent, de constituendo illis domicilio agi cœptum est ante omnia: eductisque ab una domo, ut in alias commi-

,, grarent, pluribus antiquiorum, prima illa juventutis portio
,, eodem die fuit collocata, ut etiam Philosophi omnes, quo-
,, rum domum Galli reliquerunt intactam. Erat autem, dile-
,, cte Pater, dolendumne dicam? an potius jucundissimum?
,, incanos videre senes, variisque oppressos valetudinum incom-
,, modis, qui suam libentissime deserebant habitationem, ut
,, eam cederent adolescentulis. Ego certe in transmigratione
,, illa, quæ brevi peracta est horarum spatio, duos eminere
,, affectus animadverti: singularem in senioribus voluptatem,
,, qua de veteri decedebant hospitio: et laudabilem in ju-
,, nioribus verecundiam, quod illorum occupare locum coge-
,, rentur. Omnia ad amussim exacta sunt obedientiaz, et sic
,, omnia cesserunt pulchre. Interea manebam ipse sub dio cum
,, Sociis circiter nonaginta, in quibus illi omnes erant, qui
,, theologicis vacant studiis: neque ullum pro iis erat recep-
,, taculum, in quo cibum, aut somnum caperent eo die. Sed
,, primum illud incommodum facile aliorum caritas, cumulateque
,, superavit: nec mihi tot licuit hospites concedere, quot se-
,, niores provinciaz Socii deposcebant, qui certatim omnes vo-
,, carunt ad prandium. Noctu pariter ad eosdem diverterunt,
,, præter nonnullos, quos retinui mecum in domo, quam eo
,, die contra spem omnem inveni, tantique conduxi, quanti
,, eam locare voluerunt Corsi: quanquam, pensione jam pac-
,, ta, proprius nihil est factum, quam ut hanc etiam Galli sibi
,, desumerent. Alias subinde, atque alias in vicinia conduxi
,, domos, quas rejecerant Galli: et sic tandem sub diversis
,, tectis, sed proxime inter se dissitis, omnes iterum congre-
,, gati fuimus. Eodem modo ad hanc usque diem, quamvis non
,, sine incommodis, habitamus. Nam primum extra tecta pro-
,, dire omnes debent, ut meridie, ac vesperi veniant in coe-
,, naculum, quod longum est ulnas septem cum dimidia, la-
,, tum autem sex, ut alias tibi, credo, indicavi. Aditum ad
,, illud præbent atriola duo, pariete divisa intermedio, cuius
,, partem demoliti sumus, appositisque ibi scalis ligneis, quas
,, nos ipsi fecimus, per eas descendimus in coenaculum. Hoc
,, sane adeo astuosum est, atque fervidum, ut confirmare ti-
,, bi possim, a furni similitudine non abhorrire. Et tamen in
,, eo ternaz quotidie scholaz de re theologica juvenibus ex-
pli-

„ plicatae fuerunt, et quarta de libris sacris. Deinde non minus molestum est (quod non nisi præfatus honorem dixerim) exonerandi alvi causa foras semper etiam per noctem ire; cum nulla sit in hac domo, neque omnino esse possit, ad requisita naturæ opportunitas, sed tantum in alia proxima, ex qua tamen immunditia quotidie efferenda sunt in mare. Jam illud dici vix potest, quam operosum sit appetum studiis locum reperire; non quod abacorum deficiat copia, quam in prima comparavimus domo; sed quia nusquam collocari sic possunt, ut necessarium lumen accipiant. Proinde juvenum alii super lectum operantur studiis, alii super scalas, nonnulli circum ipsam domum sedentes ad umbram, quam mane fundit in hoc latus, post meridiem vero in adversum. Præterea quotidianæ spiritus exercitationes non eo, qui nostri moris est, ordine haberi possunt; sed alii eas aliis in locis peragunt, prout cuique permisum fuerit. Etenim quamvis ædium domina conclave quoddam ad constituendam aram benevole nobis concesserit, id tamen ut plurimum frumenti acervis contractum est, et impeditum: unde ad audiendum Sacrum, divinamque percipiendam synaxim, necesse est, ut alij post alios ingrediantur. His accedit, quod eadem femina, ejusque ancillæ nonnunquam rei sacræ nobiscum adesse volunt. Contingit etiam interdum, ut, cum nos eo venimus ad discutiendum animum, ad litanias, vel novenarias fundendas precesses, illæ nihilominus in cribrando tritico prope nos ipsos pergant. Neque ab hoc eas opere detergere contendimus, sed potius habemus gratiam, quod in his rerum angustiis loci hujus quamvis incommodi liberum nobis usum permittant. Id tandem haud in minimis laboribus reponendum, nullam hic esse collocandis infirmis commoditatem. Sed Deus huic malo ita providit, ut ab eo tempore, cum a Galis ejecti sumus, nemo nostrum graviter ægrotaverit. In praesenti quidem plures quadraginta fluxu ventris laberamus; nullus tamen propterea grave quid patitur. Hactenus Francisci literæ: cuius humilitati tribuendum est, illud præterisse silentio, quod reliquis magno fuit exemplo, sibi autem, ut ego quidem existimo, jucundissimæ consolationi.

Quo

Quo die mutanda fuit sedes , ipse nobilibus humeris sellam imposuit , et manu peram apprehendit : eaque supellectili onus-tus , coram Gallorum ducibus , quibus non erat ignotus , in publicam processit viam , ut aliquid de labore suorum par-ticiparet . Illud etiam , quippe mitis erat et humilis corde , adjungere prætermisit : a militibus Gallis non admodum hu-maniter extra tecta se modo ejectum , qui ante illos sex an-nos tria Gallorum millia domi suæ liberalissime receperat .

Sed inter multas , nimiumque difficiles curas providendi tot Sociis de habitatione , de libris , deque omnis generis com-meatu , nihil unquam fuit ei potius , quam ut omnes suæ traditos potestati , ac præsertim juvenes intra religiosi fines officii sedulo contineret . Curabat ipse in primis , aliosque fi-dissimos adhibebat , ut Scholastici ab iis longe abstracti , quæ ipsorum animos male possent afficere , in divinarum rerum , et scientiarum tractatione diligenter exercearentur . Quæcumque spatia temporum aut pietatis officiis , aut Scholæ exercitatio-nibus , aut honestæ non darent recreationi , omnes intenti e-rant literario solvendo penso , quod Magistri singulis desi-gnassent . Idque inter graves molestias , et locorum angustias non modo constanter , sed libenter etiam , et alacriter pera-gebant ; cum sincerum Rectoris animum animadverterent , quo ipsorum commodis paterno semper invigilabat affectu . Habe-bantur etiam statis temporibus adhortationes , quarum ab ip-so Rectore , dum commoratus est Calvii , fere omnes habitæ fuerunt . Agebat in his plerumque de constantia in adversis , de servanda Deo fide , de amore vocationis vel inter succe-scentes ærumnas retinendo , deque aliis illi maxime tempori convenientibus : quæ omnia magno eloquentiæ robore , ac pa-ri fervore spiritus pertractabat . Disserebat aliquando contra quorumdam opinandi modum , qui per eos præsertim dies , cum urbs hostibus invadenda credebatur , licitum esse affir-mabant , fuga salutem querere , neque in notabili adeo re-rum omnium perturbatione criminis vertendum esse , si quis-quam a Societate deficeret . Hanc opinionem , vel errorem potius , dissimulandæ obtentum ignaviæ , dum acriter ac so-lide refutaret , in hæc verba cum vehementi animi commo-tione prorupit : *Si quando (quod avertat Deus) meditari*
me

me fugam audieritis, crura mibi, oro vos, ante confingite, quam gressum unum ad Societatem deserendam conficiam. Nec vero sine fructu fuit ejus in adhortandis ad perseverantiam subditis diligentia. Etenim inter laborum invicem sibi succendentium incursus, et, quod majorem ad perversendum vim habet, inter prava quorumdam exempla (quatuordecim eo tempore Calvio aufugerunt: Sacerdotes decem, quorum aliqui magisteriis, aliiisque honoribus decorati fuerant; duo tamen ad relictā redierunt signa: Logicæ auditor unus, et laici tres) omnes qui Francisco suberant, in quibus juvenum pars erat maxima, constanter in statione illa difficiili perstiterunt.

Ad extēnorū profectū spiritalem vix quidquam poterant Socii, quippe nondum vernaculæ periti linguae, nisi eos vitæ exemplis, ac precibus adjuvarent. Francisco tamen non defuit occasio perhibendi amoris intimi, quo religiosissimum Capuccinorum Ordinem semper fuerat prosecutus. Quidam eorum laicus, jubente Prætore Calvii, missus erat in vicina Corsorum oppida, ut literas ad Magistratus ferret, quibus Rex Christianissimus habitatores Insulæ ad obedientiam sibi debitam hortabatur. Sed primum ingressus oppidum, ne longius ad ingratam procederet legationem, in arctissimam custodiā traditur. Prætor, ut vicem redderet, Cœnobii Præsidem, qui natus erat eodem loco, in vinculis retinendum statuit, donec propinquai ejus et populares libertatem laico concessissent. Dimisit ergo milites in Cœnobium, non longe ab urbe dissitum, qui Custodem ad se adducerent, quem simul cum ejus socio detrusit in carcerem. Hispani lacrymas tenere vix poterant, cum tales viros nullo suo merito tam indecorē haberi conspicerent. Franciscus duos statim misit, qui vincitos suis verbis inviserent, et in afflictione consolarentur: cibum etiam, quo vires reficerent, suppeditavit: egresusque domo nihil non apud Gallorum præfectos effecit, ut e custodia venerabilem senem eriperet, qui paulo post in Cœnobium cum socio rediit.

C A P U T X I V.

Relicta Corsica, in continentem pertransit Italiam.

Qui dies sanctissimo Galliarum Regi Ludovico Nono sacer est, idem felix, faustusque fuit Hispanis, qui tertium-decimum jam mensem in urbe Calvio exulabant. Sub vesperum illius diei certus affertur nuntius, Christianissimum Regem (cui Genuenses vel ad certum tempus, vel in perpetuum cessisse Corsicam dicebantur) Jesuitas, in ea manentes Insula, omnes inde exportari decrevisse. Non æque certus erat nec profectionis dies, nec terminus deportationis. Quidam enim, inter quos ipse Præfector rei bellieæ, propediem discedendum esse affirmabant: et sane postera die conspectæ sunt naves Gallicæ viginti quatuor, quæ cursum ad eam Insulam dirigebant, e quibus tredecim intrarunt Calvium. Inde autem effectum est, ut Hispani non pauca, quæ in quotidianum sumptum comparaverant, vili pretio vendiderint: eademque postmodum, dilata per vicenos dies concensione, carius emere coacti fuerint. Ignotum pariter erat iisdem, quoniam essent devehendi. Nam Præfector navium, a quo id Ignatius Osorius, qui Sociis præterat, curaverat exquirendum, ad Liguriæ transvehendos esse respondit: sed ibi aderunt, adjunxit, qui locum vobis indicent, in quo sedem constituatis. Responsum hoc ancipites reddebat Socios super his, quæ paranda essent ad profactionem. Nam si Ligustica in ora consistenter, multa secum in navibus afferre poterant, quæ pro instruenda ibi domo deservirent. Si vero longius progredendum esset, frustra supellectilem illam assumerent, quam itinere terrestri nec tuto possent, nec sine majore dispendio deportare. Verum his, aliisque gravioribus prætermisis, quæ cunctis fere communia erant Sociis, ad ea, quæ Francisci magis sunt propria, deveniamus.

Conscensis medio Septembri navibus, et advenientibus qui Argajolæ, Adjacii, Bonifaciique conserderant, omnes a Cæsiæ litore ad oram Liguriæ secundis solverunt ventis: quamquam mare propter exortam paulo ante procellam ita con-

vulsum erat ac tumidum, ut in præcedentis anni multo longiore navigatione nunquam adeo violenter jactati fuerint. Francisco navis obtigit, quæ *Virgo de Gratia* nominabatur, in eamque illati fuerunt centum sexaginta Socii. His victimum subministrare per dies decem ab incepta navigatione, ita in se Galli receperant, ut omnes nautarum more habendi essent ex Trugueti decreto, qui Telone per id tempus rem maritimam administrabat. Propterea Franciscus convenientem commeatus copiam, quantum quidem obtineri Calvii poterat, intra navem immitti fecit, ut suorum commodis aliqua ex parte provideret. Illud tamen cavere nullo modo potuit, ne plerique vectorum satis incommodè pernoctarent. Navis enim, quamvis omnium esset maxima, postquam arcuæ, aliaque imposita fuerunt impedimenta, nonnisi collocandis septuaginta lectulis locum dabat: nec latius palmorum trium spatum singularis relinquebatur culcitis, quæ sine fulcro super ipsos navigii asseres sternebantur. Ne autem Sociorum pars major noctem extra lectum ducere cogeretur, Franciscus certas servari vices statuit, ut alii ad medianam usque noctem, alii reliquias horas lectulos occuparent. Nonnulli vero, qui suam aliis concedebant vicem, super navis foros integrum agebant noctem, lodice obvoluti, vel pallio, donec omnes sub tabulato manere coacti sunt a Navarcho pertimescente, ne quis in mare vehementi agitatione detruderetur. Sed inter molestias illas, et nautarum fraudes, qui reposita in Sociorum usum non semel expilarunt, constanti omnes procedebant animo, Rectoris impulsu exemplo, nullum aut lecti, aut mensæ incommodum recusantis, et adversa omnia lato vultu excipientis, tanquam a Deo profecta, in cuius laudes cum gratiarum actione frequenter erumperebat.

Post quartum molestæ navigationis diem Genuensem tenuerunt portum, in quo longiorem fecerunt moram, ventis obnoxii et imbris, sed habitaculi præsertim angustiis maxime coarctati. Rector, quoniam alia non poterat, hoc saltem arcere incommodum deliberavit: conductaque celoce capacioris alvei, quæ illuc Epidauro venerat, transvectos in eam Socios, quos Calvio secum duxerat, latius ibi, ac decentius collocavit. Hic etiam locum designavit in puppi, quo Magistri

stri aliquot, et seniores accederent ad prandendum; cum ipse interim aut in latere navis recubans, aut insidens tabulato, cibum juvenibus immisitus sumeret. Multa per eos viginti dies, quibus ad Genuam constiterunt, habenda fuerunt colloquia inter Sociorum Præpositos, et Gallicæ classis Præfectos: ad quæ plerumque Franciscus non modo ut peritus Interpres, sed tanquam præcipuæ auctoritatis Consiliarius adhibebatur. Suadebant initio Gilli, ut novis ibi conductis navibus, Centumcellas Socii contenderent, inde Romam brevissimo itinere perventuri. Quod Præpositis cum persuadere nullo modo possent, ab eis deinde petierunt, ut unciales argenteos quinque pro singulis Sociorum penderent ad necessarios itineris sumptus, donec Reipub. fines excessissent. Verum ne id quidem obtinere potuerunt, quippe inter Socios ipsos non derant, qui profectionem illam procurarent. Postremo Galli multas repetendi Telonis causas adducere, Sociosque urgere vehementer, ut in alia navigia pertransirent. His annuendum censuerunt Socii, relictisque Gallorum navibus, quæ novas in Corsicam advecturæ erant copias, Castellani in alias sex insiluerunt, pro quarum binis naulum solverunt Galli.

E navibus, decernente Reipub. Senatu, qui tantam hominum multitudinem ad eas redactam angustias contagioni iudicabat obnoxiam, receptis humaniter ægrotis intra urbem, cæteri ad proximum Lœmocomium translati sunt. Inde Franciscus post dies decem missus est ab Osorio Segestam Tigulliorum, ut tercentis, qui cum ipso adnavigabant, et aliis, qui subinde erant adventuri, hospitium ibi quæreret, ac de ratione ageret terrestris itineris ineundi. Utrumque ille, Belegerio Prætore amicam ei opem conferente, brevissime confecit. Segestam vigesima prima Octobris appulsus, ipse cum juvenibus, aliisque subditis in publicum Nosocomium divertit: aliorum plerosque ad Cœnobia S. Dominici, S. Francisci, Capuccinorumque Patrum destinavit, quorum omnium singularis fuit caritas erga Socios: nonnullos in Mercatorum quadam domo, aliisque privatis ædibus collocavit. Ut lemibi, quibus Socii advehabantur, litori propinquabant, procedebat ipse ad molem, indeque omnes ad designata diversoria dirigebat. Interea cum agasonibus, et jumentorum loca-

toribus egit: datisque et acceptis syngraphis, de vecturæ pre-tio usque ad Parmensium fines cum iisdem convenit. Post triduum, peractis jam quæ ad profectionem Sociorum omnium requirebantur, ipse ante alios cum bono suorum agmine iter arripuit. Sed quoniam hoc per salebrosos Apennini an-fractus habendum erat, divinam prius implorandam opem sta-tuit. Agebantur per eos dies magno populi accursu Noven-diales in templo Segestæ preces ad S. Aloysii aram, pii cu-jusdam civis impensis, ut Sociis, quos amabat intime, fau-sta omnia comprecaretur. Huc ergo, pridie quam discederet, cum Theologizæ candidatis omnibus venit: peractoque in ea-dem ara Sacrificio, singulos cœlesti Viatico contra imminen-tia periculosaæ viæ discrimina communivit: quod jucundissi-mum frequenti populo fuit spectaculum. Postera die, quæ Octobris erat vigesima quarta, cum iisdem Theologizæ studio-sis, aliisque ad septuaginta, Varesium, salvis omnibus, ve-nit. Aderat ibi Genuensem Antistes, qui Franciscum, et ali-quot Sacerdotes ad eum salutandum ingressos, benignissime accepit, et magna laborum commiseratione, quos mari terra-que jactati patiebantur, prosecutus est.

Sub auroram sequentis diei rem sacram fecit ad Virgi-nes Augustinianas, et nonnullos comitum incruenta Hostia communicavit. Inde per altissimum S. Crucis montem pro-gressi, et millia passuum emensi tredecim, Burgotarum inco-lumes pervenerunt. Hoc primum est Genua per viam illam egressis Parmensis ditionis oppidum. Ut eo ventum est, Fran-ciscus Doctorem Nolam convenit, quem delegaverat Dux Par-mæ Ferdinandus I, ut advenientes Hispanos exules decenti hos-pitio reciperet, et qua posset benignitate prosequeretur. Is autem votis piissimi Ducis obsecutus, tres bene spatiosas do-mos excipiendis hospitibus designavit. Ad eas Franciscus et viæ comites cum divertissent, paratos ibi lectulos, mensasque instructas, et reliquam supellectilem necessariam invenerunt: culinæ quoque ministras, et famulos, qui coenantibus inservi-rent. Præcesserant eadem via plerique Americanorum, qui nondum uncias acceperant argenti signati quindecim, quas Rex Catholicus singulis Sociis ad profectionem illam præceperat erogari. Propterea eorum multi, post calcatas ab extremis no-

vi Orbis partibus undas immensurabiles , breve illud , sed as-
perrimum iter pedibus confecerunt . Horum vicem miseratus
Dux Parmæ , præter victimum , et hospitium per diem integrum
gratis eis concessum , jumenta etiam , quibus ad Forum us-
que novum deveherentur , atque insuper octo argenti uncias
liberalissime donavit . Eximiam hanc benignissimi Principis lar-
gitatem , quantum poterant , imitati Burgotarenses , insignem
et ipsi misericordiam erga prætereuntes Socios exhibuerunt .
Nam cum plures interdum convenirent , quam quos designa-
ta hospitia commode caperent , Sacerdotes , et primores po-
puli certatim eos in suas ducebant domos , et humanissime ha-
bebant . Eminuit inter cæteros Dominici Tardiani , ejusque piæ
conjugis caritas incomparabilis . Hi enim , dum illac pertran-
sierunt Socii , octo plerumque suæ assidere faciebant mensæ :
sub finemque mensæ mittebant , qui vias oppidi concursaret ,
et quoscunque reperiret impransos , ad se advenire compelle-
ret . Fiebatque non raro , ut nonnulli denuo accederent , quos
vel inopia , vel pudor , ne cibum quærerent , detinuerat : eos-
que optimi Conjuges pari amore , parique liberalitate tracta-
bant . Idem infirmos aliquot domi suæ curandos suscepserunt ,
donec restituta omni fomentorum genere valetudine , incep-
tum iter possent pergere sine periculo . Apud eosdem diutis-
sime hospitati fuerunt Petrus Diazius , Joannes Lucas Guz-
manus , et Augustinus Cuesta : quorum ille a Peruviæ Sociis ,
alter a Paraquariis , tertius a Castellanis , et Mexicanis designa-
ti fuerant ad sarcinas custodiendas : earum enim pars maxima ,
quod alibi diximus , deficiente jumentorum copia , detinenda
fuit ibi , permissa unicuique manticula , quæ posset in ephip-
piis accommodari . Quid illis Tardianus fecerit , ab hoc uno
illius facto , quod ex Augustino ego accepi , facile agnoveris .
Renuebat is in frigidissimis Januarii diebus foculum , qui ei-
dem instanter offerebatur , intra suum habere cubiculum . Prop-
terea Dominicus , ejusque uxor vehementer illum urgebant ,
ut saltem ad caminum frequenter accederet , ad quem ipsi se-
dere consueverant . Quoties autem iteratis eorum cedebat pre-
cibus , Dominicus linteo , quod igni applicitum excalfecerat , in-
volutas Augustini manus , ut promptius undique calefierent ,
suis ipse manibus leniter comprimebat . Enimvero cum par-
vulo

vulo dilecto filio quid amplius, quæso, aut quid potuisset blandius efficere? Nec solum nobiles, et opulent, sed vulgares etiam homines, pauperesque feminæ pietatem in Socios pro suis quisque viribus exercuerunt. Alii enim aut panem, aut caseum prætereuntibus offerebant: alii vero aut unum, aut bina ovorum paria, aut minuta quædam æra donabant, quæ tanto erant pretiosiora, quanto magis dissimulanter intra galerum, dum audiendo Sacro intenti erant Socii, conjiciebantur. Tam prolixam et Principis, et sui populi beneficentiam, cum id suaderet locus, non potui, quin aliqua ex parte commemorarem: ut inter eos, qui nostra legerint, hoc saltem constet animi gratissimi testimonium.

Cum Franciscus Burgotari diem unum, sicut cæteri, restitisset, conductis ibi equis in biduum, profectionem ad diem VI Kal. Novemb. paraverat, et indixerat. Sed effuso imbre superveniente, non nisi V Kal. ejusdem mensis profecti sunt, qui dies Apostolorum Simonis, et Judæ memoriarum consecratur: indeque progressi, Forum novum duobus itineribus advenierunt. Tonus ille tractus frequentioribus clivis, quos eminentes asperant cautes, et horrore vallis altissimæ, per quam fluvius Tarus rapide volvit, ineptam ac deterrimam viam præbet itinerantibus. Accedebat per eos dies ex præcedentium imbrium copia lubricitas major, quæ per salebrosam crepidinem incidentibus et pavorem augebat, et periculum: cœnosi quoque lacus occurribant, quos prætervehi sine discrimine pauci admodum poterant in ea præsertim vel equorum apparatione nimis incommoda, vel equitum dexteritate non magna. In eo itinere Francisci labor fuit maximus; cum sollicita illius caritas ad aliorum cavenda pericula redderet intentissimum. Ubi cumque difficiliores aditus occurrisserent, præsto ipse aderat, aut etiam ad eosdem explorandos præcurrebat: ibique manens, donec præteriisset longissimus comitatus, admonebat omnes paulatim, cauteque incedere, continereque jumenta, ne duo simul, quod assueta erant facere, progrederentur. Sæpe alias huc illuc discurrens, modoque ad primos veniens, modo regressus ad ultimos, unumquemque consilio, aut ope, qua forte indigeret, adjuvabat. Neque ullus erat in toto agmine, quamvis hoc ex juvenibus maximam

mam constaret partem, qui dexterius illo vel desiliret ab equo, vel in eum rursus inscenderet. Equitandi peritia, quam adolescens adeptus erat, ut diximus, magno illi fuit usui, ut nunc sux, atque aliorum prospiceret incolumentati. Ipse enim per declivia, et ardua regebat equum ex arte, minusque proinde obnoxius periculo decidendi, facilis poterat, promptiusque cæteris subvenire. Quanquam nullus fuit, Deo bene juvante, in difficillimo itinere casus admodum periculosus. In tractu quidem fluminis adolescens, et Sacerdos, qui pone sequebatur, in cœca saxa impingentes, prolapsi sunt: sed inde, nisi quod uterque bene madidus emersit, sine ulla læsione corporis evaserunt. In his autem, cæterisque laboribus nulla major erat viatoribus consolatio, quam paternus sui ductoris amor, quo laborantium miserebatur, et auxilium, unde unde posset, afferebat. Postquam vero in diversoria pervenissent, ille omnes humanissime accipere, singillatimque salutare: de vario iterum eventu sermonem inferre: aliosque de perite moderatis equis, ne in præcipiti loco ruerent, collaudare; alios de susceptis etiam levibus offenditionibus consolari: sed præcipue Deo, et tutelaribus Angelis immortales gratias agere, quod fortunassent iter, atque omnes tandem, ut indesinenter ipse deprecabatur, de tantis periculis eruissent.

Forum novum ingressis, cum jam inde omnia plana et amœna essent, fere omnis est periculorum timor erectus. In conductis itaque curribus, ac rhedis Parmam prætervecti, primum Regii, deinde Mutinæ pernoctarunt. Regiensium tam effusa fuit erga omnes Hispanos exules benevolentia, ut nunquam interitura sit apud eos grata humanissimorum civium recordatio. In utraque illa urbe Itali degebant Socii, quorum conspectu coeperunt Franciscus, et ejusdem comites recreari. Collegium Mutinense regebat ea tempestate Joannes Granellius, Atestinæ Bibliothecæ Præfectus, editis Lectionibus sacris super historicis veteris Testamenti libris, aliisque politioris literaturæ operibus celebris inter nostri temporis eruditos. Is, cum audisset adventare Franciscum, magno stipatum juvenum comitatu, duos in antecessum miserat Adjutores ad diversorium, in quo recipiendi erant, ut eorum sarcinulas colligerent, in tutoque collocarent: Franciscum autem,

tem, ut in Collegium diverteret, invitavit. Sed excusavit ille suorum juvenum curam, ne oblatum hospitium admittere cogeretur. Postera tamen die, quæ Sanctorum universitati dictata erat, cum iisdem mature veniens in Collegii templum, ibi operatus est sacris, atque omnes coelesti mensa communicavit. Postmodum Granellius, missis in triclinium adolescentibus, ubi eis copiosum jentaculum apposuit, Franciscum, aliosque Sacerdotes secum duxit in cubiculum, ut eos potionē reficeret chocolati. Deinde quemdam e Collegii Patribus designavit, qui pèrigrinos ad Estensem deduceret Bibliothecam: multaque alia præstítit fraternæ caritatis officia, quibus Franciscum, et qui cum eo venerant, mire sibi devinxit. Hi paucō post in Collegium regressi, Orationem sacram audierunt, quæ de more habita fuit eo die in laudem Sanctorum omnium. Eidem interfuit Pontifex Mutinensis Josephus Maria Foglianus: cui discedenti obviam cum suis occurrit Franciscus, ut debitum ei reverentia obsequium exhiberet. Non potuit Antistes optimus eorum aspectu mijorem in modum non commoveri; genua quippe ante illum flexrant, ut moris est in Hispania coram Episcopis facere. Cœpit eos suavissime amplexi, sæpeque illi obortæ sunt lacrymæ, dum oculos præsertim conjiceret in adolescentes, quorum placidam modestamque lætitiam in tantis laboribus admirabatur. Beatos identidem appellabat, quibus talia pati contigerat: Deumque ajebat, prædestinationem ipsorum ad gloriam sempiternam iisdem laboribus confirmasse. Inter hæc, aliaque dulcissima verba, et iteratas benedictiones ab eis tandem discessit. Quidam huic simile accidit Regii, ubi etiam Episcopus ejus urbis Joannes Maria Castelvetrus nonnullos eorum videre voluit, qui tirocinium paulo ante absolverant. Tres ad eum missi cum Sacerdote, quos Præsul humanissimus paterna indulgentia diu secum, familiariterque detinuit, multa super exilio, et vario itinerum eventu rogitans: quæ omnia inten-
tis auribus, partimque libenti, partim miseranti auscultavit animo, donec, eorum collaudata constantia, et munusculis in singulos distributis, urbanissime illos dimisit.

Granellius post meridiem ad Idiaquezium veniens, pri-
mum illum perduxit ad salutandum Episcopum: deinde ad

Fe-

Felicem Antonium Biancum , qui Francisco III Mutinensem Duci a sanctioribus consiliis erat : postremo ad Principem Marianam Herculananam de Martiano , quæ Societatis erat studiosissima . Ubique autem magna cum benevolentia , et præcipui honoris significationibus exceptus est : deindeque urbani hujus officii fructum , quem mox videbimus , reportavit . In eadem urbe literas accepit a provinciæ Præposito Ignatio Osorio , qui Bononiam processerat , ut inde Sociorum Rectoribus certas in Bononiensi territorio sedes designaret , in quibus singuli cum attributis unicuique Sociis commorarentur . Scripsit ergo ad Franciscum , ut Panzanum cum omnibus , quos e Liguria secum duxerat , adveniret : his denuo adjuncti fuerunt aliqui , unde in eum locum quinque supra centum convenerunt . Est autem Panzanum in Mutinensis , Bononiensisque ditioris confinio , non longe a Scultenna flumine , pagus exiguus , qui Bononiz in temporalibus subest , in spiritualibus Abbari paret Nonantulano . Ad australem plagam in conspectu habet arcem Urbanam , paucisque inde ad orientem passibus Castrum Francum occurrit , quod aliis Forum Gallorum appellatur . Malvasiæ Comites , qui Bononiz tunc inter Senatoriæ familias recensebantur , præter alia , quæ Panzani possident , Villam ibidem habent prope Parochialem eadem ejusdem pagi , Sanctis Philippo et Jacobo Apostolis dedicatam . Franciscus ad eam Villam , ad quam pridie Sacerdotem unum , et laicos duos præmiserauit , cum manipulo suorum venit secunda die Novembris 1768 : duobusque in sequentibus diebus cœteri sospites , et incolumes advenerunt . Nullus erat , quin de contacto Pontificio solo , quod aliqui desilientes e curru venerabundi sunt osculati , vehementer sibi gratularetur : omnesque sub communi populi Christiani Parente , Clemente XIII , sedem pacificam , et tranquillam sibi vitam promittebant .



C A P U T X V.

De illius in Panzanensi Villa commemoratione.

Post labores, et errores varios, quos Franciscus per undeviginti menses terra marique subierat, ad eam modo regionem deportatus, quam et salubritas cœli, et soli ubertas, et incolarum humanitas exteris commendabilem reddit et appetendam; optatam demum quietem, et felicem rerum copiam pro suorum sustentatione sodalium facile assecuturus esse videbatur. Et tamen per menses non amplius undecim, quos in eo loco vixit, tam grave negotiorum pondus sustinuit, ut multorum frangendis viribus suffecisset: solam Francisci mentem tantæ molis capacem debilitare non potuit. In conquirenda vero supellectili, ceterisque domesticis rebus constitueris multas initio reperit difficultates, quas tandem labore, et industria superavit. Domus, quam intraverat inhabitandam, licet ampla et spatiose esset, modicam tamen præbebat hospitibus commoditatem. Facta enim pro æstivis præsertim ardoribus declinandis, longa constabat aularum serie, in quibus seni, vel octoni collocandi erant, nullo contra ingruentia jam frigora munimento. Cubicula vero, in quibus singuli habitare possent, aut bini, pauca erant, et ex iis quædam sibi dominus reservaverat. Nulla insuper utensilia præsternendis lectulis, nulla vel culinæ instrumenta, vel triclinii. His accedebat vestimentorum inopia, cum multi ea tantum haberent, quæ gestabant Calvii, ubi sub æstuoso cœlo leviter incedebant induiti: egressique inde, viatorias arculas, in quibus reliquam vestem incluserant, relinquere coacti sunt in itinere, neque illas ante quintam Februarii diem receperunt.

Cum tam multis simul esset occurrentum necessitatibus, Franciscus ita omnibus providere studebat, ut gravioribus potiorem curam impenderet. Et quoniam ex diffcili profectione defatigatis nihil magis necessarium erat, quam defessa curare corpora, nullam prætermisit industriam, ut suum unicuique stratum citissime appararetur. Tantamque in eo voluit adhiberi diligentiam, ut quinta nocte postquam primi

Pan-

Panzanum venerant, omnes aut laneam, aut stramineam ha-
buerint culcitam ad recumbendum, quanquam nondum fulcro
suspensam. His deinde fulcris elaborandis quemdam ab Oso-
rio Adjutorem obtinuit in fabrilibus peritissimum: quædam
etiam alibi compacta coemit, ut rem totam promptius expe-
dieret. Interea ipse nullum lecti fulcimentum admisit, donec
omnes ad unum subditi, ne Coquo quidem excepto, quale-
cunque illud levamen obtinuissent. Quin etiam culcitam, qua
farta solo stramine utebatur, dum aliquis ob contractam in-
valetudinem molliore indigeret lectulo, eidem jubebat appo-
ni, atque ipse interim in sella ducebat noctes, quod jam pri-
dem in Collegiis inter meridiandum assuetus erat efficere. Ut
facilius de lecto Sociis omnibus provideret, multum ei Gra-
nelli, multum Mariana contulit Herculana. Hæc enim stra-
mentarias culcitas viginti quatuor, ac totidem pro eis fulcra
dono misit: ille commodavit alias lana confertas, et Fratrem
Benedictum Corradinum per dies aliquot Panzanum misit, ut
Hispanos in disponendis lectulis, aliisque domesticis officiis ad-
juvaret. Quantum porro strenua illius opera sint adjuti, Fran-
ciscus in his ad Granellum literis die quinta Novembbris in-
dicavit. „Hodie proficiscitur Mutinam noster Benedictus Cor-
„radinus, quem multis nominibus nostrum appello. Noster
„enim dux fuit, noster hospitator, noster œconomus, nos-
„ter in comparanda supellectile, necessariisque rebus procu-
„randis, dignoscendisque monetis Doctor eximus, et ca-
„rissimus. Hodie, inquam, proficiscitur, data tamen fide
„quamprimum revertendi; illius enim opera, et adjumento
„per dies adhuc paucos indigemus. Etenim revera in hac
„regione vivendi tirocinium ponimus: indigent ergo tirones
„suo Magistro. Sat, superque (quæ Reverentia vestra fa-
„cilitas, et humanitas est) his omnibus significavi, quam vel-
„lemus omnes, ut per te Benedicto nostro quantocius rever-
„tendi facultas fiat. „Facta quidem illi fuit a Granellio, qui
beneficium hoc aliis etiam cumulavit. Vests aliquot Sacer-
dotales, et vasa quædam sacra Francisco dedit utenda, donec
alia pro domo sua comparasset. Illum etiam egregie juvit a-
pud Episcopum Mutinensem, quoties initiandi fuerunt juve-
nes, quos semper in Collegio suo liberali recepit hospitio,
ne.

neque unquam de Francisco , et illius familia benemereri pretermisit .

Dum is ea , quæ ad lectum pertinent , diligenter expeditare conabatur , omnem interea movebat lapidem , ut rem a liam , quæ sibi maxime cordi erat , deproperaret . Inter Socios , quos secum Panzanum duxerat , amplius sexaginta juvenes numerabantur , quos utilibus intentos studiis , quam primum fieri posset , desiderabat . Sed retentis Burgotari primum , deindeque in Foro novo plerisque libris , quos pro illorum usu Calvii comparaverat , novas modo tentavit vias , ne tandiu cessarent juvenes , dum ea volumina reciperentur . Propterea jam inde ab altero adventus sui die literas misit Bononiam , et Mutiam , ac postmodum Ferrariam , et in Germaniam , ut libros conquereret undecunque . Hac usus industria , et nullo unquam pondere deterritus impensarum , decentissimam Bibliothecam instruxit , quam deinde advectis Parma libris locupletavit . Sic potuit et literarium juvenibus aperire ludum , et extra ludum illos cum cæteris convenienti lectionis pabulo distinere . Nam et sacros , et profanos , et historicos , et asceticos , et varie vario idiomate literaturæ collegit libros , ut omnes opportunam haberent mentis pro singulorum conditione , ac pro temporum diversitate alimoniam . Sub idem tempus religiosæ vite actiones ita in ea domo ad usitatæ disciplinæ formam revocavit , ut omnia ibi perinde , atque olim in Collegiis , observarentur . Ut autem literarum , et virtutum studia majori omnes conatu , ac debita cum intentione susciperent , post aliquam requiem a laboriosa peregrinatione concessam , cunctis exercitium spiritus ex S. Ignatii formula per octo dies indixit . Inter cæteros Panzanum venerat Petrus Galatayudius , quem Franciscus per confragosos Apennini saltus lectica deportari , et in toto illo itinere mitius haberi curaverat , ut pretiosam ejus vitam produceret , quantum posset ; eumque deinde usque ad obitum domi sux retinuit . Nunc ergo illius uti opera statuit , ut juvenibus meditationum capita exponeret , atque omnes ad instaurandum fervorem animi suis adhortationibus incitaret . Qui cum esset in eo dicendi genere versatissimus , et nihil ab eo quisquam audiret , quod factis non videret expressum , mirum quam acres ad per-

fectionem stimulus subdiderit universis. Postquam hæc jacta fuerant virtutum fundamenta, tum demum Franciscus discipulos, et Magistros ad doctrinarum studia, scholasque convertit. Omnia denique in eum modum disposuit, quem ipse in literis indicavit, quas dedit ad Præpositum Generalem postridie Idus Decembres ejusdem anni. Inter alia suæ domus negotia, de quibus ad Præpositum referebat, hæc ibi adjunxit: *S. Ignatii exercitia omnes una peregrimus: constitutus est domesticarum actionum ordo: et consueto jam more literarum habentur exercitationes. Videor autem mihi sine ulla verborum exaggeratione dicturus, in bac domo ita omnia procedere, sicut posset in presenti rerum statu desiderari.*

Sed spiritualis ille recessus, cui Panzani vacarunt Socii, fabulæ occasionem dedit, cujus origo paulo altius repetenda est, ut his, quæ modo dicam, majus quoddam lumen accedit. Non diu post expulsos ab Hispania Socios, multa tentarunt Societatis æmuli, ut persuaderent populis, ad quos venturi erant exules, et exilium illud, et reliquias suorum fratribus calamitates non alia de causa in Jesuitarum capita recidisse, nisi propter intemperantes ipsorum mores, et audacem dominandi cupidinem, qua potiri omnibus, atque omnia perturbare conabantur. His quidem coloribus accedentes ad Corsicam depinxerunt, deindeque in Italiam pertransentes similibus pigmentis adumbrarunt. Sed et paucis ante Hispanorum expulsionem annis vir quidam nobilis, *Qui mores hominum multorum vidit, et urbes*, cum Roma in patriam suam reverteretur, famosum libellum per varias Italiaæ urbes disseminavit, in quo Monita quædam ad Principes continebantur, ut caverent sibi ab artibus Jesitarum. Neque apud Principes tantum, sed apud vulgares etiam homines Jesitarum nomen, et mores proscindebantur. Tanta erat, ac tam fœda librorum colluvies, quæ contra Societatem ea tempestate prodibat! Nempe illuc non pauci respicere videbantur, ut id aliqua ex parte perficerent, quod suadebat olim Jesitarum, et bonorum omnium infensissimus inimicus. Jesuitæ vero, qui se maxime nobis opponunt, aut necandi, aut si hoc commode fieri non potest, ejiciendi, aut certe mendaciis, et calumniis opprimendi sunt. (Calvinus Aphor. 15. de modo propagandi Cal-

Calvinismum.) Et quoniam ex perseveranti calumniarum iteratione semper aliquid hæret, ut vere ajebat protervus idem divinæ contemptor veritatis, multi de Jesuitis, quos nunquam introspercerant, ex calumniatorum sententia judicabant.

Inde autem effectum est, ut Panzanenses, apud quos Hispani Socii turpissime descripti fuerant, de illorum adventu perinde solicii essent, ac timidi, quasi ad eos profligatorum turma militum adventaret: precesque in ipsorum templo indictæ sunt publice, ut Deus pagum illum ab imminenti contagionis periculo liberaret. Tribus deinde ab adventu hebdomadis, cum Hispanos animadverterent diem unum, alterum, plures intra domum contineri, neque in agros, ut initio fecerant, prodire deambulatum; vehementer illi admirari, et curiosius in tam diuturni recessus causam inquirere. Cum autem audissent, *Jesuitas intentos esse exercitiis*, boni illi agricolæ, qui vix alia exercitia noverant, nisi quæ milites in proxima Urbana arce agitabant, firmissime persuasi sunt, aliosque in eandem adduxerunt sententiam, *Jesuitas Hispanos in spacio illo Palatio, quod arcis speciem aliquam referat, militari peragendo exercitio per dies aliquot incubuisse.* Sed hic error, quem rusticorum simplicitas peperit, apud eosdem non adolevit. Quam enormiter falsi fuissent, ipsimet cito agnoverunt, cum *Jesuitas alia omnia, quam militarem artem, exercere perspicerent*: cum viderent eos frequenter in templo divinis operantes, et ministrantes, longasque fundentes preces cum animi, et corporis modestia singulari: cum s̄p̄ illos aspicerent, dum prodibant in agrum, non plumbeos, sed precatorios tractare globulos, et Coronam Mariæ Virginis alternis recitare: nonnullos etiam colloquia secum miscentes audirent, quæ meram pietatem, et religionis studium redolebant. Duo tamen inter cætera valuerunt maxime, ut rusticani homines præpostoram exuerent opinionem, quam de *Jesuitis ob disseminatas præceperant detractiones.* Primum, quod ii mendicorum catervæ non modicæ, qui quotidie ad petendam stipem accedeabant, panem, et jusculum sub meridiem elargiebantur. Alterum erat exemplum Pastoris sui Josephi Belletti, rectissimi viri, et in curando suo grege diligentissimi. Is pro candore animæ, quem gerebat, fassus est ingenuus,

de

de adventuris hospitibus injectum fuisse sibi timorem , cum multa contra illos audisset , quibus ad creandam invidiam nihil esse poterat efficientius . Sed idem , simul eos agnovit , dilexit impense , atque intima cum illis conjunctus est amicitia . Sic autem eorum consuetudine capiebatur , ut apud suos , et apud exterros Hispanorum laudator esset perpetuus : multas enim ad amicos mittebat literas , in quibus de Jesuitarum moribus , et doctrina præclaram aliquam adjungebat commendationem . Inde vero Panzanenses incolæ , qui verbis Archipresbyteri sui multum ex merito deferebant , timorem cum Jesuitis agendi penitus deposuerunt , atque illos tanto amore prosequabantur , ut eorum discessum non minus acerbe tulerint , quam adventum .

Interea rumorem illum , qui Panzani ortus erat de militari Jesuitarum exercitatione , grandioribus deformatum mendaciis vulgaverat fama , quæ semper *Mobilitate viget , vires que adquirit eundo* . Nonnulli Bononiæ , atque alibi affirmabant , qui Panzani constiterant , Jesuitas bellica tractare instrumenta , igniferas habere cannas , et glandes æneas fabricari . His , credo , rumoribus permotus vulgaris quidam homo (nisi forte submissus fuerat ab alio , qui rem clanculum explorare percuperet) Castrum Francum venit , ubi tum multi conserderant Hispanorum : et quemdam ex Rectoribus remotis arbitris allocutus , confaciendique nitrati pulveris artem se callere præfatus , multis illum deprecabatur , ut aliquam sibi commendationem ad Panzani Rectorem daret , qua is ad conducendam in ministerium illud operam suam permoveretur . Tantam hominis aut fatuitatem , aut impudentiam Rector ille ferre non potuit : itaque severioribus acceptum verbis a se dimisit , ac de stultissima illius petitione Idiaquezium admonuit . Nihil hanc movit maligna susurratio , quæ Bononiæ latius serpebat in dies , et in aures etiam honoratissimas insiliebat . Almum Hispanorum Collegium regebat in ea urbe Joachimus Quintanus , qui multam apud Bononienses initiv gratiam , et multorum sibi junxerat amicitias . Venit is quodam die ad primarium civem , cuius eminebat dignitas inter exterros , eumque de prolusionibus bellicis loquentem audiit , quas Jesuitæ instituisse Panzani dicebantur . Renuebat iis ha-

be-

bere fidem Quintanus, cum sexenta alia contra Jesuitas jactata fuissent, quæ tandem inter calumnias enumeranda esse, dies ipsa prodiderat. Id tamen, reposuit illi vir princeps, exploratum equidem, ac liquido compertum habeo. Ad eam fortasse ditimendam controversiam, quæ Bononienses in diversa distrahebat studia, inducti sunt Senatores aliqui Panzani num cuin Malvasia Comite proficisci, ut Rectori, cuius illustre genus noverant, de adventu gratularentur, simulque de his certiores fierent, quæ multorum sermonibus spargebantut. Excepit eos Rector quanta potuit humanitate, nonnullisque sermonibus ultro citroque habitis, cubicula, et dormitoria, tamque perlustrarunt domum. Nihil in ea, quod religiosos dedecet viros, magnam imo vero multatum rerum inopiam observarunt. Nam plerique cæmeræ vel storeis, vel crassioribus linteis arcendo utcumque frigori distinguebantur: lectuli vel solo hærentes adhuc, vel stragulis male contecti. Pro ferreis fistulis multas Christi confixi æneas imagines suspexerunt: quod si voluissent curiosius investigare omnia, pro gladiis, præque falcatis ensibus non pauca reperissent inter Socios macerandi sui corporis instrumenta. Postquam domum undique inspexerant, ad habitaculum Comitis recesserunt: et cum advenit prandendi tempus, descendit ad eos Rector, qui familiare cum ipsis colloquium habuit. Tunc vero nobilissimi Senatores de scimuncuis per urbem sparsis, quibus nullam ipsi fidem adjunxerant, magno cum risu, ac pene cum indignatione fecerunt verba. Mirari satis non poterant, qui tandem commentum illud aut ab aliquo fingi, aut a quoquam pro certo reputari potuisset. Exinde malignus ille rumor Bononiae salt. m, ac per cunctem circa regionem omnino conticuit. Franciscus de hac fabula, quæ Matritum usque pervasit, sic postmodum scribebat: *Tropius nihil est factum, quam ut me Panzani Regem appellarent, sicut Nicolaum olim Regem appellaverant Paraquariae.*

Verum ipse majorem gerebat animum, quam ut calumniis dejici, aut ullis posset negotiorum molibus perturbari. Ad expediendas occurrentes necessitates, quæ in prioribus præser-tim mensibus pene erant innumerabiles, tanta hinc industria, tanta inde tranquillitate incumbebat, ut aliis cessare nunquam,

alii

aliis nihil moliri, videri posset. Cum Italice nondum perfecte nosset, satis prolixas, beneque digestas fere quotidie mittebat literas Latinas, Hispanas, Gallicas pro personarum conditione diversa, ad quas illæ dimittebantur. In eis publica suæ domus, et aliarum, atque etiam privata multorum negotia pertractabat: nec solum de comparanda supellectile, conquirendisque agebat libris, sed etiam de Sanctorum imaginibus, de ciliciis, ac flagellis, et aliis, quæ ad pietatem faciunt, obtinendis. Non pauca super conditionibus locatæ domus ad Comitem Malvasiam scripsit: quem etiam deprecatorem apud Senatum adhibuit, ut liceret sibi boves cædere, vel arietes pro solo Hispanorum usu, qui Panzani commorabantur. Multa etiam scribere Burgotarum debuit, ut eos in operandi modo instrueret, qui remanserant ad sarcinas: et postquam, rese-ratis arculis, scripta omnia sublata fuerunt, nihil intentatum reliquit, ut ea recuperare niteretur. Osorius quoque multa illi per id tempus demandabat, ut habitationem Sociis quæreret, qui substiterant ad Castrumfrancum, donec sedes iisdem certæ designarentur: ad quas ipse nonnunquam profectus est inspiciendas; de aliis per locorum peritos cognoscebat. His accedebant salutationes non infrequentes, quarum aliquot suadebat urbanitas, alias vero domesticorum caritas exigebat. Cum prope arcem habitaret Urbanam, officii sui duxit Præfectum, et Centuriones invisere, quos deinde propensos expertus est ad obsequium. Adveniente postmodum ad lustrandum præsidium illud Ignatio Boncompagno Ludovisio ex Plumbini Principibus, qui Bononiæ Prolegati munere fungebatur, ad eum quoque salutandum accessit cum plerisque Rectoribus, qui remanserant Castrifranchi. Perhumaniter eos accepit generosus Juvenis, multaque grati animi dedit indicia ob eam delati sibi honoris significationem. Sed multo frequentior erat Sociorum ex aliis provinciis, et maxime transmarinis, ad Panzani Villam adventus, ut Franciscum reviserent, quo Magistro in tirocinio, vel alibi usi fuerant, aut etiam ut eum de facie nossent, cuius erat inter ipsos fama celebratissima. Multi quoque ad Petrum veniebant Calatayudum, cuius scripta legerant, et facta modo suspicere, contemplative ora desiderabant. Liberaliter excipiebat omnes

Franciscus, ac ne quid inde detrimenti caperet domus illa, omnibus ære suo alimenta subministrabat. Nihil tamen mirabilius erat, quam hominem innumeris intentum rebus, nulli non diligenter insistere, ac simul cum hospitibus ita familiariter, atque humaniter agere, quasi nihil aliud instaret agendum.

In primo post adventum mense quiddam aggressus est, quod Osorius præmaturum existimavit: ideoque conatum ejus tantisper inhibendum censuit, unde nobile quoddam obedientia, quamvis Francisco minime inusitatum, eluxit exemplum. Nonnulli erant juvenes, quibus in Hispania propter ætatem ad Sacerdotium aspirare non licuit: iis multo plures accesserant Calvii, ubi theologica studia non pauci absolverant, et nullus erat, a quo promoveri possent, Sacrorum Minister. His omnibus a Corsica discessuris spem fecerant Osorius, et Idiaquezius obtinendi Sacerdotii, cum ad continentem devenissent: quod iisdem incitamento fuit maximo, ut gravissimas profectionis hujus molestias majori cum alacritate perferrent. Indicto postmodum in ditionem Pontificiam itinere, quibusdam illorum dixit Osorius, sperare se ad proximum Natalem Domini sacris eorum primitiis esse adfuturum: et Franciscum, quem præcedere cum juvenibus jussit, hujus etiam gerendi negotii opportunæ occasione jusserat imminere. Is ergo, perspecta benevolentia, quam erga juvenes ostenderat Episcopus Mutinensis, cum eodem rem illam feliciter conficiendam esse sperabat: et quanquam nihil tum Antistiti significavit, cum ad eum ingressus est alloquendum, de his tamen cum Granellio egit, qui de obtinenda petitione certissimum illum reddidit. Post non multos dies Panzanum venit Osorius, ab eoque Franciscus interrogavit, possetne Mutinensis Præsulis animum explorare circa juvenes ad sacros Ordines promovendos? Quod cum probasset Osorius, ille sub Novembris finem ad Episcopum scripsit, et epistolam secunda Decembbris die Castrifranchi reliquit, ut inde Mutinam mitteretur. Sed nondum perlata erat, cum novas ipse accepit literas a Granellio, qui Episcopum alloqui præoccupaverat, eumque ad obsequium ita promptum invenit, ut proximum decimi mensis jejuniorum triduum pro conferendis Ordinibus designaverit. His acceptis literis, Franciscus juvenibus suis diem indixit, intra quam pericu-

ticulum subituri essent de re morali: et Rectorem illum, sub quo alii juvenes initiandi tertiam probationem agebant Castrifranchi, ut idem ipse faceret, admonuit: ac sine mora de his omnibus ad Præpositum Osorium scripsit. Huic præpropera visa est Francisci diligentia, et in presenti rerum cursu non admodum opportuna. Nam iidem ili juvenes, qui Castrumfrancum venerant ante mensem, propter immodicum locationis pretium in eadem manere domo non poterant, ac pereos dies in aliud erant oppidum migraturi; quod inopportunum erat, ut se legitime ad recipiendos Ordines præpararent. Propterea Osorius Idiaquezio rescripsit, ut quantum posset eniteretur pro differenda sacrorum Ordinum celebratione: simulque illi significavit, ne plus justo suis juvenibus indulgeret, qui nimis avide Sacerdotii apicem desiderabant.

Responsum hoc Francisco nonnullum doloris sensum injecit, ut ipse in literis ad Osorium ingenue testatus est. *Id tamen, ajebat, nibilo me segniorem efficiet ad obediendum. Quod si aliquid, aut vero aliqua singillatim nosti, de mea nimia erga juvenes indulgentia, scis profecto, posse te de his me libere conuocere: et ego commonitionem tuam libenter accipiam.* Hic erat Francisci nostri erga maiores suos animi candor, et ingenuitas. Ut autem Osorii mandatum exequeretur, hanc denudo dedit epistolam ad Episcopum Mutinensem.,, Illustrissi,, me Præsul: Explicare scribendo minime possum, quot grati,, animi significationibus, et quo latitiae sensu ex literis Par,, tris Rectoris ad me datis cognovimus tuam illam eximiam,, benignitatem, caritatemque insignem, qua dignatus es res,, pondere, paratissimum te esse ad sacros Ordines juvenibus,, nostris conferendos. Pro hoc beneficio magnas tibi, et im,, mortales gratias et agimus, et habemus. Sed tua ipsa hu,, manissima caritas, quæ illis initiandis dies 17. 18. et 21. ,, designat, in difficultatem non levem nos conjecit. Certio,, rem feci de tua adversus nos benignitate Patrem Provincia,, lem, qui prope Bononiam degit, et quem justissime urget diffi,, cultas tam cito beneficium tuum accipiendo. In eo videlicet,, cert difficultas sita est, quod sat temporis non intercedit ante,, statas dies, quo possint præmitti examina, et ea omnia,, quæ pro more, et instituto nostro præmitti debent ante,, quam

„quam candidati ad sacros Ordines accedant. Imo pars ini-
 „tiandorum, quæ in hac domo degit, exercitia quidem spi-
 „ritualia jam peregerat: sed pars altera eorum, qui Theo-
 „logiæ curriculum absolverant, non potuere exercitia incho-
 „are. Collecti fuerant interim in quandam Castrifranchi do-
 „mum prope Panzanum; sed hodie domo carent, et in
 „quodam diversorio publico versantur, hodie, vel crastina
 „die profecturi, et recepturi se in Castrum S. Joannis, ubi
 „pro illis quædam domus nuperime conducta est. In tanta
 „sane rerum, et itineris perturbatione vix, aut ne vix qui-
 „dem sperari poterat, ut se ad sacros Ordines tam paucos
 „intra dies rite compararent. Quapropter, Illm Præsul, a te
 „etiam atque etiam efflagito, ut æqui bonique habeas con-
 „cedere inducias, quas postulare cogimur. Erit tempus op-
 „portunum, quo tanta ista tua benevolentia uti possimus.
 „Interim non solum meo, sed præsertim Reverendi Patris
 „Provincialis, et totius Provinciæ nomine gratias iterum at-
 „que iterum ago pro singulari tua caritate, qua exules pe-
 „regrinos, et afflictos recreas, atque erigis. Deus O. M.
 „te quam diutissime incolumem tueatur. Panzano 8 Decem-
 „bris 1768.

Ex hujus narratione facti, quæ pluribus exequenda fuit, ut manifestius paterent omnia, videre hinc licet integritatem Osorii, qui notam inurbani non timuit in retardando beneficij usu, quod ei conferebatur, ut ne aliquid eorum prætermitteret, quibus ex Societatis lege probandi erant juvenes, antequam ad Sacerdotalem gradum ascenderent: inde vero perfectum obedientiæ studium, quod hic Franciscus noster, ut sæpe alias, ostendit. Cum enim purgare se potuisset apud Episcopum Mutinensem, exposita simpliciter Osorii responsione, qui tam promptam celebrationem Ordinum non probabat, nullam in eum voluit offensionis partem rejicere, quam subvereri poterat ex recusato Præsulis beneficio. Imo vero sententiam Præpositi sui justissimam duxit, eamque tueri conatus est, et efficacium rationum pondere confirmare. Itaque omnes obedientiæ fideliter explevit numeros, cum et imperata prompte sit executus, et ad illa exequenda voluntatis et intellectus firma adhæsione incubuerit. Hinc etiam promissam obe-

obedienti viro victoriam reportavit. Nam Episcopus Foglia-nus allatas a Francisco rationes æquissimas reputavit, eidem-que humanissime respondit: Quod efficere Decembri mense promiserat, quovis alio tempore, quod ipse, ac Reverendus P. Provincialis opportunius existimassent, æque libenti animo præstitum. Datam fidem exsolvit proximo Februario 1769, benevolentissime receptis juvenibus quotquot ad eum missi fuerunt pro Sacerdotali dignitate obtinenda, quos deinceps in filiorum loco habiturum se esse promisit.

Franciscus in illa Panzani solitudine multa meditabatur, ac tentabat multa, ut aliorum exulum commodis inserviret; sed eorum maxime, qui tirones in exilium ea conditione ve-nerant, ut nihil essent a Catholico Rege pro annua susten-tatione percepturi. Nondum tertium egerat in eo loco men-sem, cum has dedit literas ad P. Jacobum Andream, qui Ro-mæ negotia Societatis Hispaniensis procurabat, et tunc in Æ-miliam missus fuerat, ut de constituenda exilibus sede cum Præpositis ageret provinciarum. „Procul, inquit, a Panzani „finibus (cum Panzanensis ager hujusmodi non ferat fructus) „quædam mihi venit aureorum summa, in eorum præsertim „missa subsidium, qui carent pensione regia. Et quanquam „tota meo relinquebatur arbitrio, tamen et donatoris menti „congruentius, et Deo acceptius fore existimavi, si ea disper-„tiretur. Propterea commodam nactus opportunitatem, id mi-„si ad Bæticos, quod ipsorum olim tironibus respondere ju-„dicavi. Ex Toletanis nemo erat, cui non solveretur pensio. „Quot vero essent inter Aragonienses, quibus ea non pende-„retur, jam diu est, cum a Josepho Pignatelio per literas „exquisieram: ab eoque tandem intellexi, esse viginti septem. „Pro his mitto tibi aureos itidem viginti septem, quos puto „esse Mediolanenses, neque illorum agnosco pretium, nam „hæc ipsa moneta est, in qua ego donationem accepi. Ef-„fice, precor, ut ad Pignatelii manus perveniant, in eorum, „quos dixi, opem aliquam impendendi. Vellem equidem am-„plius iisdem mittere: sed quanto pluribus subveniendum fuit, „tanto minus potuit ad singulos pertinere. Hoc tibi certo „confirmare possum, beneficij auctorem ad id elargiendum „fuisse permotum ex amore Societatis, et miseratione filiorum „ejus

, ejus , quorum precibus commendari Deo vehementer cupit . Noluit Franciscus benefactorem in his literis indicare , vel quia latere volebat ipse , vel alia forte de causa , quæ in ea tempestate silentio illum præterire suadebat . Nunc autem nihil prohibet dicere , munus illud , ut ex ephemeride apparet , quam Franciscus Panzani scripsit , profectum fuisse ab Aloysio Mozziō , qui Theologiam eo tempore Mediolani audiebat , deindeque ob indefessum tuendæ avitæ religionis studium clarissimum assecutus est nomen , ut alibi significavimus .

Quanquam omnibus sine ullo provinciarum discrimine subvenire Franciscus pro viribus studebat , præcipuam tamen industriæ suæ partem ad eos sublevandos convertit , qui sine pensione venerant ex provincia Castellana . His multa erogabat ipse , de summa illa detrahens , quam pro privatis suis necessitatibus liberaliter a propinquis recipiebat . Sed cum hac satis esse non possent , ut omnium occurreret indigentiis , difficile dictu est , quam ingeniosa ejus caritas fuerit , ut aliorum animos ad misericordiam excitaret . Ab eo jam tempore cum Romam profectus fuerat ad comitia Societatis , nonnulla intercedebat ipsi cum Bristolensi Comite necessitudo , quem Taurini noverat Oratorem Regis Anglici , ubi cum illo sermones aliquot habuit familiares . Missus deinde Comes ad legationem Hispanam , de Francisco nonnunquam colloquebatur cum ejus fratre Granatensi Duce , quem rogabat etiam , ut multam illi salutem , cum ad eum scriberet , suis verbis impetraret : et aliquando Franciscus ad Comitem ipsum scripsit . Veterem hanc recolens amicitiam , non dubitavit literas modo ad Bristolensem mittere , in quibus largitatem ejus commemorans , quam Taurini erga miseros exercebat , ac præsertim erga religiosas Virgines Capuccinas , orabat eum , ut aliquam beneficentię partem in eos vellet adolescentes ostendere , qui perpetuum exilium amplexi fuerant sponte , ut constantes in religiosa vita genere permanerent , quod matura deliberatione suscepérant . Ego quidem , addebat , nullius egeo , cum frater meus Granatæ Dux , consentiente Rege , ita mihi succurrat , ut aliquorum egestatem levare possim , non tamen omnium . Hoc idem in aliis iterabat epistolis , in quibus collaudata constantia juvatum , et exposita illos alendi difficultate , suppliciter opem aliquam

quam implorabat. Cum per id tempus publici afferrent numeri, Cardinales de Corduba, et de Solis ad electionem Romani Pontificis adventuros, literas disposuit, quas tradere utriusque cogitabat, cum illi Mutinam, aut Bononiam devenissent. Inopiam subiisse (ajebat eorum alteri) non erubesco: sed inde valde conturbor, quod eidem subjectos viderim meos in Christo fratres. Neque ideo aliquid pro hac domo peto, in qua mediocriter ex pensione regia sustentamur. Hoc unum deprecor, ut in subsidium juvenum viginti sex, qui nulla pensione gaudent, nonnihil velis pro liberali pietate tua concedere. Has tamen literas ad Cardinalem non misit, cum is Romam prefectus sit alia via. Ad alios etiam scripsit, ut opem his juvenibus impetraret, quos gravissimae tentationes, et labores asperrimi nunquam a vita proposito deterruerant, proindeque digniores erant, ut aliorum sublevarentur auxilio.

Cum deinde Præpositus Generalis ex indulto Pontificio facultatem fecit exilibus Sociis, ut stipendium pro dicenda Missa possent accipere, non segnis fuit in ea captanda occasione, ut juvenibus, aliisque indigentibus opitularetur. Et quoniam Bononiensis regio, aliæque Pontificiæ ditionis urbes plenæ tunc erant Jesuitis non solum Siculis, Parmensibus, Neapolitanis, et Hispanis, sed etiam Lusitanis, quibus quotidianum Missæ stipendium unicus fundus, et unica erat pensio; ne his forte detimento esset, longius procedendum sibi esse duxit, ut Missarum quereret stipendia. Uno die literas sub eodem exemplo dedit ad Præpositos provinciæ Mediolanensis, et Sardiniae, et ad Rectorem Collegii Taurinensis. Quarum literarum hæc erat clausula, quæ diligentem Francisci curam in his tractandis rebus ostendit. „Quod si integrum tibi fuerit aliqua stipendia mittere, vellem primum, „ut mihi mitterentur per epistolam, quam vocant Cambialem, „alicui negotiatori Bononiensi datam. Deinde, ut per privatam „alteram epistolam mihi indicetur numerus dicendarum Missarum, et stipendium pro unaquaque. Insuper an Missæ celebrandæ sint pro defunctis, vel propter alios fines. Haec enim cautelæ mihi proderunt, ne in scrupulos aliquos, vel dubitationes incidam, atque ut melius obligationibus satisfaciām. „Nonnullas etiam misit epistolas ad quosdam Germanos.

manæ Socios, præsertim ad Antonium Bozizium Collegii Ter-
gestini Rectorem, a quo stipendia quædam pro Missis accepit,
et eleemosynas aliquot sine ullo concessas onere: quas tamen
ille certo Sacrificiorum numero rependendas curavit. In his
autem Francisci ad Bozizium literis, præter sinceram et in-
nocuam ejus festivitatem, videre licet illius grati animi ma-
gnitudinem, quam semper ad Ignatii exemplum, quod sæpe
ipse commemorabat, erga bene de se meritos exhibuit. Quod
unam, aut alteram ejus epistolam proferentes, abunde pos-
sumus confirmare.

Septima Augusti die 1769 ita Bozizio scribebat. „ Vix lo-
„ cum concedis gratiis agendis, cum ecce iterum gratias age-
„ re cogis. Certas mecum, tecum certo. Sed cum ego gra-
„ tiarum actione, et memori animo certo, certas tu benefi-
„ ciis, et pecuniis certas. Do manus, et non solum perho-
„ norifice, sed etiam utilissime succumbo, dum tu palmam,
„ ego pecuniam tuli. Accipio nempe tuam epistolam die 26
„ Julii datam, summasque collatas a Patribus Angerero, et
„ Foreggero, quibus per literas grati animi testificationem si-
„ gnifico. Cum te in hoc caritatis certamine victorem appell-
„ laverim, fidus profecto armiger non tam honoris, quam grati-
„ animi causa, nominandus mihi est iste tui Collegii Minis-
„ ter, qui tam impigram operam, tantamque diligentiam adhi-
„ buit in levatione nostra procuranda. Vale plurimum. „ In
altera, quam paulo post ad eundem misit, sic inter alia loquitur.
„ Quanquam in alia 16 Augusti data, mihi auctor sis, et auctor
„ profecto iniquus, ut obsequio accepto, gratiarum actionis
„ ne meminisse quidem deberem; tamen probe noveris, fore me
„ omnino nedum pietatis, sed etiam humanitatis sensu abhorren-
„ tem, si id mihi culpæ adhæreret, ut tuorum me caperet obli-
„ vio beneficiorum, quæ a te per injuriam, et per modestiam
„ obsequia appellantur. Neque minor et injuria, et modestia
„ tua est, cum me erroris insimulas inde, quod nollem deposi-
„ ta nostrorum eleemosynæ causa imminutum iri. Parco qui-
„ dem injuriæ, modestiæ parcere non possum. Rea illa est,
„ et rea erit, quando ita fuerit mecum locuta. Profiteris te
„ in tua admonitione jocari: non negabo in mea me nugari
„ objurgatione. Cum adducar ut credam, accepturum me ali-
„ quas

,, quas literas a Patre Angererero, tunc iterum scribam isti Pa-
,, trifamilias, qui te teste, et me experto, profert de thesau-
,, ro suo nova, et vetera. Tu vero, optime Pater, ne pre-
,, termittas amplissimas ei agere gratias pro novissimis stipendijs.
,, Missæ autem statim celelabuntur, nam ut Sacerdotes His-
,, pani in proverbio habent, cum carent stipendijs, Coronas
,, vacuas habemus.,, Ex iis agnoscit etiam potest egregia pie-
tas Tergestinorum Patrum, et illorum caritas vere germana,
qui de raudusculo peculii sui detrahere non dubitarunt, ut
inopiam suorum fratrum sublevarent. His autem, aliorumque
subsidiis necessitati subventum est indigentium, donec Fran-
ciscus, et literis, et rogatoribus interpositis, a Catholico Re-
ge tandem obtinuit, ut omnibus, qui de tirocinio venerant
in exilium, annua pensio perinde, ac cæteris, solveretur.

C A P U T X V I .

Bononiae sedem sibi, suisque constituit.

Quanquam Panzani recte omnia procedere videbantur, cum et interius disciplinæ vigeret ordo, magnusque esset ad literarum studium ardor, et exterius benevolentia incolarum accederet, qui novos hospites mitifice diligebant; Francisco tamen justis de causis solitudo illa non admodum probabatur. Dolebat illi multorum non leve incommodum, quod ex ipsa domus constitutione capiebant: multi enim hiberno tempore aut nullum poterant contra frigora munimentum objicere, aut convenienti erant ad legendum, et scribendum luce privandi. Pro comparando necessario victu, Castrum francum ad duo fere millia quotidie procedendum erat obsonatoribus, semelque per hebdomadem Bononiam agendum erat iter quindecim millium: quod in illa domestici tenuitate census non modicum addebat quotidianis sumptibus incrementum. Alia his non levioris momenti accedebant, propter quæ Franciscus in animum induxit sedem illam relinquere, aliamque conquerire, ubi suos ante futuræ hiemis frigora collocaret. Postquam in Centensi urbe, ad quam ipse profectus

est, frustra egerat de conducenda quadam domo, quæ recipiens Panzani Sociis opportuna judicabatur, cogitationes suas ad querendum Bononiæ domicilium tota contentione redegit. Sed antequam illud obtinere potuisset, quasi Deus in exercita ejus obedientia, probandaque patientia, et humilitate gauderet, graves adeo superandæ fuerunt difficultates, ut et virtutum illarum ope, et inexsuperabili constantia sua opus fuerit, ut res tandem ad exitum perduceretur.

Noverat ex literis Præpositi Societatis ad Osorium, qui eas cum Francisco ipso communicaverat, commorationem Sociorum in Bononiæ urbe a Generali non improbari; quamquam nulla erat in his literis de Scholasticis expressa mentio. Osorius idem, cum Panzani domum inspiceret, gratissimum sibi fore indicaverat, si pro Theologiæ auditoribus obtineri posset Exercitorum domus, quam habebant Bononienses Socii tirocinio S. Ignatii continentem. Franciscus, qui de pente Asceterio illo jam antea cogitaverat, his maxime incitatus, consilium suum omni ope promovere perrexit. Sed cum hoc, postquam multa tentaverat, nulla via succederet, nihil remissius conversus est ad aliam ibi domum perquendam. Eam industrii cujusdam discipuli sui opera, qui Bononiæ degebat, tandem invenit, et ducentis aureis Romanis conduxit. Vix tamen transacta erat pactio, cum literas accepit Roma, quibus admonebatur, non placere Præposito Generali, ut studiosi Theologiæ juvenes Bononiam deducerentur. His literis, quæ minus constantem virum non modice perturbassent, nihil ipse visus est commoveri; sed statim animum ad indicatam Præpositi voluntatem exequendam tota intentione virium induxit. Proinde ad discipulum, qui Bononiensem domum conduxerat, sine cunctatione scripsit, ut quocumque honesto modo posset, ab inito contractu resiliret. *Si melior est, ajebat illi, obedientia, quam victima, pro comperto tenendum est, potiorem etiam esse, quam aureos. Videte igitur (alloquebatur simul Panzani Procuratorem, quem ea de causa Bononiam miserat) quanam iniri via possit, ut a contrac-ctu recedamus, oblata etiam aliqua pecuniae summa pro his, qua bactenus confecta fuerunt. Neque vos angi velim, aut nimium super iis, quæ promittenda sunt, litigare.... Osculemur.*

Dei

Dei manum, qui vos diu incolumes servet. Talis erat illius tranquillitas in adversis, et tam submissa erga Deum reverentia!

Discipulus mandata Magistri sui non continuo credidit exequenda: sed prius ad eum scripsit, et quanta potuit eloquentia vi, persuadere conatus est, ut Praepositum Generalem certiorem redderet, quem in locum adducta res fuisse; cum sperari prudenter posset, ut, his cognitis, sententiam mutaret suam, ne ipse cum tanto dispendio, et, quod praecipuum erat, cum ingenti dedecore tam cito a fide data discederet. Hæc sane minime contemnenda videbantur, et quemcunque alium, non que solida virtute praeditum, maxime permovissent. Quantum vero apud Franciscum effecerint, ex ejus literis agnosci poterit, quas decima octava Julii ad discipulum misit. Praerat is cuidam Sociorum domui, quam vocabant Martyrum Japonensium: atque huc alludens Franciscus, ita suam epistolam auspicabatur: „Noli, quæso, con-„tendere, ut in Japonia tantum sint Martyres: sine, ama-„bo te, ut Panzani quoque inveniantur. Hic jam ex me ha-„bes, de sinistro conductæ domus eventu nonnihil humani-„tus doluisse; sed cruorem mihi floere nondum aspicio. I-„gnoscite mibi, Patres: quid mibi expedit, ipse novi. Non „equidem diffitebor, vetus hoc Anachoretarum axioma non „raro velamen esse, quo fraudulenter judicium proprium ob-„tegitur. In præsentia tamen ab ea fraude videor mihi pro-„sus immunis., Post hæc rationes adducit efficacissimas, ex doctrina S. Ignatii super electione rerum sumptas, propter quas ostendit, nihil movendum esse ulterius, neque oportere se rursus ad Generalem scribere (ad eum paulo ante scripsérat, cum agebatur de obtinenda Exercitorum domo) sed illius voluntati se plene, perfecteque submittere. Deinde sic pergit: „Animus, qui fidus esse solet, nescio quid mihi præ-„sagire, ac pro certo spondere videtur, hanc obedientię „cæz occasionem inter illas annumerandam esse, quas so-„let Deus felici exitu secundare. Denique benigne feres, o-„pinor, quod in hoc tibi morem non geram. Etenim, ut „tibi vel intima manifestem, super his, quæ ad consulen-„dum honori meo pertinent, quædam habeo cum S. Paren-

,, te Ignatio fœdera constituta, que violare nullo modo ve-
,, lim . , His innixus erat humilitatis, et obedientiae firmis-
simis fundamentis.

Nec vana fuit spes illa felicis exitus, quam animo præ-
sentiebat. Quasi enim unice voluisse Deus Francisci nostri,
ut Abrahami olim, tentare obedientiam; postquam illum ad
obsequendum in re difficile paratissimum vidi, magna facta
est, et insperata rerum conversio. In ipso S. Ignatii natali
die, cuius ob reverentiam decreverat de tuendo honore nun-
quam contendere, cum Procurator, et discipulus a conduc-
tione domus nondum abiissent, liberam habuit a Præposito Ge-
nerali facultatem cum suis omnibus Bononiam commigrandi.
Hoc accepto nuntio, nonnullos eo misit, qui de accommo-
danda, et instruenda curarent domo, antequam ad eam ve-
nirent cæteri. Sita erat in S. Felicis via, ex adversum fere
Parochialem ædem S. Nicolai: et quanquam tunc spectabat
ad Comitem Franciscum Aldobrandum, tamen a Fontanello
quodam nobili Mutinensi viro, qui eam olim habuerat, Fon-
tanelli domus appellabatur. Ad eam Septembri mense Panza-
no venerunt Socii, exceptis juvenibus, qui tertium Theolo-
giae cursum absolverant: hi enim recta profecti sunt Brito-
norium, ut Sacris initiantur, indeque sub initium Octobris
ad Fontanelli redierunt domum. Nullum Francisco erat du-
biu[m], quin Episcopus Foglianu[s] juvenes illos, si ad eum
missi fuissent, libenter promovisset ad Sacerdotium, ut jam
antea cum aliis fecerat. Sed cum certo aliunde nosset, hanc
ejus humanitatem in Aula quadam fuisse improbatam, noluit
benemerentem Præsulem immeritis exponere quermoniis. An-
nuente igitur, probanteque Osorio, Sacerdotem quendam mi-
sit cum literis ad Episcopos Romandiæ, inter quos facile in-
ventus est, qui ad humillimas ejus preces infleteretur. Fran-
ciscus Episcopus Britonensis de Comitibus Columbanis
prompto, libentique animo recepturum esse respondit, quo-
quot ad eum pro suscipiendis Ordinibus mitterentur. Nunc
ergo duodecim juvenes, qui ad eum missi fuerant, ad Pres-
byteratum evexit: deincepsque omnes, qui ad Sacerdotium
promovendi fuerunt, pari benignitate consecravit.

Interea Franciscus noster, qui nullam de aliis benemerent-
di

di occasionem prætermittebat, profectionem suorum ad Bononiensem domum acceleravit, ut Panzani locum daret nonnullis, qui eo venire valetudinis causa desiderabant. Rogatus fuerat a Laurentio Uriarte (is familiam ducebat adolescentium, qui Philosophiam discebant in Lavinis) possetne aliquos tantisper domi suæ recipere, dum afflictas vires cœli mutatione reficerent. Cui Franciscus incunctanter respondit, non solum ægrotantibus, sed cunctis etiam, qui ad Lavinum habitabant, libenter se domum illam concessurum, quam propediem relinquere cogitabat; et ex conventionis jure usque ad ultimam Octobris lucem poterat retinere. Cum igitur plerosque suorum Bononiam præmisisset, et qui Theologica studia conferant, in urbem Centi, ubi tertium probandi erant, destinasset; antequam ipse inde discederet, Mutinam profectus est, ut Antistiti Fogliano, Rectori Granellio, aliisque benevolis valediceret. Ad Vicarum etiam Nonantulæ adivit, et Præfectum Urbanæ arcis, et alios, quorum benevolentiam expertus fuerat, dum in sede illa permanxit, debitisque illorum humanitati gratiis persolutis, eam memori semper animo colere repromisit. Demum trigesima die Septembbris 1769 Panzano Bononiam venit, mœrentibus, ac dolentibus illius Parochiæ incolis, qui Francisci beneficentia, ejusque ac Sociorum moribus ita fuerant capti, ut perpetuam in eo loco mansionem illorum esse desiderassent. Præ cæteris Archipresbyter Bellettus doluit, qui se felicem tales adeptus hospites reputabat, proindeque ipsorum modo ferebat ægrius desiderium, et abeuntes multis est lacrymis prosecutus. Ad memoriam vero facti hujus in subsecutura tempora transmittendam, inscriptionem in templo posuit, quæ Sociorum adventum, commemorationem in pago illo, et discedentium vota pro felicitate Panzanensium indicabat.

C A P U T X V I I .

De his, que Bononiae gessit: ubi provinciam iterum suscepit gubernandam.

Quam hactenus secutus fuerat in administratione sui meritis viam, eandem Bononiæ tenuit, eique perseveranter insistens, æqualem industrix suæ fructum reportavit. Erga potestatem Ecclesiasticam, et Civilem, quod efficeret solitus fuerat ubique, debitum observantia officium promptus exsolvit. Nam primo post adventum die ad Archiepiscopum, et Prolegatum adiit, ut illis reverentiam, et convenientem utrique submissionem exhiberet. Domi vero, in quam præter aliorum competentem numerum, juvenes convenerant sexaginta novem, haud minorem, quam alibi, adhibuit cum, ut religiosarum vigeret legum observantia. Sacellum erexit, in eoque aliquot aras constituit, quarum una sedes assidua erat augustissimi Sacramenti. Huc Socii quotidie recurrabant, ut meditationibus sacris insisterent, ut divina participarent, vel celebrarent, ut preces Mariæ Virgini, cunctisque Cœlicolis funderent, ut animum iterata examinatione discuterent, ut lumen pro rebus dubiis, solatium ac robur pro adversis impetrarent. Huc etiam conveniebant statis diebus ad audiendas adhortationes, in quibus de religiosi viri officiis cum perfectione adimplendis agebatur. Neque his contentus ad promovendam virtutem adjumentis, alia quædam privatum Franciscus usurpabat, quæ non minus ad domestici decorum ordinis efficiebant. Nam hos modo alloquens, modoque illos, nunc obsecrans, nunc etiam arguens, unumquemque ad præscriptum servandum, atque ad explenda diligenter munera stimulabat. Multam etiam operam dabat, ut inter juvenes florarent studia literarum, quæ non segnius in illa domo, quam Salmanticæ olim, urgebantur: nisi quod ad ea certamina, quæ ineunda erant more academico, ab externorum concursu justis de causis abstinentem censuit; solunque provinciæ suæ Magistros, ut cum propugnatoribus manus consererent, ad vocabat. In his vero, quæ ad sustentandam honeste vitam spe-

spectant, memor illius pacti, quod in Corsica inivisse cum Deo diximus, nunquam deparcus erat in subministrando victui necessaria, neque in iis animi relaxationibus permittendis, quæ viros non dedecent religiosos. Sed dum ipse aliorum commodo, vel sui negligens, benigniter studebat, ferventibus interea votis Dominum obsecrabat, ut supernis eos adjuvaret auxiliis, quibus et Diabolicas superarent insidias, et ad destinatum perfectionis culmen studio nunquam intermisso contenderent.

Ut expeditior esset ad curam domesticorum, quantum ipsi prudentia permitteret, et urbanitas, ab externorum familiaritate abstinebat. Quoniam vero inter multos, qui ejus consuetudinem expetebant, non omnes excludere decenter poterat, ita nonnullorum salutationibus, et collocutionibus indulgebat, ut neque frequenter, neque diu cum illis ageret, opportuneque misceret inter loquendum monita, quæ animum ad cœlestia revocarent. Et quam obtinebat apud eos gratiam, ad patrocinandos convertit exules, quos non semel eorum auctoritate defendit, quibus ipse familiariter utebatur. Peculiaria patrocinii hujus commemorari possent exempla, nisi præstaret, recenti adhuc rerum memoria, nihil super his dicere singillatim. Non tamen eodem pede, quo cives, Societatis homines metiebatur, quibus et facilem ad se aditum dabat, et frequentius hanc officiorum vicissitudinem exhibebat. A primo in urbem adventu Rectores omnes invisit, qui Collegii præterant Italorum: deincepsque omnes ad unam adivit domos, quas Hispani, cujuscunque provinciæ forent, aut intra urbem, aut in ejus suburbii incolebant. Omnes enim pari amplectebatur affectu, atque omnibus facto ipso significabat, inter Ignatii filios, quamvis regionum, aut provinciarum diversitate discretos, quanta esse deberet animorum consensio conjunctioque voluntatum. Diligentissimus etiam erat in aedium, et consolandis ægrotis: quod si omnes, propter excedentem eorum numerum, adire ipse non posset, mittebat aliquem, qui verbis suis inviseret, et subsidia, quæ ab eo sperari poterant, offerret. Adeo nota erat illius circa ægrotantes cura, ut qui minimo labore vellent de infirmorum numero, deque illorum valetudine agnoscere, satis haberent unam

nam Francisci domum adire, in qua certa de his erat, exactaque notitia. Multi etiam, antequam eum quavis alia de causa convenienter, diligenter inquirebant de infirmorum statu, qui in ipsorum vicinia erant, ut interrogationibus satisfacerent, quas super his facturum esse minime dubitabant. Sed dum agrotos omni ope fovere studebat, nullum erat auxilii genus, quod non libenter cæteris exhiberet. Hic etiam per literas ad pios amicos subsidia perrexit querere, quibus indigentium occurreret necessitatì. Ab eis non pauca pro celebrandis Missis recepit stipendia, inter quæ jure quodam præcipuo memoranda sunt plurima diversis accepta temporibus ab illustri Confessore Christi P. Nolhaco, qui Avenione, dum Parochi munus ad S. Symphoriani cum insigni animorum fructu perageret, a sicariis Jacobinis de Valleclausa impie cum multis aliis Catholicis fuit trucidatus medio fere Octobri 1791.

Dum his Franciscus, aliquique caritatis operibus, ac præsertim debilioribus confirmandis erat intentus, novum subire onus debuit, quod illi propter adversam temporis conditionem, et aversum maxime ab honoribus animum non poterat non esse gravissimum. Februario extremo anni 1773 designatus est a Præposito Generali, ut iterum provinciæ suæ assumeret præfecturam. Et quoniam perspecta illi erat hominis indebet in modestissima, in privatis ad eum literis: *Spero re, ajebat, electionem hanc, quamvis molesta tibi sit, fore admissurum, atque omnem reluctantis animi oppositionem esse a te pro bono tuae provinciæ superandam.* Hæc tamen satis non fuerunt, ut Franciscus sine ulteriore deliberatione delatum sibi munus admitteret. Voluit prius Petri Calatayudii sententiam exquirere, quem habebat domi, semperque suspicerat ob ejus vitæ sanctimoniam. Sed quia is eo tempore, receptis jam Ecclesiæ Sacramentis, ad supremam horam appropinquabat (eodem die vivere desiit) per Emmanuelem Ibarzabalem, qui Petro erat a confessionibus, quæsivit ab eo, quid sibi consuleret efficiendum. Cum hæc audisset Petrus, ad imaginem Christi crucifixi convertit oculos, diuque tacitus in illius obtutu perseveravit. Emmanuelem deinde compellans, hoc ei responsum dedit: *Sic dices Patri Rectori Francisco Xaverio: orasse me Dominum, ab eoque petuisse lumen, ut recte ad interrogata respon-*

pondeam. Dens autem mibi significavit, debere ipsum demandatam provinciam suscipere sine tergiversatione, et cum perfecta judicii, ac voluntatis obedientia. Et quoniam non ignorat, Deum sibi materna dedisse viscera, ut suorum facile misereatur, dilatet animi sinus, laboretque ad Dei gloriam, nihil ex calamitosa presentium temporum conditione deterritus, sed confidens potius, quod Deus sua causa prospiciet. Quando vero Pontifex, et Rex Catholicus conati fuerint . . . Hic eum interrupit Emmanuel, cum deliquio proximum animadverteret, quod frequens illi erat per eos dies. Illam autem abruptam propositionem non dubitabat Emmanuel, ad ulteriores respicere calamitates, quæ postmodum Societati supervenerunt, et quas superna luce prævidisse Petrum existimabat. Quod ne quis temere a se dici suspicaretur, hanc afferebat opinionis suæ confirmationem. Loquebatur ipse cum Petro, paulo antequam is regrotaret, de laboribus, et molestiis, quæ Sociis eo tempore inferebantur. Tum Petrus, curvato præter solitum corpore, dolenter in hac verba prorupit. *Alius adbuc superest haustus amarior.* „Obstupui ego, inquit Emmanuel, totusque ad eam „Petri vocem exhortui. Neque assequi cogitando poteram, „quisnam amarior haustus imminere adhuc posset, cum amarioris calicem usque ad faces ebibisse nos crederem. Sed quæ „nobis evenerunt deinceps, vim omnem et sensum illius verbis manifestissime mihi aperuerunt. Nulla deinde fuit opportunity tunitas Petrum super his, quæ nortitus dixerat, amplius „interrogandi. „Hæc omnia Emmanuel Ibarzabal, qui Petri socius fuit in missionibus per Hispaniam, deindeque nunquam ab eo disjunctus est in exilio, commendata literis, et propria manu subscripta reliquit.

Ad ea jam, quæ Francisci propria sunt, revertentes; cum is de voluntate Dei prudenter dubitare non posset, humeros subiecti oneri, quod latus non erat diu, sed neque sine dolore acerbissimo depositurus. Sub idem tere tempus, quo ipse provinciam administrandam suscepit, a Clemente XIV designatus fuerat Vincentius Cardinalis Malvetius, Archiepiscopus Bononiensis, ut ergi Socios Italos, qui Bononiae, Centique degabant, Apostolici Visitatoris munere tungeretur. Nostrum non est, hic ea persecui, quæ Bononiae acta sunt eo tempo-

re : illa tantum obiter attingemus, in quibus Franciscus caritatis, et prudentiae sue nonnullum specimen dedit . Cum decrevisset Malvetius ut Novitii omnes, qui ad S. Ignatii educabantur, relictæ Societatis veste , in domos suas quantum primum dimitterentur, venit eo Franciscus, ut afflitos adolescentes, quo poterat notio, consolaretur . Longum cum eis colloquium habuit, libentissimeque obtulit domos illas, quas Hispani vicinis in oppidis habitabant, ut ad eas diverterent ex itinere. Opportunam liberalitatem omnes grato animo collaudarunt : et cum ea uti statuissent, qui profecturi erant Mutinam , statim ille Castrumfrancum scripsit ad Franciscum Gonzalium , qui Sociorum ibi erat Rector, ut advenientes juvenes exciperet perhumaniter . Misit is quosdam, qui venientibus obviam procederent, et in domum suam deducerent, in eaque ab omnibus habiti sunt humanissime . Postquam tirones in patriam quemque suam remiserat Cardinalis, de juvenibus egit exaucitorandis , qui Rhetoricam discebant, et Philosophiam . Contendebat initio, ut Jacobus Belgradus, qui Rector illorum erat in Collegio Sanctæ Luciæ, religiosa spoliatos veste in parentum domos cogeret proficiisci . Sed negabat is, licitum sibi esse quemquam suorum nullius culpe reum , e religionis clastro propellere: proindeque nunquam ad rem adeo insolitam inducendum , nisi ex Apostolicis literis , quas exhiberi sibi frustra petierat, eam esse Pontificis voluntatem , agnosceret . Perseverantem in sententia Belgradum Cardinalis in publicum detrusit carcerem: indeque post aliquot horas eductum, extra urbem, ac diocesim Bononiensem relegavit . Deinde juvenes intra Villam quamdam prope urbem inclusit, ad eamque nonnullos ire jussit religiosos viros, qui curam illorum agerent, et ad Societatem inducerent deserendam .

In tam gravi Sociorum luctu, qui communis erat omnium ordinum civibus, Franciscus noster , quanquam et ipse vehementi dolore pressus, nullum, quod in praesentia praestare posset, fraternali caritatis officium prætermisit . Statim ad Collegium S. Luciæ quosdam suorum misit, qui moerentibus Patribus consolationem aliquam adhiberent . Nec multo post ipsemet ad eos venit, prudentique oratione conatus est eorumdem x gritudinem delinire: opem etiam, atque operam prom-
pto

pto animo collaturum promisit , siquid fieri a se posse crederent , ad eam tristitiam temporum mitigandam . Juvenes adire non potuit , qui detenti erant in Villa , cujus in aditu excubabant milites , et satellites , ne quis ad interiora penetra ret : neque ideo auxilium aliquod iisdem non contulit opportunum . Romanus quidam Præsul , cui nota erant , quæ Sociis Bononiæ fiebant , juvenibus scripsit literas , quibus eos ad perseverantium adhortabatur . Has literas ad Franciscum nostrum nescio quis Roma direxit , ut securius ad juvenes per venirent : illeque industria sua perfecit , ut eis tutissime redherentur . Sed vero illi juvenes non multis incitandi erant , ut in officio permanerent , cum jam inde a primo certamine demonstrassent , non facile a religionis proposito dimovendos . Quo die captus , et in exilium missus erat Belgradus , longam ad eos orationem habuit Archiepiscopi Vicarius , ut relicta Societate , ad propria reverterentur . Nemo tamen fuit inter eos , quem Vicarii verba permoverint , omnesque una voce dixerunt : nisi certo , legitimeque nossent , id a Pontifice Summo decerni , nunquam a Societate , in qua Sacramentum Deo dixerant , recessuros . Cum deinde ad Villam pertraherentur , nonnulli aderant Hispani Socii , qui abeuntibus inter lacrymas , et amplexus felicem exitum precabantur . Tunc unus adolescentium non sine Hispanorum ingenti gaudio respondit : *Novimus , quid Palentia gesserint tirones Villagarsien ses : Deoque bene propitio , eosdem imitari speramus* . Neque horum quisquam in decertando fuit illis impar , cunctique pre cibus , et suasionibus cuiusdam viri fortiter obstiterunt , donec tandem armata militum manu religiosis spoliati sunt vestibus , et nolentes in paternas abire donos compusi .

Timendum erat nec immerito Hispanis Sociis , ne suis etiam adolescentibus idem , quod Italos , eveniret . Propterea Franciscus , ut in tantis periculis nullum prudentiæ officium non adimpleret , omnibus provinciæ sue juvenibus breviculum hoc tradidit describendum , quod a singulis propria manu signatum servari jussit , ut illud , si quando usus posceret , exhibere possent : „ *Cum Eminentissimus et Reverendissimus Do minus Cardinalis Archiepiscopus Bononiensis mihi infra scripto intinaci pro parte sua jusserit , ut deponam vestem So*

„ cietatis Jesu , itemque mihi concedi dispensationem veterum
 „ religiosorum , quibus secundum ejusdem Societatis Consti-
 „ tutiones obligatus sum ; peto humillime , et cum debita tanto
 „ Principi reverentia legitimam exhibitionem alicuius Chirogra-
 „ phi Pontificii , vel similis documenti , quo En intentissimus
 „ sit munitus , et quo mature considerato , conscientia mea ad
 „ respondendum coram Deo conquiescat , et sit secura . De
 „ cætero , si predicta mihi exhibitio non concedatur , reveren-
 „ ter protestor , intimationi me non consentire , sed omnino
 „ repugnare . Eminentissimumque precor etiam , atque etiam ,
 „ hanc meam protestationem æqui bonique ducere non dedi-
 „ gnetur . „ Quanquam vero Malvetius contra Hispanos ju-
 „ venes nihil aggressus est eo tempore , non ideo quiescebant
 Sociorum animi , quibus suspecta erant omnia , et gravissimi
 undique timores incutiebantur . Multi non levibus , ut puta-
 bant , rationibus inducti , vehementer suspicabantur , omnes His-
 panæ Socios eo esse adigendos , ut tandem aut Societatem de-
 serere , aut pensionem regiam amittere cogerentur . Franciscus ,
 ut contra timores illos suorum animos obfirmaret , brevi quo-
 dam scripto demonstravit , non nisi imprudenter , et cum in-
 juria Catholici Regis timeri posse , ne is exilibus Sociis assi-
 gnatam pensionem detraheret , dum illi Sanctionis legibus ob-
 temperarent , in quibus nulla erat ejurandæ Societatis adjun-
 cta conditio . Si tamen , eam apponi aliquando posse , quis
 fingeret , non ideo , ajebat , debere aliquem de statione recede-
 re , sed in ea constanter perseverare . Id manifestis probabat
 Constitutionum verbis , in quarum sexta parte cap. 2. num.
 10. sic ait S. Ignatius : *Purati sint ad mendicandum ostiatim ,*
quando vel obedientia , vel necessitas id exiget . Et in Exam.
 cap. 4. num. 26. Cum enim , qui primi in Societatem convene-
 runt , per hujusmodi indigentiam , et penuriam majorem rerum
 corpori necessariarum probati fuerint ; qui post eos accendent , curare
 debent , ut quoad poterunt , eo pertingant , quo illi pervenerant ,
 vel ulterius etiam in Domino progrederiantur . His rationibus , et
 exemplis tam generosos spiritus inter provinciæ Socios exci-
 tavit , ut hi parati essent mendicitatem potius amplecti , quam
 Societatem relinquere , si quando ad alterutrum impelleren-
 tur . Ac de his certior factus Præpositus Generalis non po-
 tuit ,

uit, quin egregiam Francisci curam in promovendo vocationalis studio meritis laudibus celebraret.

Alia insuper Franciscus præstítit, ut Socios contra non-nullorum conatus præmuniret, paratus interim ad ea, quæ Christi Vicarius decerneret, exequenda. Sic ipse testatus est Cardinali M lvetio, cui negotiū datum esse credebatur Jesuitas suæ diœcesis ad alios Religiosorum ordines pelliciendi. Eademque asseruit, parem submissionem ad Pontificis iussa exhibendam esse ab omnibus sibi subditis, pro quibus se fidjessorem constituebat. Id omnes effectu comprobarunt, cum se dolenter quidem, sed prompte Pontificio decreto submiserunt, quo tandem suppressa est Societas a Clemente XIV. Decretum illud indictum Bononiæ fuit Sociis 25 Augusti: et Franciscus post quartum diem, secularibus indutus vestibus modestissimis, ad Malvetium venit, eique fideliter, juxta decreti formulas, obtemperaturum esse promisit. Hac tam prompta obedientia, aliisque submissionis exemplis, quæ per eos dies ediderat, Cardinalis animum ita sibi devinxit, ut deinde propitium, ac benevolum expertus fuerit. Pridie quam abolitionis decretum promulgaretur, per literas admonuit Socios, ne se deinceps Superiorem agnoscerent, sed fidum reputarent amicum, qualem se omnibus, et singulis ex animo exhibere spondebat. Statimque officium illud, nec rogatus ab aliquo, diligenter obire cœpit. Quippe usus benevolentiae significatiōnibus, quibus eum Malvetius prosequebatur (aliquando in amicitiæ signum osculum ori ejus impressit) facultates aliquot, et privilegia quædam ab eodem obtinuit pro Hispanis omnibus, qui Bononiensem intra diœcesim exulabant. In his præcipua fuerunt, ut Oratoria conservarent, quæ in ipsorum domibus erecta fuerant: ut in esorialibus, aliisque diebus exceptis vesci ovis possent, et lacticiniis, et ad conditendos cibos liquatum laridum adhibere. Quæ deinde Cardinalis Joannetus, Malvetii successor, rogatu Francisci confirmavit.

C A P U T X V I I I .

De illius vita ratione post abolitam Societatem.

R eligiosis vestibus incredibili cum dolore depositis, neque ideo religiosos exutus mores, in eadem Fontanelli domo cum multis aliis, tanquam unus eorum, aliquandiu permansit. Deinde cum sufficienti sociorum numero in alias pertransiit ædes. Hoc sane consentaneum credebatur menti Pontificis, qui extinctæ Societatis individuis vel in antiquis ipsorum dominibus convivere permittebat, dum ab earum administratione abstinerent, nec solita cum proximis exercent ministeria. Is autem vivendi modus, ut plures sub eodem tecto habitarent, Hispanis exilibus maxime erat necessarius; cum ad patrias reverti donos prohiberentur, et tenuitas proventus annui non facile sumptus aquare posset, quos alias facturi essent in conductis novis ædibus, ac servis, et in domestica supellectile comparanda. Verum tamen exente Junio 1775, jussi sunt omnes antiqua dissolvere contubernia, severeque interdictum, ne plures, quam terni, eandem domum incolerent. Franciscus eodem die per amicos habitationem aliam fecit inquirere, certus noctem illam extra domum suam traducere, vel si ad cauponam divertere necessarium esset. Sed inventa, conductaque nova domo, ad eam ipso die pertransiit cum duobus sociis, quibus deinde, consentientibus Ministris regiis, adjuncti sunt alii duo. Cum eis in Bononiae urbe, quamvis interdum ædes mutare coactus fuerit, usque ad felicem obitum perseveravit.

Ubicunque autem degeret, nunquam a diligenti cessavit perfectionis studio, et in aliorum curanda salute pro ratione temporis adlaboravit. Ad promovendum animi sui profectum hac plerumque occupationum serie utebatur. Mature de lecto surgens, primitias ejusque diei Regi seculorum offerebat, e-jusque perfectionibus contemplandis, et beneficiis grato animo recolendis longa mora insistebat. Postmodum, abstersis confessione sacra conscientiae maculis, ad aras operabatur: et inter agendas gratias, Sacrificium alterum auscultabat. Post hæc, brevi sumpto ientaculo, recitabat cum socio diurnæ Psalmo-

dix partem , quæ tempori conveniebat . Reliquas ad meridiem horas lectioni plerumque dabat , vel scriptio n , nisi quid aliud suad ret caritas , aut prudens . Quotidie tamen , dum ei per vires licuit , ante meridiem pro libat in templum maximum , ut Dominum suppliciter adoraret . Quod cum deinde propter pedum imbecillitatem non posset efficere , consuetas nihilominus domi fundebat preces , et intra cubiculum manens , Deum suum Danielis more adorabat . Post meridiem deambulationem aliquam ad tuendam valetudinem usurpabat , vel invisebat æ grotos , aut alios etiam , quibus debitum esset illud urbanatis officium . Persolutis jam cæteris precibus Sacerdotalibus , iterum studiis dabat operam usque ad cœnam . Sed in prima noctis hora non pauci ad eum conveniebant amici , quos excipiebat humaniter , ac libenter : quanquam sæpe , facta illis inter se loquendi libera potestate , pergebat ipse legere , vel scribere , nihil interea propter amplitudinem mentis a colloquientium rumore perturbatus . Post cœnam , in qua multis annis solo pane , et potu modico reficiebatur , disserebat cum domesticis familiariter : et antequam somnum caperet , discutiebat animum , et matutinæ meditationis argumentum ex pio aliquo libro desumebat . Præter quotidiana pietatis opera , quotannis Novendialia quatuor cum suis contubernalibus celebra bat , et cum iisdem per dies octo peragebat S. Ignatii exercitia : aliosque ut idem facerent , consilio et exemplo suo permovit .

In quotidiana cum cæteris consuetudine facilis , et humanus erat , nullo diurni imperii sapore retento , multoque minus mundanum redolens faustum , aut aliquam ex natalium dignitate jactantiam . Nunquam passus est Ducis , vel Excel lentia titulo denominari . Quod si quis eum his vocibus aliquando compellasset , non facile illas iterum usurpabat , ut molestiæ nimirum parceret , quam inde ipsi creari ex ejus vultu , et verbis fere indignantibus agnoscebat . Nam quæ semel pro Christo abjecerat , noluit ea rursus propter hominum respectum assumere : et quam hactenus libentissime professus erat humilitatem , in eadem usque ad mortem perseverare constituit . Hac etiam de causa neque pretiosam aliquam vestem , neque ullam elegantioris formæ voluit unquam admittere . Sive domi ,

domi, sive extra illam esset, pullo semper, talarique incidebat habitu laneo, qualem gestare solent modestissimi Sacerdotum. Hoc tamen recentes illius vestes a veteribus discrepabant, quod neque obsoletæ, nimiumve detritæ, neque alicubi discessæ, ut olim; sed aptæ, ac decentes erant propter illorum, qui degabant cum ipso, diligentiam. Nunquam adductus est, ut argenteam in mensa supellectilem adhiberet, quanquam id aliqui decorem ejus exigere contendebant, cum aliquando convivio exciperet viros, quorum dignitati major quædam urbanitas debebatur. Sed non ideo ille a retinenda mediocritate discessit, neque inde offensionem apud convivas incurrit, qui moderationem illam non ex avaritiae sordibus, sed ex altiori principio noverant provenire. In cubiculo mensam sine tapeto habebat, vulgaria quædam sedilia, et imagines aliquot sacras: inter quas una sanctissimi Cordis Jesu, quod adorabant Cœlites Societatis: altera Mariæ Virginis, quæ Societatem sub augustissimo pallio congebat, ut olim ostensa fuit P. Martino Guttierro. His deinde linteum adjunxit, in quo pulcherrimis iconibus descriptum erat acerbissimum iter Christi ad Calvarium: quod ex adversum eum locum suspendit, in quo sedebat ipse, ut facilius illud intueri posset, ac meditari.

Paulo ante frequentes illos, et horribiles terræ motus, quibus concussa Bononia fuit anno hujus seculi undeoctogesimo, copioso et iterato sanguinis fluxu debilitari Franciscus cœpit. Inter alia, quæ multi ad occurrentium huic malo excogitarent, censuit Paschalis Antinorus egregius Medicinæ Doctor, opus esse Francisco vitam ruri agere per æstatem, ut intermissionis studiorum laboribus, mutatoque cœlo, afflictam reficeret valetudinem. Exinde cum sociis suis discedebat quotannis per menses aliquot in suburbanam Bertaliæ domum, quam illi Marchio Jacobus Mariscottus Bersellius liberalissime utendam concessit. Multum ex illa rusticatione ad reparandas vites profecit: eamque libentius ideo suscipiebat, quod proxime ad urbem manens (passus aberat MD) frequentem habere poterat cum antiquis sodalibus consuetudinem. Quotidie, dum tempus sineret, ad eum veniebant aliqui, quos recipiebat ipse benigniter, per eosque de ceteris cognoscebat, qui degabant in

in urbe, ac præsertim de illorum bona, vel adversa valetudine. Quod si aliquid fortasse occurreret, quod opem ejus exposeret, non secus ferèbat illam, quam si viveret intra moenia. Propter frequentem adventum hospitum largioribus aliquanto dapibus instruebatur ibi mensa, quam Bononiæ fieret per reliquos anni menses. Ipse tamen a frugaliore victu, cui erat assuetus, non facile recedebat: semperque ab exquisitis liquoribus abstinuit, et generosiore vino, quod interdum secundis mensis propter hospites inferebatur.

In posterioribus vitæ annis ex nervorum relaxatione ita debilitatus est pedibus, ut non nisi difficillime posset incedere, quamvis cætera bene valeret. Inde gravius aliquid timebat Medicus, si Franciscus, ob eam gradiendi difficultatem, vitam ageret sedentariam, quam ejus habitudini maximenoxiam fore credebat. Jussit ergo parari currum, in quo vehi frequenter posset, ut vectatione illa valetudinem tueretur. Multa contra hæc cibjiciebat Franciscus, cuius animus ab omnibus semper ostentatione abhorruerat, neque aliquid, quod fastum saperet, vel in præsenti vita statu vellet admittere. Sed tandem amicorum suasu, et constantia præsertim Medici, qui exercitationem illam necessariam ei esse affirmabat, rhedam aliquam emi permisit, qua ab unico veheretur equo, et politioris nihil haberet ornamenti. Post aliquot annos contactus est bijugum currum admittere undique occlusum, ne vento, et frigore laceretur, quibus in aperta rheda erat expositus. Sed is etiam ad Francisci votum ita erat accommodatus, ut a Bononiensi quodam civi, dum sermo de illo incideret, non impropriæ Currus humilitatis appellaretur. Hoc modo communitatem illam, qua ex Medici præscripto utebatur, novit ipse cum paupertatis, et humilitatis studio mire coniungere. In gravescente deinde crurum imbecillitate, gressum facere, nisi aliorum adjutus ope, non poterat. Et quanquam nemo esset, quin libenter illi ferret auxilium, ipse tamen molestiam, quam iisdem exhibere putabat, multo ferebat ægrius, quam dolores, quibus interdum acriter urgebatur. Hos enim patienter, constanterque sustinebat, saepè illud repetens, quod de S. Ignatio scribit Ribadeneira: *Corporis infinitatem animis robore sustentatas, et magna patientia, constanterque peregrinatio-*

nis sue molestias perferebat. Sæpe etiam cum eo colloquens, quem habebat a confessionibus, affirmabat, quæ senescenti sibi supervenerant incommoda valetudinis, tanquam a divina voluntate profecta, zquo ac libenti animo tolerare.

Non propterea otiosam agebat inertemque senectutem, neque sui tantum solitus, nullam in aliorum spiritale commodum operam conferebat. Ab Archiepiscopis Malvetio, et Joannetto facultatem obtinuit indefinitam ad audiendas confessiones peregrinorum, et advenarum, qui vellent apud ipsum conscientiam deponere delictorum, cum potestate substituendi pro se alium, quem probaret ipse. Cum autem Bononiam frequentissimi adveniant exteri, multas ibi confessiones excepit, Gallorum maxime, et Hispanorum, quorum aliqui studiorum causa sedem ibi fixerant aliquandiu. Quicunque autem ad mendalam animi opem ejus exquirerent, promptum, et affabilem inveniebant, neque ipse unquam laborem illum subire recusavit. Hoc etiam tempore opuscula quædam scripsit, quorum unum editum deinde fuit in Hispania. In eo pro Ecclesiæ honore contendit, institutas ab eadem fuisse Academias, et Seminaria, sive Collegia, in quibus juvenes ad scientias religioni maxime convenientes informarentur: neque id egisse ductu, et exemplis Arabum Mahumtanorum, ut asserebat quidam nostri xvi Scriptor eruditus. In altero contra eundem Auctorem agit de dignitate, ac prestantia Theologie Scholastice, deque utilitate Aristotelicæ Philosophiae, a qua illa rectam ratiocinandi formam desumit. Scripsit etiam dissertationem de antiquitate cultus sacri Cordis Jesu, ex traditione seculorum ab ipsis Ecclesiæ incunabulis comprobata, contra Camillum Blasium. Asservatur hec, cu n aliis quibusdam, in Bibliotheca, quam Franciscus sibi comparaverat, et usque ad ultimos vite menses diligenter excutere non omisit: eandemque moriens contuberniis suis, aliisque Hispanis, qui Bononiæ degunt, uteam reliquit.

C A P U T X I X.

Quadam de Francisci virtutibus singillatim.

De his quidem multa jam diximus, quæ religiosissimos hujusce viri mores ostendunt, et constantem in servando recto perseverantium demonstrant. Sed quoniam aliqua vel solum indicanda, vel penitus omittenda fuerunt, ne nimium historiæ series abrumperetur, æquum fuerit de Francisci virtutibus separatim, et continenter agere, ut illarum pretium, et frequens earumdem exercitum magis lectoribus innotescat. In fide (ut ab ea sumamus initium, quæ radix, et principium est cæterarum) ita fundatus erat, ut ex eadem vivere dici posset. Hæc a puero frequenter exercita, per lubricam adolescentiæ viam gressus ejus constanter direxit, ne præceps ad dexteram deflecteret, vel sinistram. Hæc inter delicias Aulæ, et summam regii Principis gratiam, sublimes suggerebat illi cogitationes, ne facile caperetur illecebbris, quibus eum ad se mundus allicere conabatur. Ab ea lumen, et robur accepit, ut amplissimis honoribus, ac divitiis, quæ illum hereditario jure manebant, humilem, et pauperem pro Christo vitam præferret in Societate. Id autem tanta animi generositate perfecit, ut vel in ultima senectute affirmaret: si centies posset relinquere, quæ semel reliquerat propter Deum, magna cum voluptate facturum, his ductum principiis, quæ divina fides nos docet. Ut ad eam operationes, et cogitationes suas maxime conformaret, præter attentam Scripturæ sacræ meditationem, frequenter alios interrogabat super genuino alicujus loci sensu, adhibitis etiam Interpretibus, quorum selectam habebat copiam. Sed hoc præcipuo quodam studio inquirebat, cum agebatur de consuetudine aliqua, vel operandi modo, qui jam inter homines receptus esset, vel quem veller ipse adhibere: tunc enim diligentius investigabat, numquid huic simile sacris in literis inveniretur, ut juxta illud suum agendi morem vel in minimis ordinaret.

Hinc etiam plurimi faciebat ipse, atque aliis frequenter commendabat prudentissimas illas regulas, quas S. Ignatius ad

calcem Exercitiorum scripsit, ut cum orthodoxa Ecclesia vere sentiamus. Inter cæteras eam sæpe iterabat, magnopere que laudabat, quæ sic ait: *Denique, ut ipsi Ecclesie Catholica omnino unanimes, conformesque simus, siquid, quod oculis nostris apparet album, nigrum illa esse definierit, debemus itidem, quod nigrum sit, pronuntiare.* Nec solas fidei decisiones tota contentione animi reverebatur, sed illa etiam pietatis, ac devotionis adminicula, quæ ab Ecclesia probata sunt, et recepta, ipse quoque verbis comprobabat, et factis. In frequentibus per Hispaniam itineribus dum crucem aliquam, vel ædicolam sacram aspiceret, quamvis jam pene dirutam vetustate, reverenter ad eam conversus ajebat socio: *En tibi monumentum, quod majorum nostrorum fidem ostendit.* Bononiæ, dum terra movit, supplicationibus adesse voluit, quæ publice indictæ fuerant ad Dei clementiam implorandam: quamquam ita erat defectus viribus ob copiosam sanguinis emissionem, ut inde domum regressus, semianimis corruerit in scalis, neque ad superiora conscendere sine aliena ope jam posset. In eadem urbe, quoties augustissimum altaris Sacramentum, aut simulacra Deiparæ, vel Sanctorum, solemni pompa circumferri contigeret, domum suam decenter apparari curabat: emeratque in eum finem peristromata serica tredecim pro numero fenestrarum, quæ ad viam publicam spectabant. His hodie dum utuntur Hispani, quibus ea relicta sunt a Francisco, cuius proinde religiosa pietas adhuc Bononiæ vignet: cum nulla fere sit Urbis regio, in qua peristromata illa, occurrente supplicationum celebritate, modo in hac, modo in illa domo suspensa non inspiciantur. Sumptus etiam faciebat non modicos in conquirendis sacris reliquiis, et imaginibus, quas deinde liberaliter elargiebatur, ut Sanctorum cultum inter plurimos promoveret. Sed his majora cogitabat efficere, cum ad Indos transmittere desiderayit, ut fidem inter illos vel induceret, vel excoletet. Et quoniam hoc impetrare non potuit, ad eam inter populares suos excitandam, et promovendam, omnes animi vires, atque omnem intendit industriam. Ideo enim expeditiones sacras aliquandiu ita suscepit, ut diutius, si liberum fuisset, in iisdem perseverasset: ideo in erudiendis doctrina Christiana pueris per vicos et plas-

teas congregatis frequens erat in diebus festis: ideo gravissima fidei documenta variis hominum cœtibus sæpiissime proposuit ad meditandum: ideo in auscultandis confessionibus pœnitentium in toto diuturnæ vitæ decursu adeo fuit indefessus, ut nullis aut laboribus, aut negotiis ab utilissimo illo munere retardaretur.

Ex contemplatione perfectionum Dei, quæ per fidem edocemur, in spem certam erigebatur obtinendi beatam æternitatem, atque illa insuper temporaria bona, quæ necessaria sibi essent, aut convenientia. Huius innixus providentiaz divinæ fundamento, quando paternam abdicaturus erat hereditatem, nihil sibi reservare voluit, ne quid de fiducia illa detraheret, qua dependere a Deo semper desiderabat. Deusque vicissim erga illum ita se præbuit, ut non modo privatis ejus occurseret necessitatibus, sed multa etiam subministraret, quibus posset aliorum indigentiaz subvenire. Propterea inter angustias, ad quas sæpiissime redactus esse videbatur, et a quibus evadendi viam non facile reperturum credebat alii, miram ipse retinebat animi tranquillitatem, nullumque diffidentiaz prodebat indicium. Pulsabat quidem juxta consilium Domini, ut aperietur sibi: quærebatur, ut inveniret: petebat, ut aliquid acciperet. Sed ad hæc non alia inducebatur ex causa, nisi ut obediret Deo, qui suam exigebat cooperationem: tam certus interea de felici negotiorum exitu, ut propter facultatum inopiam nihil aggredi prætermiserit, quod in majus Dei obsequium, vel in aliorum subsidium cessurum esse judicaret. Hoc modo Burgis ornatum et nitorem addidit templo, gymnasia refecit omnia, cathedras et Sociorum numerum auxit, iisque de necessariis ad vitam decentissime providit. Multa quoque molitus est Villægarsia, quæ non solum ad tironum commodum, sed in totius etiam regni vergerent utilitatem. Nam inter alia typographiam ibi constituit, ex qua emendati, et illustrati notis prodibant libri, qui pueris ad humanitatis studia faciliorem aditum aperiebant. Palentino Collegio tria aureorum millia donavit semel, quibus potuit ex angustiis emergere, propter quas de illo dissolvendo, vel certe imminguendo, a Superioribus agebatur. Gallos etiam, qui ad eum in Castellaz provinciam configuerunt, liberaliter excipit, deinde.

indeque in patriam reduces copioso viatico instruxit. Nec minores pecunia surmas expendit in Lusitanis primum, ac deinde in Hispanis exilibus sublevandis. Quod si reliqua omnia iis velis adjungere, quæ in divinum cultum, et aliorum egenorum subsidium insumpsit, non temere de Francisco nostro credideris, per spem firmam in Dei providentia copiosiores ad exercendam misericordiam invenisse thesauros, quam quos domi suz, retenta primatus dignitate, habere potuisset.

Sed spes ejus in his elucebat maxime, quæ ad superna dona pertinent obtinenda. Hæc sibi primum a Deo sperabat indubitanter. Circa cæteros vero, quos Deus custodizæ suz commiserat, vel directioni, non facile despondebat animum, si ab eis non omnia statim obtinere posset, quæ vellet. Recogitabat, nullum esse animi merbum, qui diligenti et opportuna medicatione sanari non possit: ideoque, si priora minus succederent, ad ulteriora procedebat medicamenta, neque ante medendi faciebat finem, quam industriam omnem ex caritatis, et prudentiaz legibus exhausisset. Et quia *Domi ni est salus*, nullum remedium frequentius adhibebat, quam ferventes ad Deum preces, a quo debiliorum salutem, et delinquentium correctionem potius, quam ab industria sua sperabat. Quantum vero deprecationes ejus valerent, nonnunquam Deus insolito quodam modo, et portento simili visus est ostendisse. Dum provinciam in Hispania regeret, Socius quidam laicus, remisso paulatim spiritualium rerum studio, neglectisque Superiorum admonitionibus, et correctionibus, eo tandem devenit, ut dimissionem a Societate minacibus verbis a Rectori suo contenderet obtinere. De his Rector Provincialis admonuit, qui statim literas misit, in quibus opportunum suggerebat ei consilium, ut audaciam illius subditi coerceret. Sed interea ipse ad orationem confugit, Deumque magnis gemitibus precabatur, ut illam miserando Fratri culpam ignosceret, eumque reduceret ad saniorem mentem. Quarum precum mox patuit effectus. Nam vix Rector epistolam Provincialis acceperat, cum hæc iterum ad eum scripsit: Eo ipso mane, quo literas dabat, Fratrem illum subito pavore correptum, et suffusum lacrymis ad se venisse: nihil jam exequi recusat, quod sibi vellent injungere: quin etiam rogasse

sup-

suppliciter , ut vel abjectissimo Collegii ministerio , et maxime laborioso addiceretur . Affirmabat enim , visum sibi per noctem fuisse S. Franciscum Xaverium , extento brachio , et terribili vultu minitantem ei multa , nisi , relicto deserenda Societatis proposito , ad perfectæ obedientiæ normam se penitus accommodaret . In his ego , ajebat Rector , fictioni locum esse non suspicor , qui ferociorem hominis indolem , et duritiam cordis ante perspexeram ; et modo illum tam mitem , et morigerum , ad omniaque paratum inveni : propterea quæ mihi agenda scripseras , suspendenda duxi , dum te de his certiorum facerem , quæ denuo contigerunt . Probavit hæc Præpositus Provincialis , qui Fratrem illum ad humiliora destinavit officia , in quibus experimenti causa libenter aliquandiu permansit .

Ut insignis erat Franciscus in contemnenda mundi hujus gloria , ita etiam præstabat in æterno , summoque Bono diligendo . Solitus erat frequenter in hæc verba erumpere : *Nihil me in hoc mundo delectat : et frequentius etiam in hæc alia : Quam bonum , et magnificentib[us] habemus Deum !* quibus et mundanarum contemptum rerum , et altissimum de Deo sensum exprimebat . Huic autem sentiendi modo æqualis erat dilectionis affectus , quo Deum ipsum prosequebatur . Super hoc Julianus Fonseca , qui diuturnam cum Francisco habuit , familiaremque consuetudinem , sic inter alia testificatur : *Cum ab omni singularitate abborreret , communem tenebat operandi modum . Sed operationes suas omnes intentionis puritate ad eminentem perfectionis gradum elevabat : et cum propriam odisset gloriam , totus erat in Dei gloria promovenda :* Et alibi : *Pro certo habeo , inquit , intimare fuisse unionem ejus cum Deo , et propter fiduciam , et amorem , quo tanquam filius recurrebat ad Dominum nostrum Jesum Christum , impetrasse ab eo multa , quæ postulabat . Hæc sane testimonia , a tali præsertim viro protecta , præclaram ingerunt opinionem de Francisci erga Deum caritate , quæ aliunde perfecta ipsa dignoscebatur . In iis censeti merito debet imperitura pax animi , quam inter vitæ tam varios casus , quorum fuerunt aliqui difficillimi , constanter visus est retinuisse . Cum enim oculos in Deum converteret , a quo noverat dulce patiter ,*

riter, et amarum sapientissima dispensatione profluere; ut in prosperis moderationem, ita etiam constantiam servabat in adversis: et in utrisque incitamenta, ut se magis divinæ voluntati conjungeret, inveniebat. Index etiam amoris erat acerbus ille dolor, quem dissimulare non poterat, cum injurias Deo illatas vel secum ipse recognitaret, vel ab aliis audiret commemorari. Olim cum amico suo Fonseca colloquens, asseveranter illi affirmavit, valde se iratum esse huic mundo. Rogatus que ab eo causam: *Infensus illi sum, dixit, quoniam ipse ini-
quissime habuit Dominum meum Jesum Christum.* Et mundus eum non cognovit. *Vide, quaso, num hoc satis superne sit,
at ego illum oderim, et fastum ejus, et vanitatem, et insanias
omnes abominer.* Dum aliqui coram ipso sermonem inferebant de Philosophorum hujus ævi, et Jansenistarum artibus perniciiosis, quibus impietatem et irreligionem longe lateque spar gere conabantur; aut etiam de populis Americanis, qui recenter ad fidem conversi, post ejectos inde sacrorum Ministros, ad montes et latibula regressi fuerant; inde illius animus inconsolabili mœtore conficiebatur, obortisque lacrymis rogabat adstantes, ut sermonem illum vellent abrumpere.

Inter divina peragenda mysteria vehementiori amoris zstu corripiebatur, cum sepe illus vultus, dum ad aram consisteret, visus fuerit præter morem accensus. Propterea non facile, nisi si penitus insuperabilis causa intercederet, a quotidiana sacrificeatione abstinebat. In profectionibus, quas sepe suscepit, cum provinciam administrabat, prima erat cura, postquam vesperi venerat in diversoria, Parochos alloqui, ut postridie licet sibi rem sacram facere; quamvis interdum autoram prævertere cogeretur, ut posset iter confidere destinatum. Si quando autem ad facultatem illam obtinendam gravior aliqua occurseret difficultas, facile patiebatur, quis ille, et a quibus ortus esset, per viæ comitem manifestari; exhibitis in spiritale lucrum secularibus titulis, quos alioqui neutiquam volebat commemorari. Postquam vires ita illum defecerant, ut pedibus non posset insistere, multa tentavit, multasque habuit consultationes ad expiatorandum, an beculo adjutus, aut alio quovis decenti modo posset peragere Sacrificium, quippe quo nihil optatius sibi esset in mundo. A spe illa dejectus,

divinæ voluntati se plene submisit, et habitationem suam ita disposuit, ut quoties e cubili non posset surgere, in eodem residens, Sacerdotem intueri posset ad aras operantem. Hoc modo duas per dies singulos audiebat Missas, in quarum prima cœlestem quotidie dapem accipiebat, in altera pro tanto dono debitas agebat gratias: et ex hac divini frequentatione mysterii vires desumebat ampliores, ad tolerandos cum gaudio exilio sui labores, donec Deum, quem unice amabat, sine velamine contueretur.

Secundum Deum, Beatissimam ejus Matrem, utpote Deo conjunctissimam, præcipuo dilectionis affectu prosequebatur. Illius imaginem in tela pulchte depictam secum ferebat semper, cum ad lustrandam provinciam pergeret: eamque in Collegiis e regione mensæ collocabat, ad quam diutius manebat ipse pro Sociorum animis inspiciendis, et totius domus negotiis pertractandis. Quam ardentes ad eam funderet preces! quibus amoris jaculis dulcissimum Cor ejus peteret! novit ipsa Virgo Santissima, cuius benigno, potentique patrocinio tribuendi sunt felices rerum eventus, quos ille in administrationis sua tempore obtinuit. In eadem tela sub extento augustissimæ Reginæ pallio expressæ ad vivum erant imagines Sanctorum Societatis Jesu. Hos etiam Franciscus et colebat impense, et deprecatores ad Virginem allegabat, ut facilius votorum suminam consequeretur. Erga S. Ignatium, ut in Parentem utique, singularem reverentiam exhibebat, eumque plerumque nonnisi demisso capite nominabat. In colligendis ejus dictis, et factis peculiare posuit studium, ut ea deinde pro temporum opportunitate ad suam, et aliorum instructiōnem accommodaret. Sed inter actiones Ignatii quasdam ille Patriarchales appellabat, easque non facile in exemplum adducendas esse censebat; cum Societatis Institutorem decerent aliqua, quæ non æque cæteris Superioribus convenienter. Ad S. Franciscum Xaverium, cuius gerebat nomen, et genus, magna semper cum fiducia in rebus etiam difficultissimis recurrebat, eumque demererri curabat frequentandis obsequiis, et moribus imitandis. In Burgensi templo amplissimam ejus aoram ex propinquorum ligationibus vestivit auro; deindeque ad fratrem suum Granatæ Ducem scripsit, ut Sacellum, quod

pridem illi erectum fuerat in arce Xaveriana , ubi natus erat Indorum Apostolus , magnificentius exornaret . Insigni quoque pietate S. Aloysium reverebatur, ejusque colendi studium juvenibus præsertim inculcabat . Noverat enim ex quorundam ipsorum testimoniiis , ut narrabat ipse , si vel solum Angelici juvenis intuerentur imaginem , ad amorem puritatis vehementer accendi : si quando vero prolapsi fuissent , in ea rursum aspicienda tanto pudore suffundi , ut demittere in terram oculos cogerentur : quod erat illis ad detestanda crimina , neque iterum perpetranda , saluberrimum incitamentum . Omnes denique honorabat cœlestis patriæ beatos cives , et si quis de nro coram ipso nominaretur , solitus erat eum inclinato profunde capite venerari : quod si antea de illius gestis nondum audisset , interrogabat alios , qui noverant , indeque ad laudandum Deum , qui mirabilis est in Sanctis suis , incitabatur .

Erga cæteros homines ita caritatem exercuit , ut in eis juvandis totam fere vitam impenderit . Nondum enim Societati nomen dederat , cum jam exarserat ad animarum quærenda lucra ex consuetudine cum Apostolico viro Petro Calataudio , quem ad sacras expeditiones secutus est aliquandiu . Et ardorem spiritus ad curandam salutem hominum , quem ex colloquiis , et exemplis talis viri concepit , potius deinde auxit , quam aliquatenus imminuerit . Ad permovendos in bonum animos nativa ejus suavitas , et jucunditas vim magnam addebat verbis , ut facilius ab ejus ore salutaria monita reciperentur . Cum simplicibus , et pusillis agebat ipse quoque simpliciter : cum iis vero , qui dignitate præstabant , noverat etiam gravitatem quamdam sermonis , dum res posceret , adhibere . Quanquam interdum primarios etiam viros ita tractabat , ut , applicita leviter manu ad illorum pectus , vel caput , brevi quadam sententia commoneret de his , quæ ipsorum conditio ab eis maxime requirebat : neque ingrata illis erat , nec infructuosa familiaritas Idiaquezii , cuius integratatem morum , et studium proficiendi omnibus suspiciebant . Quædam etiam pro concione dicebat , quæ , licet communia essent et vulgaria , tamen propter fervorem spiritus , quo loquebatur , mirabiles in auditoribus motus excitantabant . Dum Burgis Rectoris munere fungebatur , convenerant

ad

ad Exercitia S. Ignatii juvenes, qui Philosophiam, et Theologiam discebant in Collegio Societatis, quibus multi etiam accesserant de Schola Patrum Dominicanorum. Franciscus ad eos quodam die descendens, postquam de his disseruerat, quæ cunscideranda illo die erant, orationi mentali cum iisdem interfuit. Inter orandum quasdam ex intervallo proferebat sententias, quæ præsenti meditationi maxime essent accommodatae. Id autem ferventer adeo, et tam apposite ad movendum fecit, ut unus juvenum inde repente digressus, ad quemdam Collegii Sacerdotem accesserit, ab eoque multis cum lacrymis, suspiriisque petierit, ut se de totius vitæ peccatis confiteri cupientem auscultaret: talia enim a Rectore audisse affirmabat, ut nisi statim cum Deo rediret in gratiam, irreparabilem animæ ruinam pertimesceret. Rogavit eum Sacerdos, quid tandem audisset a Rectore, ut tantopere commoveretur? neque enim lacrymas tantum, et gemitus, veruni etiam sanguinem e naribus profundebat. Cui respondit juvenis: sape nobis hoc dixit: *Ex hoc mundo tecum feres emortualem sunnam, et non amplius.* Alia multa sine dubio dixerat in exhortatione, quam ad juvenes habuit: et hæc ipsa postrema verba probabiliter ab aliis jam audierat ille juvenis. Sed ea tunc a Francisco inter orandum prolata, per efficaciam, ut credi potest, orationis ejusdem, salutariter juvenem exterruerunt, qui conscientiam delictorum sequenti mane, quando jam tranquillior erat, apud Sacerdotem illum depositus.

Si tantum valebat verbis ad animarum commoda promovenda, non minus efficax, et industrius erat in opere ad corporales multorum sublevandas necessitates. Quamvis enim nihil haberet proprii, neque aliquid ex opulentissimo patrimonio retinere sibi voluerit; per auxilium tamen humilitatis, qua mendicare pro Christo nunquam erubuit, latissimam exercendæ caritatis viam invenit. Hoc modo in Hispania, atque etiam in Italia quamplurimos adjuvisse, jam alias vidi mus. Sed præter illa, quæ precando collegerat ab aliis, multa quoque largiebatur ipse de his, quæ pro suo qualicunque usu a propinquis liberaliter accipiebat. Illius frater Ignatius, qui successerat in omnia Francisci jura, cum memor semper esset quanta per eum divitiarum, et honoris sibi fac-

ta fuisse accessio, libenter eidem, copioseque subveniebat. Alii etiam ex propinquis non pauca subministrabant, quibus ipse, cum parvo semper contentus esset, largiorem erga ceteros exercere potuit misericordiam. His enim subsidiis et tirones provinciae suæ magna ex parte aluit, donec omnibus industria sua pensionem a Rege obtinuit, et aliorum inopiam sæpiissime sublevavit. Inter alios singulari prosecutus est caritate adolescentes duos, qui Socios ab Hispania ejectos sponte sequi voluerunt, ut in eorum numero, si fieri posset, vel in exilio conscriberentur. Id alteri eorum, cui nomen Ignatius Dorronsoro, concessum fuit Calvii, ubi receptus est inter Societatis Adjutores, quorum ministeria libenter, ac laudabiliter egit, dum Societas mansit. Ea vero deficiente, cum adhuc nulla pensione donatus esset, quam ne tum quidem obtinuit, quando ceteris concessa est, qui novitii venerant ab Hispania; Franciscus omni ope destitutum intra domum suam recepit, eumque veluti filium semper apud se habuit, dum vixit: et morti jam proximus, eidem de ratione victus, quo poterat modo, etiam in posterum providit. Cum altero multam quoque beneficentiam exercuit: nam et illum ad persequenda juvit literarum studia, et quæcumque necessaria essent ad vitam, longo ei tempore subministravit: et tandem post Societatem extinctam, quam et ipse adire cupiebat, viatico et commendatitiis instructum literis in patriam suam remisit.

Sed infinitus propemodum essem, si eorum inire numerum vellem, quibus Franciscus liberalitatem suam impendit, cum aliquando vel unica largitione multorum necessitatibus subveniret. Postquam Bononiam venerat, nonnulli ex iis, qui Sociorum domibus in ea urbe prærerant, cum ad angustias redacti essent, haud modicam ab illo impetrarunt opem, ut commissas sibi familias sustentarent. Quædam Hispanorum domus propter impensas in curandis ægrotis, aliisque in rebus factas, magnum & alienum contraxerat, cui solvendo non erat Rector, qui eam administrabat. Is quodam die, cum Francisco de numaria suæ domus difficultate colloquebatur; nec tamen ausus est quidquam ab eo petere, cum sciret, quam multa in aliorum subsidium expendisset. Ipse vero post non multos dies Rectorem illum convenit, eique nec opinanti cru-

me-

menam in manus tradidit quingentis fœtam uncialibus argenteis, quibus et debita exsolvit omnia, et suorum commodis melius potuit in posterum providere. Postquam autem Societas esse desierat, frequentiores fere occasiones habuit perhibendæ beneficentiaz. Initio enim multi, ex junioribus præser-tim, ne arculas quidem habebant, quibus modicam conderent supellectilem: alii male fulti erant vestibus, cæterisque uten-silibus, quæ ad novum vitæ genus requirebantur. Deinde non pauci vel ex diuturno morbo, vel aliis etiam de causis, eges-tate misere oppressi, nec Medico mercedem solvere, neque vitam nisi ægre poterant tolerare, nec demum aliquid, cum occubuisserent, pro celebrando funere relinquebant. His omni-bus necessitatibus Francisci caritas occurrebat, quam tanto con-fidentius implorabant plurimi, quanto notior erat illa univer-sis. Nec ideo indigentibus benefacere recusabat, quod molesti sibi olim fuissent, aut beneficiorum immemores, quæ pridem ab ipso acceperant. Imo vero vulgatum inter omnes erat, libe-raliorem in eos esse Franciscum, qui offensam ei aliquam in-tulissent. Unde quidam ex illius intimis, de hac ejus patien-ti, benignaque caritate disserens ita loquitur: Non raro ab amicis interrogatus, fecissetne mihi Franciscus, quod huic, aut alteri fecerat? Nequaquam, ajebam illis. Notum quippe erat, majora solitum esse beneficia conferre ingratis et aver-sis, quam sibi adhærentibus et addictis. Nec tamen propte-rea dubitabam, quin statim collaturus mihi esset opem, si quando illa indigerem. Quod si ego, aut aliis quisquam ex familiarissimis ejus, de his apud eum conqueri voluissemus, certissimum mihi habeo, idem utique responsorum fuisse, quod benignus ille pater, de quo sermo est in Evangelio: *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt: epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic cæt.* Enim-vero Franciscus in beneficiis conferendis, sicut in reliquis o-peribus suis, Deum potius, quam homines respiciebat.

Aliis quoque pauperibus et urbanis, et peregrinis quoti-diana fere subsidia conferebat. Plerique Hispanorum, qui de-votionis, aut alicujus negotii causa Romam perebant pedites, ad Francisci veniebant domum, in qua semper stipem aliquam ac-cipiebant: quod cum alii ab aliis deinde audirent, frequentior erat

pe-

peregrinorum in eam domum accursus. Sæpe illos adduci ad se intro præcipiebat, quamvis sordidi, ac patinosi essent, repugnantibusque non raro domesticis, quibus ea facilitas periculosa quodammodo videbatur; cum posset ab ignotis, robustisque mendicis contra grandævum senem aliquid insolentius attentari. Sed caritas, quæ foras mittit timorem, Franciscum ab omni suspicione reddebat liberum: et ipse occasionem illam arripiens, salutaria omnibus consilia dabat, ut eorum animis non minus prodesset, quam corpori. Non paucos eo modo induxit ad peccatorum confessionem, quam vel audiebat ipse, vel Hispanum aliquem Sacerdotem subrogabat, qui eam audiaret justa facultatem, quam acceperat ab Archiepiscopo. His autem, qui longiorem petebant moram, ut se rite ad poenitentiam compararent, de necessario providebat victu, donec animum exacta confessione expiassent. Duos etiam religiosos viros, qui ab Hispania diversis temporibus advenerunt, in domo sua diu retinuit, liberaliterque tractavit: et eorum alteri persuasit, ut animum, antequam inde abiret, per dies octo sacris meditationibus exerceret. Sed multo diutius cum pueru caritatem exercuit, qui Romam cum patre suo, et altero fratre profectus, utrumque inter peregrinandum amisit, ac matrem quoque jam ante amiserat. Hanc pueri orbitatem commiseratus Franciscus, ad quem ille regressus Roma confugit, benigniter in domum suam admisit, eumque sex fere mensibus omni ope adjuvit, atque in doctrina fidei, ac bonis moribus per Sacerdotem quemdam curavit erudiendum: tandemque illi de necessario providit vjatico, ut in Hispaniam tuto reverteretur.

Qui propter Deum liberalis erat in homines, erga Deum ipsum, cui se penitus mancipaverat, multo fuit liberalior. Religioꝝ perfectionis viam magno animo aggressus, constantiam semper, ac diligentiam in eadem perseveranda servavit. Et quoniam permagni interest ad eam affici disciplinam, quam quisque sequi decrevit, ut progressum in ea faciat notabiliorum; ille, quam amplexus erat, vivendi formam sic adamauit, ut vita ipsa cariorem haberet. Libenter enim pro tenuenda Societate dedisset vitam, ut ipse testatus est, si potuisset hoc pacto eam ab imminentि calamitate liberare. Alias etiam

vim amoris hujus adeo vehementer expressit, ut admiratio-
nem adstantibus excitaret. Nonnunquam de hoc argumento
jucundissime disserens, in hac verbi coram multis, qui ade-
rant, erupit: *Si forte olim audieritis, Idiaquezium de potesta-
te mentis exisse, id non alia de causa evenisse putetis, nisi
præ latitia inexplicabili, qua cor meum exultat, quod in So-
cietatem adscitus fuerim.* Enim vero exsuperantem gaudii vo-
luptatem significantius indicare non potuit. Vir quidam no-
bilis ex eorum numero, quos Hispani Collegis majores vo-
cant, ad salutandum Franciscum ingressus, cum eo de con-
ditione religiosi status, quem sequebatur, nimis familiariter
cœpit agere, ne dicam imprudenter. Non enim, ajebat, tui
generis claritatem, neque præclaras quibus ornatus es dotes,
obscurior hac vita, quam amplexus es, admodum decet:
hanc saltē induisses trabeam, quam ego gero; sic enim ad
honorum culmina facillimum aditum invenisses. Patienter,
dum hac effunderet, auscultavit eum Franciscus. Deinde ve-
ro consurgens, gravi, ac severo vultu respondit: *Si trabeam
istam, quam tanti astimas, assumere voluissem ego, videor
mibi honoris aliquid eidem fuisse additurus, quod tu ipse, cre-
do, non inficiaberis. Verum hac Societatis tunica (eam utra-
que manu a pectore apprehendit) me valde honorat, neque
a me quidquam illi honoris accedit. Tu vero consideratius lo-
qui didiceris et de aliorum Ordinum, et de Societatis religio-
so statu, quo nihil honorabilius mibi est, et præstantius.*

Ab hoc autem religiosæ professionis amore vehementer in-
citabatur, ut ea quoque diligeret, quæ professio ipsa requirit.
Paupertas, quæ cunctis pene mortalibus invisa est, semper illi cara
fuit, et jucunda. In ipso tirocinio sic eam amplecti cœpit, ut
viliora quæque indumenta deligeret, quantum posset, eaque ap-
tissime sibi cadere judicaret. Ac fere idem in reliqua servavit vi-
ta, cum plerumque vestibus indueretur, quæ jam essent usu
detritæ, nisi ab eis, quorum imperio vel curæ suberat, novas ali-
quando sumere cogeretur. Nonnunquam fraude aliqua, vel ar-
tificio fuit impellendus, ut decentius aliquod reciperet indumen-
tum. In Collegio, cui tum ipse præterat, contendebant ab eo
Socii, ut galero vetustissimo, quem gestabat, alium sufficere
vellet non æque obsoletum. Verum id assequi non potue-
runt,

runt, donec advenientibus Marchionis de Valmediano filiis ad Avunculum invisendum, eorum obtinuerunt opera, quod diu frustra desideraverant. Cum enim ostendissent eis galerum Avunculi, dum is extra cubiculum nescio quid facturus evaserat, unus eorum a summitate illum prehendens, quæ jam pertusa erat, facillime totam evulsit, penitusque discidit. Doluit inde Franciscus, quasi gloriam sui capitis amisisset, et nepotem audaculum objurgavit: sed cedere necesse habuit, et galerum alium ægre tandem admisit. Cum deinde ad Aulam venisset pro negotiis provinciæ suæ, non erubuit in scissa veste coram Magnatibus apparere. Et quamvis inde aliquis cavillandi desumpserit occasionem; plerique tamen, et Rex ipse ante alios, generosum animum, quo mundana omnia contempserat, ex neglecto ejus vestitu conjecerunt.

Post Societatis abolitionem, quantum novi status ferebat conditio, in eodem colendæ paupertatis studio perseveravit. Priusquam vestem deponeret religiosam, aderat quodam die coram Vincentio Cardinali Malvetio, ad quem simul etiam venerat Ferdinandus Coronelus, qui Bononiæ regius Administer erat pro solvenda exilibus pensione. Is in colloquio illo vehementer apud Malvetium institit, ut Franciscum ad indendas vestes cogeret, quæ decebant Excellentissimum Granata Ducem; sic enim illum in primo ad Cardinalem ingressu denominaverat. Franciscus denominationem illam iniquissimo tulit animo: certumque, ac deliberatum sibi esse dixit, pretiosas, et elegantes vestes, quas jam pridem repudiaverat, in posterum nunquam admittere: nec dubitavit caligas, et femoralia, quibus erat indutus, ostendere Cardinali, qui tantam in tali viro simplicitatem vestium admiratus, noluit eum a proposito consecrandæ moderationis dimovere. Ille quidem deinceps, etsi convenientem statui Sacerdoti gestavit amictum, nunquam tamen adduci ullo modo potuit, ut elegantis aliud, aut pretiosius indumenti genus assumeret. Et quam tenuit semper in cultu corporis moderationem, eandem in cæteris rebus omnibus observavit. Nunquam usus est horologio, neque argenteis fioulis, nec serico pileolo, vel mucinio. Nulla unquam voluit ornandis parietibus aulæ: nullum elaboratum stragulum in lecto, quem semper obtexit per-

pervetusta quadam lodice , Carthagine sibi tradita , cum inde solveret in Italiam . Illas etiam commoditates , quibus uti ex Medici præscripto aliquando debuit , ita cum paupertatis studio temperavit , ut nullum in eis ostentationis specimen appateret . Palam hoc demonstrabat et currus ille , de quo supra mentionem fecimus , et adscititia cæsaries , quam extremitis temporibus adhibere coactus est ad fluxiones capitis cohendas . Hxc sane ab omni elegantia specie longissime aberrat , aperteque intuentibus indicabat , necessitatì tantummodo deservire : illiusque usum noluit ipse ultra Missæ tempus extendere , aut cum Eucharistiam quotidie sumeret , quando Missam celebrare non potuit .

Ex amore paupertatis propensiore quodam affetu diligebat pauperes , in quibus Christi personam reverebatur , qui propter nos egenus factus est , cum esset dives . Humaniter ac benigne illos alloquebatur , et stipem propria manu donabat , recusato sçpe aliorum ministerio , qui suam ad id operam offerebant . Hoc extra urbem frequenter eveniebat , cum ztivo tempore manebat in Villa , ex qua neminem , qui ad petendam opem accederet , sine illa dimitti patiebatur . Cum autem foras deambulandi causa prodiret , multi eum pauperes in loco , ad quem accedere solitus erat , opperiebantur : quorum singulis , detento curru , stipem aliquam impertiebat . Et quamvis in promendis numulis non modice interdum ex vestium volumine impediretur , non ideo precibus annuebat comitum , qui stipem etiam dare , ut molestiam illi minuerent , contendebant : sed omnino volebat ipse aliiquid in singulos sua manu erogare . Id cum fere quotidie faceret , ipsi etiam equi , cum ad prædictum venissent locum , præ consuetudine sistebant gradum , immotique perseverabant , donec inde turba pauperum digrederetur .

De illius modo castitate dicturus , paucis id agam verbis , ut Francisco ipsi consentiam , qui de hoc argumento parcissime loquebatur . Quanto enim impensius amabat illam , atque ab aliis pariter amari cupiebat , tanto accuratius ab iis sermonibus abstinebat , qui possent imagines contrarii vitii excitare . De hoc vito ne in concionibus quidem ita volebat agi , ut oratio descenderet ad singularia : in privatis vero colloquiis ,

quamvis reprehendendi causa fieret, multo minus sinebat illud attingi, nec verebatur de his loquentem interpellare, licet importunus videri nonnunquam posset. Sed neque locutiones illas in familiari sermone usurpari probabat, quibus *sacræ literæ*, Doctoresque mystici explicant unionem intimam, et castissimos illos amplexus, ad quos Deus priores aliquot animas dignatur admittere. Hæc enim, dum opus esset, privatim potius discutienda esse censebat, quam in colloquio multorum pertractanda; cum ea possent interdum in alicujus vergere detrimentum. Solertissimus nimirum erat in his omnibus avertendis, quæ vel leviter virtutem illam offendarent, cuius est indoles simillima lilio, quod tanto candidius emicat, quanto minus fuerit attractatum. Ut eam servaret ipse illibata, jam inde a primis annis, rejecta nuptiarum, et hereditatis amplissimæ cogitatione, serio coepera de amplectendo religiosæ vitæ instituto deliberare: ab eaque mente, tanquam a Deo injecta, nullis potuit illecebris, nullis temptationibus dimoveri. Hoc autem perfectioris vitæ desiderium vel intersipas. Aulæ delicias ita gressus ejus direxit, ut adolescentiam duxerit innocentem; cum ipse interea, et honestis studiis, e Christianis operibus deditus, illa constanter effugeret oblectamenta, quæ candorem animi poterant offuscare. Intra religiosa deinde claustra receptus, quanquam in tuiore loco thesaurum pretiosissimum collocaverat, non ideo securum credidit, nisi custodiam adjungeret diligentem. Itaque ad eum augendum, et conservandum, asperitatum adhibuit usum, orationis, et humilitatis studium, cibi, potusque parsimoniam, quæ ad extremam usque vitam servavit. His autem subsidiis, ac divina præsentim ope suffultus, puritatem mentis et corporis creditur fideliciter custodisse. Ad studium ejusdem virtutis in sacris penitentiæ Ministris promovendum, librum in Hispania scripsérat *De castitate Confessaris*, quem eleganti latinitate, solidæque doctrinæ copia compositum, Censores designati jam approbaverant. Sed illum, propter irdictam eodem tempore legem exilii, prælo mandare non potuit: ejus tamen autographum in tabulario Ducis Granate ad Egas, cui Franciscus illud miserat, verisimile est cum alijs ejusdem scriptis asservari.

Etsi vitam in gerendis magistratibus maximam partem ducerit, non ideo pauca obedientiz, nec parum illustria dedit exempla. Nam in primis nullum obedientiz genus gravius illi erat, ac difficilis, quam imperandi munus, quoties ei deferebatur, admittere. Hinc s̄epe profusæ lacrymæ, et animi angores intimi, qui corporis etiam valetudinem nonnunquam immutarunt. Sed postquam demandata munera nec lacrymis, nec precibus poterat declinare, perinde illis subjiciebat humeros, quasi grata sibi essent, aut levia: quod non modicam in obediendo perfectionem indicat, et requirit. Deinde in imperio ipso exercendo singulorum vites, et indolem sic explorabat; ne cui forte majus, aut non ita conveniens onus imponeret, sed omnes ad officium faciliori via compelleret; ut quodammodo subditis potius obsequi, quam ab eis obsequium exigere videretur. Præterea Superiores habebat ipse, quorum potestati subjectus erat, et quorum proinde jussa prompte, ac fideliter exequebatur. De hac ejus perfecta ratione parendi, vel cum difficultia præciperenrur, præclara quædam argumenta jam exhibuimus, dum ea, quæ Panzani gessit, recenseremus. Sed et alibi, quamvis nullo Superioris cogeretur imperio, ad illius sequendos nutus promptum se animo, et opere ostendit.

Dum provinciæ præterat in Hispania, scripserat ad eum aliquando Præpositus Generalis, novum sibi videri, alienumque ab aliarum consuetudine provinciarum, quod in Castellana fiebat, ut tirones alterum probationis annum cum studiis conjungerent humanitatis. Id enimvero antiquissimum erat ibi, ac fortasse ab eo institutum tempore, cum mos idem vigebat Romæ, ut Sacchinus indicat Hist. Soc. P. 4. lib. 3. num. 37. Sed quocunque demum tempore mos ille inductus fuerit, ad eum modo emendandum non leves intercedebant difficultates. His tamen Franciscus nullo modo deterritus, ad indicatam Generalis voluntatem explendam serio convertit animum: statimque de ratione suppeditandi necessarios redditus, ac de habitatione constituenda cogitare cœpit, in qua juvenes post completum tirocinii biennium, studiis incumberent humanioribus. Et quamvis consilium hoc, superveniente postmodum Sociorum expulsione, perficere non potuerit, in eo tamen

aggregiendo non modicam obedientiaz laudem promeruit. Parrem etiam conatum adhibuit ad reformatas Philosophiaz Scholas, postquam ex literis ejusdem Generalis agnovit, gratum sibi facturum, si curaret, ut in eis aliquid de amoeniore, et experimentali Physica tractaretur. Sine mora probatissimos aliquot Scriptores conquiri jussit, quibus in explicanda naturali Philosophia juvari Magistri possent: ac, nisi adversa obstinassent tempora, novum aliquem cudi fecisset Cursum philosophicum, quem sequi deberent omnes, ut plenius Praepositi Generalis voto satisfaceret. Ad eundem de provinciaz suaz rebus tam exacte ac simpliciter scribebat, ut qui ejus aliquando dictantis exceperit verba, dum morbo impeditus erat ad scribendum, magnopere miratus fuerit ingenuam sinceritatem in exponentis quaz gesserat, aut gerere cogitabat, et absolutam submissionem judicii ad Praepositi voluntatem, quippe qui nollet ab ea nec in minimis discordare.

Postquam Societatis Moderatoribus subesse desierat, erga illum, cui ex communi jure subjiciebatur, promptam similiter exhibuit obedientiam. Vix enim Pontificiaz literaz, quibus suppressa est Societas, Bononiam allatz fuerant, cum ipse protinus ad Archiepiscopum ejusdem urbis Cardinalem Malvetium venit, eique tanquam legitimo Superiori se plene submisit. Ab eodem facultatem pro deligendo sibi Confessario, pro pecuniarum usu, proque aliis similibus tam suppliciter pettit, quam si cum aliquo ageret veterum Superiorum. Quod Malvetius ita probavit, ut eum deinde singulari benevolentia prosequeretur: nec solum postulata omnia libenter illi concessit, sed potestatem insuper fecit, ut eadem ipse cum Hispanis exiibus pro arbitrio suo communicaret. De aliis Francisci virtutibus, ac præsertim de illius in gubernando prudencia, de fortitudine in adversis, de honoris et gloriæ mundanæ contemptu, atque indefesso humilitatis studio tam multa in præcedentibus dicta sunt, ut ad eas comprobandas minus necessarium existimem lectorem pluribus demorari.

C A P U T X X .

De Francisci obitu, et illius funere.

Earum intentus exercitationi virtutum, quas modo commemoravimus, laudabilem agebat vitam, et inter molestias ægræ valetudinis cum tranquillitate migrationis suæ diem expectabat. Nonnullis antequam obiret mensibus, significaverat Medicus, qui eidem ægrotanti semper adfuit, et cui proinde nota erat illius corporis habitudo, Francisci vitam per annos jam decem divina potius, quam humana ope sustineri. Tribuebat hoc ille precibus Hispanorum exulum, quibus noverrat ex multorum colloquiis civium, quorum frequens intrabat domos, vel solum Francisci nomen defensioni esse, potentique patrocinio. Sed et Franciscus ipse, cui semper aliena commoda potiora fuerunt, quam sua, constantius adversam valetudinem tolerabat, ut facilius aliorum intenderet utilitati. Illud etiam in proiecta, et afflita ætate vigorem ei aliquem addidisse crediderim, quod spem bonam aleret, in desideratissimum Societatis gremium tandem aliquando reversum. Itaque cum eam in Alba Russia incolumem servatam esse cognovit, iter illic agere cogitavit, paratus ad experimenta quælibet subeunda, ut iterum in ipsa reciperetur. Sed cum timerent Russiani Patres, ne id Hispanæ Curæ non probaretur, et graviora inde nascerentur incommoda, ab incepto illo destitut eo tempore.

Deinde vero, cum mitiora esse tempora videbantur, et ipse jam octavum et septuagesimum agebat annum, ad Pontificem Maximum libellum supplicem misit, his conceptum verbis: *Beatissime Pater: Franciscus Xaverius de Idiaquez, filius primogenitus Ducum Granata ad Egam, Hispanæ Magnatum ex prima classe (alia quedam adjungebat gentilitia decora, quoniam hoc ad obtinendam gratiam expedire illi dixerat, qui libellum erat Pontifici traditus) Orator humilius accedit ad Solum Sanctitatis vestra: et post humile pedum osculum exponit, se in Societate Jesu rixisse ab anno trigesimo secundo hujus seculi, atque semper in Societate perseverans-*

se

se usque ad extinctionem. Jam vero, cum sibi constet, Societatem Jesu adhuc subsistere in Alba Russia, petit etiam atque etiam, ut Oratori seni, et laboribus fraco lenimen concedat, illum in Societatem restituendo, et provincia Alba Russiae auctoritate Pontificia applicando, ut sic mori tandem possit in Religione, in qua tanti libentissime vixerat. Hanc gratiam a Sanctitate vestra postular Orator per viscera Iesu Christi Domini nostri, qui est. Ut libellus opportuno tempore redideretur, usus est opera cuiusdam Bononiensis viri, qui multam apud Pium VI. iniverat gratiam. Sed tamen verisimile est, Francisci preces non fuisse exauditas, cum de his nunquam ipse locutus fuerit, ac ne cum eo quidem, quem adhibuerat ad libellum supplicem scribendum. Hic etiam, vivente Francisco, silentio rem texit, eamque nonnisi post illius obitum cuiquam aperuit.

Interea Franciscus ad vitæ metam appropinquabat, et quamvis lecto non esset affixus, gressum tamen movere sine aliena ope vix poterat. Sed quanto debilior erat corpore, tanto mens ejus a perituriis abstracta bonis ardentiis anhelabat æterna. Frequenter per id tempus verba illa iterabat: *Nihil me in h.c mundo delectat: et alia, quæ familiarissima sibi fuerant: Quam bonum habemus Deum!* Credi etiam potest, aliquam propinquæ mortis præsensionem habuisse. Postquam enim de more in Bertalæ suburbanum venerat anno 1790, Notarium illum accivit, quocum Bononiæ ante aliquot annos cum facultate Summi Pontificis condiderat testamentum: illudque modo coram eodem Notario, et testibus recognovit, atque aliqua ejusdem capita reformavit. His peractis, contuberniales etiam suos per insequentes dies ad se vocavit, et ab eorum unoquoque quæsivit, quosnam Bibliothecæ suæ libros habere sibi unusquisque vellet, postquam ipse decessisset: quod potuit de imminente illius morte suspicionem injicere, quanquam de hoc ipse nihil expresse significavit. Perrexit deinde cum domesticis, et externis eodem modo agere, quem hactenus observaverat, donec post Augusti medium vertigine contactus est, dum mensæ cum cæteris accumbebat. Inde inter suorum brachia in proximum defertur cubiculum, in quo per diem manere consueverat, et collocatur in lecto. Cupiebat

ille transferri ad superiorem habitationem, in qua Sacellum erat positum, ut et Missam audire posset, et divinum quotidie recipere Sacramentum. Sed Medico, qui statim adfuit, mutationem illam non approbante, Franciscus devotioni suæ prætulit obedientiam. Hanc etiam erga inservientes sibi pariter exhibuit, sive cibum illi offerrent, aut potum, sive phar-maca ministrarent. Ad omnes eorum nutus facile flœctebatur, nullamque vocem impatientia, vel doloris indicem edidit, quamvis paucos intra dies, alicubi disrupta cute, fuerit exulceratus.

Sed nihil in eo magis fuit admirandum, quam animus imperturbatus, quo mortem jam appetentem aspexit. Deficien-tibus paulatim viribus, quo potissimum morbo laborare vide-batur, spes nulla erat reliqua illius valetudinis relevandæ. Quod cum ei denuntiatum esset, ut se ad aternitatis viam compa-raret, non animo, non vultu concidit, non timore aliquo vi-sus est corripi, sed gaudere potius, et exultare, quod pere-grinationis suæ finis advenisset. Ea nempe in Deo fiducia, quam fovere ipse studuit divinis perfectionibus contemplandis, et virtutibus exercendis, vires illi credenda est addidisse, ut eam denuntiationem sine ulla conturbatione reciperet: et qui generose mundum spreverat propter Deum, gaudere utique potuit, quod tandem relicto mundo, ad Deum, quem unice amabat, appropinquaret. Quos deinde dies vixit, eandem a-nimi pacem retinuit. De valetudine interrogantibus, Bene se-cum agi, placidissime respondebat: nihilque ab illius ore pro-dibat, aut ex vultu deprehendebatur, quod tranquillum ho-minem, Deoque submissum non indicaret. Sacro jam præmu-niendus Viatico, quod magno pietatis sensu recepit, veniam prius ab omnibus exoravit, quos verbis offendisset, aut fac-tis. Idemque postmodum erga famulos præstítit, quos nomi-natim compellatos rogavit, ut quæcunque in eos delinquisset, benigne vellent ignoscere. Sed illi profusis lacrymis, ac ge-mitibus demonstrarunt, quam nihil ab eo fuissent offensi, & quo nonnisi optima morum exempla, et sana consilia, et as-sidua receperant beneficia. Post non multos dies inunctus est oleo sancto: et tanquam ipse alteri adesset, cui Sacramentum ministraretur, perinde intentus erat omnibus, et ad singulas deprecationes distincte, religioseque respondebat. Cum sa-pe roga-

rogatus esset a Confessario , num quid illius animum solici-
taret , toties eidem asseruit , nihil esse per Dei misericordiam ,
quod eum angeret , et affligeret . Cum hac imperturbabili tran-
quillitate ad extrema devenit , Deoque solitis precibus com-
mendatus , placide tandem in Bertalix pago decessit Kal. Sep-
tembris 1790 , hora circiter quinta post mediam noctem , x-
tatis anno septuagesimo nono cum dimidio . Facies ejus venu-
stior , et amabilior post mortem apparuit , quam viventi fue-
rat : et venerationis affectus , quo multi eum propter opinio-
nem virtutis prosequabantur , divulgato illius obitu , maxime
increbuit . Bertaliensium aliqui ad videndum exanime corpus
ingressi , reverenter deosculati sunt manus ejus , ad easque Ro-
saria devotionis ergo applicuerunt . Alii deinde non solum ex
urbe Bononia , sed Matina etiam , et Parma , et aliunde pete-
bant aliqua , quæ Francisco usui fuissent , ut ea sibi pro sa-
cris pignoribus asservarent . Nec defuerunt , qui brevi post
tempore beneficia quædam commemorarent , quæ a Deo per
Francisci merita obtenta fuisse affirmabant . Ego vero , ut alia ,
quæ minus comperta sunt , prætermittam , hoc unum referam ,
quod accepi a Sacerdote perspectæ probitatis , et fidei Domi-
nico Balestro , cuius testimonium manu sua prescriptum , at-
que signatum subjicio .

„ Testor ego infra scriptus , fidemque facio , Franciscum
„ Xaverium Idiaquezium , qui fuerat olim e Societate Jesu ,
„ diem supremum obiisse anno millesimo septingentesimo no-
„ nagesimo . Is per annos multos rusticatum venerat cum aliis
„ Sacerdotibus , qui pariter ex eadem Societate fuerunt , in sub-
„ urbanam domum , quæ valde vicina est Parochiali Templo
„ S. Martini de Bertalia , in quo ipse ab annis jam octo et vi-
„ ginti Capellani munus exerceo . Possum autem sincere , ve-
„ rissimeque asserere , atque etiam testimoniis confirmare toti-
„ us populi , cuius numerus superat septingentos , et Francis-
„ cum , et ejus socios ita hic fuisse versatos , ut caritatis , et
„ aliarum exercitatione virtutum optimo exemplo fuerint uni-
„ versis incolis S. Martini de Bertalia , et Rovoreto , qui si-
„ mul sunt uniti . Hoc insuper , quod ipsem expertus sum ,
„ et eos , qui me norunt , in admirationem adduxit , æque ve-
„ ridice affirmo . Quo die , post Francisci mortem , justa illi

per-

„ persolvebantur in Parochia Bononiensi SS. Gervasii et Pro-
 „ tastii , illuc ego profectus sum , ut Sacrum pro illius anima
 „ offerrem . Sed iter illud nonnisi ægerrime , magna que cum
 „ defatigatione confeci : nam podagra laborabam , quæ me mul-
 „ tis retro annis usque ad prædictum diem afflixit . Tunc ve-
 „ ro indesinenter rogabam Dominum , ut me vellet ab eo in-
 „ tolerabili incommodo non meis meritis , qui peccator sum
 „ indignus , sed per merita servi sui Francisci liberare . Deus-
 „ que preces meas benigniter exaudivit . Nondum enim ad me-
 „ dium perveneram Sacrificium , cum me penitus dolor ille
 „ pedum reliquit . Ab eoque tempore in hodiernam usque di-
 „ em perfectam obtinui sanitatem , iis valde mirantibus , qui
 „ me podagra misere afflictum viderant , modoque perfecte sa-
 „ num vident , et agnoscent . Præterea , cum adessem in do-
 „ mo quadam , ubi amissa fuerat certa pecunia summa , quam
 „ surripuisse arguebatur virguncula annorum sedecim , hanc
 „ ego remotis arbitris interrogavi , esset ne furti rea ? illaque
 „ omnino innocentem esse affirmante , in semotum discessi lo-
 „ cum , Deumque per merita ejusdem servi sui Francisci de-
 „ precatus sum , ut rem illam domesticis aliqua ratione mani-
 „ festaret ad inculpatæ , atque afflictissimæ puellæ consolatio-
 „ nem . Non multæ abierunt horæ , cum tota inventa est pe-
 „ cunia in eodem ipso contenta involucro , intra quod illam in-
 „ cluserat accusator . Denique multis ego variisque molestiis
 „ per maximam cujusdam noctis partem exagitatus , somnum
 „ conciliare non poteram ; cum venit mihi in mentem recur-
 „ sum ad Deum facere , interpositis viri hujus optimi meritis ,
 „ ut quietem mihi aliquam concedere dignaretur . Quod cum
 „ fecisset , continuo me somnus cepit : deindeque expergefacy-
 „ tus , nihil eorum memini , quæ me noctu solicitaverant , nec
 „ nisi post horas multas animadverti , quod mihi nocte illa
 „ contigerat . Hæc omnia verissima esse , subscriptione mea con-
 „ firmo , apposito Sigillo Parochialis hujus Ecclesiæ S. Martini
 „ de Bertalia , et Rovoreto . Septima die Martii , millesimi
 „ septingentesimi nonagesimi quinti .

„ * Dominicus Balestrius Capellanus . ,

Quanquam Franciscus in testamento suo disposuit , ut fu-
 nus ejus perinde atque aliorum exulum Sacerdotum celebra-
 Lib. II. a a a

etur ,

retur, æquum tamen visum est multis, non tam illius humilitatis, quam propinquorum dignitatis habendam esse rationem. Itaque corpus ejus, postquam unguentis conditum est Bertalixæ (ubi sepulta sunt illius viscera prope aram Sanctissimi Cordis Jesu, quod ipse totis visceribus amavit, ut Inscriptio indicat, quæ ibidem incisa fuit marmori) Bononiam delatum est noctu ad Parochialem ædem SS. Gervasii, et Protasii, sub qua domus sita erat, quam incolebat in urbe. Postridie in eadem æde, quæ magnifico funebrium velorum apparatu, et ingenti cereorum numero instructa erat, parentatum Francisco fuit, magno ex omni civium ordine facto concursu, multisque illius vultum pleniorum, et gratiosiorum quam antea demirantibus. Eximius Francisci amor in Societatem eum impulit, ut sepeliri peteret ad S. Ignatii, ubi multa Sociorum, etiam Hispanorum, quiescebant corpora: ut quibus tandem professione vita conjunctissimus fuerat, iisdem communione sepulchri copularetur. Reverendi autem Domini Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo, qui sedem illam tenent, Francisci cognita voluntate, tanquam se divites felicesque reputarent talis viri nactis exuviis; eidem libentissime consenserunt. Illuc ergo deportatum est solemní pompa cadaver, arcæque inclusum lignæ, in eodem collocatum fuit loculo, in quo sepultus erat Petrus Calatayudius, quem Franciscus, dum viveret, tanquam suum in Christo Patrem dilexit, eidemque post mortem consepeliri voluit, ut simul cum ipso ad vitam inde resurgeret sempiternam. In arca illa lignea repositum fuit hoc Elogium, a Josepho Petisco elaboratum, quo et vitæ series, et præcipuæ Francisci laudes continentur:



D. O. M.

FRANCISCVS. XAVERIVS. DE. IDIAQVEZ
PATERNO GENERE. TOPARCHIÆ. GENTIS. LOJOLEÆ
MATERNO. COMITATVS. XAVERII
HFRFS. NATVS
REGIO. SANGVINE. ANTIQVOS. NAVARRÆ. REGES
FT. INCAS. IMPFRATORFS. CONTINGENS
VICFOMOFS. ZOLINÆ. MARCHIO. DE. CORTES
INTER. PRIMARIOS. HISPANIÆ MAGNATES
DVX. GRANATÆ. AD. FGAM
INFANTIA. ET. PVERITIA
CASTISSIMORVM. INNOCENTIA. MORVM
ET. LITERARVM. PRÆSERTIM. HVMANIORUM
INGENTI. LAVDE. FELICITER. EXACTA
JAM. ADOLESCENS. IN. IPO. ÆTATIS. FLORE
ANNO. SCILICET. VIGESIMO
HEREDITATIS. NOBILISSIMÆ
ATQVE. OPVLENTISSIMÆ. JVRE
IN. FRATREM. TRANSLATO
SOCIETATEM. JESV
QVAM. DIV. IN. VOTIS. ARDENTISSIMIS. HABVERAT
POST. LONGA. ET. VARIA. CERTAMINA
FORTITER. SVPERATA
INGRESSVS. EST
MAGNA. HOMINVM. ADMIRATIONE
AC. MAJORI. EXEMPLO
IN. EA. SANCTORVM. IGNATHI. ET. XAVERII
CONSANGVINFORVM. SVORVM
VIVAS. IMAGINES. EXPRESSIT
MAGISTERIO. PRÆDICACIONE. PRVDENTIA
SANCTITATE. MORVM
DIVINÆ. GLORIÆ. PROMOVFNDÆ. TAM. AVIDVS
VT. AB. HOMINIBVS. CONTINVO. PRÆPEDITVS
NE. HIAM. AD. INLOS. PROPAGATVRVS. ABIRET
EJVS. AFVD. LEVM. HÆC. ESSET. JVGIS. ORATIO
aaa 2

DO-

DOMINE . SI . TV . ES
 JVBE . ME . VFNIRE . AD . TE . SVPER . AQVAS
 HVMILITATE . TANTA
 VT . CVM . OMNIVM . SOCIORVM . SVFFRAGIIS
 AD . SVPREMAM . ORDINIS . PRÆFECTVRAM
 EXPETERETVR
 IPSE . SIBI . SOLI . VILISSIMVS
 NIHIL . NON . TPNTAVERIT
 SOI FRTISSIMO . QVO . PRÆDITVS . ERAT . INGENIO
 DONEC . ALIO . EAM . DIGNITATEM . AVERTISSET
 NIHILOMINVS . ASSISTENS . HISPANIAE
 ABSENS . LICET . CREATVS
 HOC . ETIAM . MVNVS
 SVMMIS . IMISQVE . PRECIBVS
 APVD . PATRES . CONGREGATOS . DEPRECATVS . EST
 VT . CARISSIMOS . SIBI . NOVITIOS
 IN . VILLÆGARSIAE . SOLITVDINE . REVISERET
 VOTI . COMPOS . FACTVS
 INCREDIBILE . DICTV . FST
 QVANTVM . IN . EORVM . ANIMIS . EXCOIENDIS
 TVM . VIR'VTE . TVM . FRVDITIONE
 ADLABORAVERIT . AC . PROFECERIT
 AD . PROVINCIÆ . CASTFI LANÆ . GVBERNACVLA
 QVANTVMVIS . INVITVS . ADMOTVS
 SCHOLARVM . OMNIVM . DOMESTICARVM
 NON . MAGIS . QVAM . EXTERNARVM
 VIA . ET . KATIONE . DOCENDI . ACCVRATISSIMA
 IN . INTEGRVM . RESTITVTA
 SPLENDOREM . PIETATEM . STVDIA . COMPENDIA
 MIRIFICE . RENOVAVIT
 RECTOR . REGALIS . COLLEGII . SALMANTICENSES
 SECUNDVM . RENVTIATVS
 ET . MADRITVM
 GRAVISSIMI . NECOII . CAVSA . MISSVS
 CVM . CÄTERIS . SOCIIS . HISPANIS . RELEGATVR
 IN . ITALIAM
 SFD . DVX . OMNIBVS . FVIT
 IN . LABOKIBVS . ET . ÆKVMNIS . ITINERIS . AC . FXILII
 PRO-

PROPE . INFINITIS . PREFERENDIS
 PETERIORA . QVÆQVE . SIBI . SEMPER . SVMENS
 IN . LECTO . VFSTIV . HABITACVLO . CIBO
 QVO . RELIQVI . MELIUS . HABERENT
 A POLITA . SOCIETATE
 DVM . FSSFT . ITERVM . PROVINCIALIS
 MCRES . NON . MVTAVIT
 PERPETVO . SVI . SIMILIS
 CONTEMPTV . RFRVM . HVMANARVM . EGREGIO
 DEMISSIONE . ANIMI . SINGVLARI
 NON . MINVS . QVAM . MAGNITVDINE
 ADVERSITATVM . TOLFRANTIA . OBEDIENTIA
 MANSVETVDINE . RELIGIONE . CONSTANTIA
 FIDE . SPE . CARITATE
 DENIQVE . SPCTATISSIMO . EXEMPIO
 VITÆ . VEL . IN . MFDO . SECULO . DVCENDÆ
 AD . NORMAM . EVANGELII
 ET . ECCI ESIÆ . CATHOLICÆ
 CVJVS . SACRAMENTIS . DEPRECATIONIBVS
 INDVLGENTIIS . RITE . SVSCEPTIS
 EXIMIO . DEVOTIONIS . INTIMÆ . SENSV
 AD . FXTRFMVM
 EHEV ! QVANTOPERE . DESIDERANDVS
 ÆTERNVM . VICTVRVS . PACATISSIME . OCCIDIT
 ANNOS . NATVS
 SEPTVAGINTANOVEM . MFNSES . SEX . DIES . SEX
 KALEND . SEPTMB:
 ANN . A . CHRISTO . NATO . & IOCCI XXXX
 PARENTI . SVO . BENEFICIENTISSIMO
 COMMUNI . MAGISTRO . VIRTUTVM
 ET . SCIENTIARVM
 POLITIORVM . ARTIVM
 CVM . PIETATE . CONJVNGENDARVM
 AVCTORI . PRÆCIPVO
 VERBO . SCRIPTIS . ET . OPERE
 BENEMERENTI
 PERENNIS . OBSERVANTIAE . MONVMFNTVM
 SOLALES . HISPANI . OPP . DO . MQRENTES
 POSVERVNt .

In iuso pavimento Templi marmoreus collocatus est lapis, qui Sepulcreti loculo imminet, in quo Francisci Xaverii, et Petri Calatavudii corpora reconduntur. Eisdemque lapidi sequens insculpta est Inscriptio:

A. X. Ω.

FRANCISCO. XAVERIO. IDIAQVEZ. HISPANO

PRIMARIO . DYNASTÆ
 ANTIQVIS . NAVARRÆ . REGIBVS . ORTO
 ET . MAGNO . REGNI . MARESCALLO
 TOPARCHIÆ . LOJOLEÆ
 AC . XAVERII . COMITATVS . HFREDI
 DVCI . GRANATÆ . AD . FGAM
 HIS . ALIISQVF . DITIONIBVS
 AMORE . JESV . SPRETIS
 QVAM . JURE . HABITIS . NOBILIORT
 PRIMIS . IN . SOCIETATE . JESV . MVNIIS
 VEL . HVMII ITER . RECVSATIS
 VEL . BENE . GENTIS . INCOMPARABILI
 IN . OMNI . ÆTATE . AC . VITÆ . GFNFRE . INSIGNI
 CVNCTARVM . VIRTVTVM . EXFMPLO
 LITERARVM . I DVSTRIO . CVLTORI
 SAPIENTISSIMO . MAGISTRO . SCRIPTORI . ELEGANTI
 EXVLVM . HISPANORVM
 SOLAT' O . ET . PRÆSIDIO
 QVI . CVM . VIXISSET A . LXXIX . M . VI . D . VI
 FELICITER . DECEDENS . KAL . SEPT . A . MDCCXC
 HEIC . CONTVMVLARI . OPTAVIT
 PATRI . SVO . IN . CHRISTO
 PETRO . CALATAYVD . S . J . VIRO . SANCTISSIMO
 PIETATE . DOCTRINA . SCRIPTIS
 EVANG . PRÆDICATIONE . INCLITO
 IN . EXILIO . III . KAL . MART . EXSTINCTO
 A . MDCCCLXXXIII . ÆIAT . LXXXIV
 VIRIQVE . B . M .
 CONTVBKNALFS . DOLENTES
 F . F .

Hæc habui , quæ de rebus Francisci Xaverii dicerem , non tam pro ipsius dignitate Viri , quam pro ingenii mei tenuitate conscripta . Aliorum autem Virorum facta , quæ initio mens fuerat in hoc etiam complecti libro , cuius moles ad sufficientem jam modum excrevit , alteri tractanda relinquo , qui velit incepsum a me opus persequi . Ego enim , ut vera loquar , cum jam diu et titubante pulsu , et caligantibus oculis , et capite præter morem defatigato , non nisi ægre in eodem promovendo adlaboraverim , ulterius illud urgere non ausim . Hoc etiam , quod hactenus utcunque feci , benigno illorum patrocinio adscribendum existimo , quorum laudabilia narravi gesta : præsentimque acceptum refero meritis Idiaquezii , qui mihi hoc onus imposuit , idemque , ut spero , vires quoque impetravit , ut illud in hunc usque portarem locum , ubi jam obligatam olim fidem scribendi duos de Viris illustribus libros sufficienter puto exsolvisse .

Utinam meus hic labor et in honorem Dei , qui laudandus est in Servis suis , et eorum , ad quos pervenerit , in aliquam cedat utilitatem .



INDEX

RERUM NOTABILIUM



- A**
- Alava (Teresa) Rosarium aureum S. Aloysio donat. Pag. 122
- Alustiza (Joannes) expulsos e Gallia Socios humanissime recipit Sebastianopoli. 276
- Annales Jesuitici, anonymum et perversum opus, a fidei Quæsitoribus in Hispania intercipiuntur. 278
- Annonæ, pecudum, et armentorum augumentum post exercitam erga pauperes misericordiam. 171. seq.
- Arteagaram familia ex Christianæ vitæ legibus optime constituta. 226
- Avenione P. Nolhacus cum aliis Catholicis impie a Jacobinis occiditur. 336
- B**
- Belgradus (Jacobus) primum in custodiæ, deinde in exilium mittitur. 338
- Bellettus (Josephus) de Jesuitis initio sinistre sentit, quos deinde amat impense. 318. seq. 333
- Benedictini Monachi erga infirmos Socios multam Burgis exhibent caritatem. 44
- Bononiae præclarum constantiæ exemplum adolescentes perhibent Societatis. 339
- Bozizius (Antonius) aliiq. Germaniæ Socii inopiam sublevant Hispanorum. 328. seq.
- Burgotarenium erga prætereuntes Hispanos Socios humanitas singularis. 309. seq.
- C**
- Calatayudii (Petri) jam morituri ad Idiaquezium verba. 336. seq.
- Calvinus necandos Jesuitas, vel calumniis opprimendos esse censebat. 317
- Castellana provincia quot haberet Socios, et quem quique adierint portum exili tempore. 7
- Castelvetrus (Joannes Maria) Regiensis Episcopus quosdam Societas juvenes ad se vocat, ac munere donatos dimittit. 312
- Castillus (Gaspar) Societati gaudenter adjungitur. 178. Diuturnis in tirocinio morbis exercitus, non inde contrahit languorem animi. 178. seq. Compostellam studiorum causa missus, longiorum inde profectionem arripit in exilium. 179. seqq. Dum Corunnae detinetur, sedulo divinis rebus, et literariis incumbit. 187. seq. Absolutis studiis, evehitur ad Sacerdotium. 188. Multam in perficiendo spiritu curam impendit. 189. Eximiam reputat felicitatem subesse obedientiæ iugo. 189. seq. In externo cultu ita decentiam amat, ut simul aus-

teritatem sectetur. 190. Ad continentos animi motus egregium conatum adhibet. ib. Laudabile ponit studium in referenda beneficis gratia. 191. Offerendo Sacrificio diligenter se preparat, multumque inde fructum reportat. ib. Suppressa Societas, nihilo segnus incumbit studiis. 192. In extremo morbo multa virtutum edit exempla. 192. seq. Vitam inter frequentes Christi amplexus Bononiæ finit. 193.

S. Christophoro (Joannes Thomas) tironibus a jungitur Societas. 95. Copulandis litteris ac virtutibus Patronum sibi asciscit S. Alcyseum. 95 seq. Doccendis, regerisque Sociis magnam viræ partem impendit. 96. Inter discipulos scientiam promovet, et virtutem. 97. Ab ejus Schola multi ad Indes proficiuntur. ib. Vallisoleti cum magno studentium fructu Congregationi præficitur Aloysianæ. 98. seq. In orationibus habendis ad populum non probat exquisitam querundam diligentiam. 100. seq. Sacerdotes, qui tertium probandi erant, diligenter instruit. 101. Ministerium explicanda doctrinæ pueris studiose promovet. ib. In Rectoris munere vigilantiam cum prudentia, se veritatem cum indulgentia conjungit. 102 seqq. Tenacitati Procurators remedium adhibet efficacissimum. 105. Ipse in alios caritatem et largitatem exercet. ib Beneficis gratum se perhibet, idemque commendat aliis. 106. Corpus suum austere Lib. II.

bbb

castigat. ib. Et animi metus strenue cohibet. 107. seq. Humiliter, et constanter adversa tolerat. 108. seq. In morbis patientiam retinet, et obedientiam. 109. seq. In extremo morbo constantiam, et pietatem exhibet singularē. 110. seq. Bononiæ obit, ibidemque sepelitur 111.

Colmenares (Eugenius) quo loco, ac tempore natus sit. 151. Post tirocinium, et studiorum cursum, Grammaticam docet. 152. Et Philosophiam, aucto discipulorum, et penitentium numero. ib. Socius datur Magistro novitiorum: et Theologiam Palentiae docet. 153. Postquam multa Collegia rexerat, Provinciam saepe administrat. ib. Tota Eugenii vita oratione præsertim, et mortificatione constabat. 153. seqq. Quædam ex adversariis ejus excerpta, quibus ejusdem orandi studium comprobatur. 155. Orationis ope concitatos ira motus viriliter superat. 156. In objurgando lenitatem rigori præfert. 157. Perpetuum corpori bellum inicit. 158. seq. Quam largus in austentatibus, tam modicus cibi erat, et somni. 159 seq. In laboribus aliis, unde unde advenientibus, patientem et submissum Deo animum gerit. 161 seq. Ab elatione ac singularitate alienus, hilarem se præbet in quotidiano congresu. 163. Sed idem demisse abjicitur coram Deo. 164. Paupertatem, et moderationem tenet in omnibus. 164 seq. Castimonie decus omni ope defendit.

dit. 165. Levitatem vel in alterius ore ferre non potest. 165. seq. Obedientiam etiam minoribus exhibet. 165. Divinam fidem frequenti foveat meditatione. ib. Spem quoque promissis alit a Deo factis. 165. seq. Caritas in Eugenii regnabat corde. 167. seq. Sacratissimum Cor Jesu ferventi amore prosequitur. 168. Inde mansuetudinem traxit, et invictam in portanda cruce constantiam. 169. Inde misericordiam didicit erga pauperes. 170. seq. Quam misericordiam multiplici mercede Deus rependit. 171. seq. Et homines liberali compensant officio. 172. seq. Beneficentiam ad immerentes quoque, sibique molestos extendit. 173. Non nihil de rigore renitit, ut aliorum voluntati consentiat. 173. seq. Ne quem offendat verbis, studiose cavet. 174. Quanto propinquior ad metam, illustriora promit virtutum exempla. ib. In tranquilla pace postremum diem expectat, ad quem se preparat diligenter. 175. Sacramentorum adjutus ope, Bononiae moritur, et ibidem cum honore tumulatur. 176. Eugenii elogium sepulcrale. 176. seq. Compostellani Socii, imminente jam proscriptione, nullis suasionibus inducuntur, ut sibi prospiciant. 180. Decretum exilii constanti, et submisso animo excipiunt. 181. seq. Archiepiscopus doloris sui, et amoris in Socios non dubia prodit indicia. 183. De Sociorum exilio dolet civitas universa. 183. seq. Quid in discessu, quid item in pro-

fectione contigerit. 184. seqq. Quam rationem vitae Corunniæ instituerint. 187. Ferrolii cæteris adjuncti Sociis, latenter ab eis discunt, generalem fuisse submissionem ad jussa Regis, et neminem propter affixa crimina fuisse detentum. 188.

Cousani Comitis, Gallorum ducis, insignis pietas in ægrotantes Socios. 51.

D

Diezii (Emmanuelis) elogium. 224. seq.

Diezius (Philippus) insolabiliter dolet, quod ab exilii poena eximatur. 184.

Dissidiis componendis nihil aptius est mansuetudine. 5.

E

Episcopus Britonoriensis multos Sociorum promovet ad Sacerdotium. 332.

Exercitiorum spiritualium oceas one fabula conflatur in Jesuitas. 317. seqq.

F

Ferdinandi I. Parmensium Ducus egregia in Hispanos exules liberalitas. 308. seqq.

Foglianus (Iosepus Maria) Episcopus Mutinensis Socios amplectitur, eorumque constantiam laudat. 312.

Frenerus (Antonius) erga Josephum Turrianum eximiam perhibet caritatem. 196. seqq.

G

Gonzalius (Franciscus) dum Theologiam Pompelone docet, Christianam doctrinam pueris frequenter explicat. 101. seq. Idem Xaverii Idiaquezii res gestas colligit. 289.

Cor.

Gerdaliza (Marcus) Sociis inter A iutores adscribitur. 85. De mandatum in tirocinio munus cum laude virtutum exercet. ib. Rem domesticam , et alienam diligenter curat 87. Magno puerorum commodo ludimagistrum agit 88. Exilium tanquam opportunitatem ad sanctiorem vitam acceptat. ib. Et mentem et corpus diligenti coeret studio. 89. Suum esse dicit cæteris ministrare. 90. Erga senem infirmum admirandam exhibet caritatem. 90. seqq. Martham . et Mariam refert. 91. seq. Mendum , vel procul agens quotidie juvat. 93 Centi laudabiliter obit. 93. seq.

Gyrii (Josephi) elogium. 87. seq. Granellius (Joannes) Mutinensis Rector omni officiorum genere Idiaquezio , ejusque Sociis opitulatur. 311. seq et 315.

Guillenii (Joannis Francisci) Burgensis Archiepiscopi singularis pietas , et in Burgense Collegium beneficentia 235 seqq.

H

Hispani exules ad contubernii difficilem mutationem Bononæ adiunguntur. 17.

Huelgarum Antistita potestate fungitur fere Pontificia. 233.

I

Idiaquezii (Francisci Xaverii) ortus , et prima educatio. 201. Societati post maturam deliberationem adjunctus , tirocinium in ea ponit , et literis informatur. 209. Humaniores docet literas Philosophiam , et Theologiam . in qua Doctoris aetrectat lauream. 217. De ministeriis ab eo exerce- b b b 2

citis ad animorum salutem procurandam . 224. Burgensis Collegiu Rector designatur. 230. Renuntiatus tirocinii Rector , Romam mittitur ad comitia. 238. Ad Hispaniam regressus , pergit in Collegio regendo Villagarsensi. 242. De ratione , quam habuit , in tironibus educandis. 249. Collegio præficitur Salmantino. 256 Provincia Castellana primum illi decernitur. 264. Quid egerit , exortis in Societatem gravissimis tempestatibus . 271. De his , quæ fecit , cum Societas in Hispania incepta est perturbari. 277. Cum cæteris Hispaniæ Sociis ejicitur in exilium . 293. Relicta Corsica , in continentem pertransit Italiam . 303. De illius in Panzanensi Villa commoratione . 314. Bononæ sedem sibi , suisque constituit . 329. De his , quæ Bononæ gessit : ubi provinciam iterum suscipit gubernandam . 334. De illius vitæ ratione post ab itam Societatem . 342. Quædam de Francisci virtutibus singillatum. 347 De Francisci obitu , et illius funere . 365. Iraola (Vincentius) sui nominis recordatione ad continendos naturæ motus incatur . 136. Propter morum prebitatem a Marchionibus de Valmediano in ipsorum domum ad filiorum curam admittitur ib. In deligendo vitæ statu prudenter , et Christiane procedit ibid. Ex literis Indicis ad petendam Societatem inducitur 137. In tirocinio imitandum sibi proponit S. Alcyssium . ib. Philosophiæ Studium . quod Methymnæ inchoaverat , absolvit in Cor.

Corsica. 138. Viliora quæque ministeria libenter exercet. ib. Theologia Panzani, et Bononiæ discit. ib. Ubi ad aliorum excurrit commoda, et in legibus emitet observandis. 138. seq. Sacerdotio consecratus, Castrumfrancum mittitur, ubi usque ad mortem manet. 139. Muita ibi agit, multaque tentat, ut animorum saluti serviat. 139. seq. Mortuum sepelire contendit. 140. Post Societatis excidium nihil omittit, ut se juvandis animis habilem reddat. 140. seq. Obtenta confessiones audiendi potestate, munus hoc integerrime, indefesseque obit. 141. seqq. Veteribus adjunctus sociis, multam eis opem affert, et solatium. 143. In juvandis infirmis, et morti proximis infatigabilem operam ponit. 143. seq. Ecclesiasticum addiscit cantum, et Curionis exercet munera, ut missione proladat Indicæ, quam semper in votis habuit. 114. seq. Perficiendi sui curam cæteris occupationibus anteponit. 146. In cibo parcus, et in oratione prolixus, quamvis modicam inde caperet suavitatem. ib. Paupertatem cum misericordia in egenos conjungit. 147. Modestiam, et gravitatem in colloquis exhibet feminarum. ib. Erga omnes obedientiam, et submissionem observat. 147. seq. Eminebat in eo æquabilitas animi, ex assidua vincendi sui contentione profecta. 148. seq. In ægrotorum obsequio contracta lne, vitam invidendo fine concludit. 149. seq. Castrifranchi cum ingenti numerum luctu sepelitur, 150.

de Iriarte (Gregorius) ab exilio
Sociorum excipitur. 44.

L

Lacaze (Petrus) mathesim docet
Salmanticæ. 39.

de Losada (Ludovicus) laudatur.
38.

Lubianus (Firminus) consilium Idiaquezii probat de Societate amplexenda. 210. Frustra illuni deinde hortatur, ut Doctoris Theologi gradum accipiat. 223. Insignis ejusdem caritas erga Socios e Galia profugos. 274. seq. Lusitani aliquot Socii quanta in ergastulis passi fuerint. 9. seqq.

M

Mariæ Leczinskiæ, Galliarum Regionæ, parentalia fiunt Calvii. 50. Mariana Herculani Princeps multam erga Panzani degentes Socios perhibet caritatem. 315.

Marchionis Jacobi Mariscotti liberalitas erga Idiaquezium. 344. Mendiburi (Petri) elogium. 112. seq.

Mendiburi (Sebastiani) natalis dies, et locus. 112. ingressus ad Societatem. 114. Diligentia in virtutibus, et literis assequendis, ib. Pompelone Grammaticam cum fructu docet. 115. Per æstatem ad montanos excurrit populos. ib. Varias Vasconicæ linguae dialetos perfecte discit. ib. In ejus linguae usu peritiam, et elegantiam obtinet. 116. Inter alias Oratoris dotes præstantem actionem habuit. ib. Qualem teneret in excursionibus agendi morem. 117. Inter multorum plausus, multis etiam hominum, ac Dæmonum patitur impugnationes. 117. seq. Philosophiam, et Theologiam expli-

plicat Pompealone. 118. In eadem urbe Congregationem erigit Alystanam. 119. Quantus ab ea fructus proveniret. 120. seq. S. Aloysium impense colit, et ab aliis satagit ut colatur. 121. seq. Congregatio Sacerdotum et Schola Mariana sub illius iuctu et numero augetur, et fervore pietatis. 122. seq. Multos conuentationibus sacris, et concionibus excolit. 123. seq. Quartannis per diocesim excurrunt concionandus. 124. Obsecrations initio sustinet, quas major deinde consequitur veneratio. 124. seq. Extra diocesim Arnedum, Autolum, et Calcidam ministeriis excolit Apostolicis. 125. seqq. A profecitionibus redux, nullam in Collegio requiem assumit. 127. Varios scribit libros, quorum aliquos edit Vasconice. 127. seq. Modestiam, et parsimoniam ubique servat. 128. Tuendae castitati duriores adhibet castigationes corporis. ib. Paupertatem exacte colit. 129. Multa pro augendo Dei cultu agit, multaque meditatur. 129. seqq. Congregationes multas erigit in honorem SS. Cordis Jesu. ib. Hoc ipse frequentibus reveretur obsequiis. ib. Feocalem Passionis noctem pene dicit insomnem. 130. Pompealone novam templi molitionem aggreditur. 131. Domum item Exercitorum in ea manuum parte, ubi S. Ignatius concidit. ib. Neutrum tamen absolvit propter indicium exilium, quod ipse constanter expicit. 132. In itinere militibus timorem eripit seditionis. ib. In duzieribus exilii casibus alios erigit

ad filicium ib. Scribendis libris utilibus tempus impendit. 133. Bonorum vitam agit a privatis commodis abhorrentem. ib. Ad mortem in antecessum se præparat diligenter. 134. In longo viatæ cursu nullam gravem culpam creditur ad nississe. ib. Pietatem, et constantiam perhibet in morte: in qua S. Firmini Martyris, et Mariæ V. patrocinium expertus fuisse videtur. 135. Mendizabal (Joseph Joachimus) ante aditam Societatem multa patitur a domesticis. 23. Eorum animos singulari consilio expugnat. 24. A tirocinio domande naturæ incumbit. 24. Divinæ consuetudinis studiosus. humanæ minus indulget. 25. Ab honore mundano abhorrens, se ipse despicit. 25. Parvo semper contentus, laudiora non curat. 26. Aliorum famæ, atque utilitati deservit. 26. Patientiam in diurno morbo cum insigni pietate conjungit. 27. seq. Ut pudori serviat, gravissimum celat incommodum. 28. Ejus in Foro Cornelii obitus. ibid. Mozius (Aloysius) Hispanis exilibus libros mittit, et pecuniam. 300. 326.

Muriel (Dominicus) Faventiae moritur cùm opinione sanctitatis. 97. Mutiloa (Vincentius) statuam erigit S. Aloysio, cuius aram aliis donis exornat. 122.

N

Novitiorum nomina, qui venerunt in exilium: et aliorum facta quædam fusiæ explicata in Præfat.

O

Obesus (Hieronymus) ad necem, quam certam credit, invicto ani-

mo properat. 186. seq.

Osorii (Ignatii) genus , et Paren-
tum mores indicantur. 29 Quali
animi comparatione Societatem
adierit. 30. In tirocinio spem ma-
gnam facit fututæ probitatis. 31.
In scientiarum curriculo ceteris
antefertur. 31. Philosopham Me-
thy unæ docet. ib. Sed contracto
ex labore morbo, Salmanticam re-
dit , ubi creatur Doctor. 32 Ro-
mam Theologæ Magister evoca-
tus, exspectationem superat, quam
de se moverat. 32. Ejus docendi
ratio probatur a Cardinali Quirino ,
et aliis. 33 Quædam ejus
scripta prælo evulgantur. ib. Re-
dux in Hispaniam , Salmanticæ
docere pergit. 34. Ab Academiæ
Doctoribus Matritum mittitur, ut
Carolo III de adventu ad regnum
gratuletur. 34. Jam rude donatus,
Dissertationes perficit . quas Ro-
mæ inchoaverat. ibid. Designatus
spiritualium rerum Præfector , ac-
curatissime munus illud exercet.
35. Conclaves domi habet, et ex-
tra illam. ib. Collegium regit Sal-
mantinum pari vigilantia, ac pru-
dentia laude. 36. Magistros æ-
que , ac discipulos diligenter ex-
citat ad officium. 37 Erga om-
nes religiosam exercet beneficen-
tiæ. ibid. Templum et Sacrarium
exornat. 38 B bli thecam auget.
39. Villam ampliavit , et amœ-
niorem reddit. 39. seq. Post ne-
ratam Salmantini Coll. gii guber-
nationem provinciæ Castellanæ
præficitur 40 Tirocinium ante
omnia lustrat. 41. Proscriptione
Sociorum cognita, iter arripit Ma-
tritense, ut Regem alloqueretur.
42. Habita per Arandæ Comitem

eligendi portus facultate , San-
ctanderum ire decernit. 43. Ex
itinere literas ad Socios mittit.
43. seq. Per viam tum alias pas-
sim , tum maxime novitos conso-
latur. 44. Sanctanderi cum gaudio
Sociorum excipitur. ib. Inde ad
Comitem Arandæ rescriptit libere.
45. Calvum appulsus, multam ibi
prudentiam , et caritatem exer-
cit. a pag. 45 ad 52. Ad Ligu-
riam ductus, in Januensi portu
conatibus Gallorum obsistit. 52.
Per Bononiensem agrum Socio-
rum domicilia disponit. 53. Ab-
soluta præfectura Provinciae , do-
mum Bononiæ regit. 54. Socie-
tatis exterminium patienter fert,
et humiliiter. 55. In suburbanam
domum secessit. 56. Erat in eo
singulare religiosus studium. 56.
Precandi , meditandique frequen-
tia. ib. Amor solitudinis et pau-
pertatis. 57. Ad retinendam com-
munis vita rationem indefessa
cura . 58. seq. In pudore servan-
do solicitude . 59. seq. Prompta ,
submissaque obedientia . 60. 61.
Humilitas cum magnanimitate
cor juncta . 42. Animus ab ela-
tione. fastuque abhorrens. 61.
seqq. Eximia ad imperandum do-
tes. 63. Prudentiam ejus Socii sus-
picunt et Societatis Præpositus
laudat. 64. In extremo diuturno
morbo patientiam. et pietatem æ-
que demonstrat . 65. 66. Ad bal-
neas Porrectæ ducitur . 66. seq.
Ibidem pie decedit , ac sine pom-
pa, ut petierat, tumulatur. 67. 68.
P

Pereiræ (Emmanuelis) patria , et
ingressus in Societatem . 1. Ejus
inter studia devotio. 2. Magisteria.
ibid.

Ibid. Diuturna præfectura socio-
rum. 3. In ea vigilantiam adhibet,
prudentiamque religiosam. 4. Ad
irrogandam poenam, discrimen in-
ter culpas habet. ibid. Externos
pariter, ac domesticos mansuetu-
dine sibi conciliat. 5. In exilium
abiturus, honori suorum prospic-
it imperterritre. 7. Calvii Socio-
rum animos variis modis erigit ad
constantiam. 9. seqq. Ad perqui-
rendum subditis victum industria-
m, et operam adhibet. 12. Aegrotantibus eximia caritate minis-
trat. 13. Suam interim negligit
valetudinem. 14. Ad Bononiensem
translatus agrum, familiam
ibi ducit numerosiorem. 14. Ei-
dem de necessariis providet, et
optimam vivendi formam statuit.
15. Hospitalitatem cum multis ex-
ercent. 16. Bononiam accitus, qui-
busdam Sociorum domibus præ-
est. 16. Seluta jam Societate, vi-
tam agit simillimam religiosæ. 17.
Propinquæ mortis nuntium sereno
vultu excipit. 19. Ad eam
multis religionis actibus compa-
ratur. 19. Deiparæ opem, cui se
pridem mancipio dederat, suavis-
sime implorat. 19. Placide Bono-
niæ obit. ib. Quædam ejus virtu-
tes indicantur. 20. seqq.

R

Recii (Bernardi) elogium, et o-
bitus. 69.

Recii (Clementis) ortus; et ingre-
sus in Societatem. 69. Magistri,
et Oratoris munus laudabiliter o-
bit. 70. Segovienses et vita exemplo,
et prudenti consilio juvat. 71.
Sociis sine inferiorum querela, et
cum profectu juvenum præst. 71.
seq. Provinciæ Præpositus illum

sibi adhibet ab epistolis. 72. Ubi-
que censetur dignus, cui Provin-
cia deferatur, ibid. Hanc ei de-
cernit Præpositus Generalis, præ-
cluso ad recusandum editu. 73. Post
biennium, cogente valetudine,
magistratum abdicat. ib. Labores
Societatis, quam amabat intime,
recuperandæ saluti obsistunt. 74.
Expulsis ab Hispania Sociis, Val-
lisoleti manet. ib. Inde in Corsi-
cam, et Bononiæ venit, invicto
semper animo sub extenuato cor-
pore. 75. Diligenter se præparat
ad extremam horam. 76. Bono-
niæ obit. ib. Elucebat in eo fides.
76. seq. Familiam Sacram singula-
riter veneratur. 77. Ad novum S.
Jacobi festum preces ordinat Sa-
cerdotales. ib. Erga S. Joannem
Chrysostomum mirifice afficitur.
78. S. Joanni Nepomuceno aram
statuit, celebrandoque illius festo
dotem assignat. ib. Fiduciam in
Deo collocat. 78. seq. Ejus in De-
um et homines caritas. 79. Libe-
ralitas ejus in pauperes insperato
dono rependitur. 80. Illius in gu-
bernando prudentia. 80. seq. For-
titudo in tuendo suorum jure. 81.
seq. Patientia inter injurias. 82.
Modestia, et temperantia. 83.
Constantia in officio religioso ser-
vando. 84.

Religious inter viros officium nul-
lum est vile. 12.

S

Salazarii Comitis erga Philippum V
in bello, et in pace merita. 205.
Ejusdem oratio ad pronepotem
suum Idiaquezium. 208. seq.
Salgadi (Jacobi) elogium. 90.
Sanctistephani (Michaelis) elogi-
um. 231.

Si-

Silentium mansuetudini admixtum ad propulsandas injurias tutissimus clypeus. 5.

Societas a Magistris suis non minus modestiam , quam sapientiam exigebat . 103. seq.

Socii , qui Collegis aberant , dum Societas proscripteretur , sponte se sistunt Judicii . 186.

T

Tergestini Socii opem ferunt ex libus Hispanis . 328. seq.

Turriano (Josepho) propter vitæ periculum Baptismi gratia prospexit . 194. Apud Hieron. Dutarium primam confessionem instituit ib. Contra Matris et Patrui vota Societatem amplectitur . ib. Ad Indos mitti petit , neque illud obtinet 195. Post magisteria cum laude obita , regendis Sociis addicitur . ib. Auriæ cives , et Episcopum valde sibi conciliat et Collegi templum instaurat . 195. seq. In Sociorum expulsione propter valetudinem in Coenobio quodam detentus , multa ibi patitur . 195.

Profectus deinde in Italiam , sedem tandem Medicinæ constituit . ib. Perhumaniter a Mexicanis Sociis habetur . 196. seq. In meditandis divinis sequitur quotidianie ponit . 197. Mysteria Christi patientis assidue meditatur . ib. Eucharistiam , et Mariam V. frequenti cultu prosequitur . 198. Servilibus modis corpus suum excipit . ib. Inter molestias morbi , et incisiones Chirurgi patientiam invictam retinet . 199. Castimoniæ et paupertatis diligenti colit studio . ib. Vitam religioso fine concludit , et honorifice sepelitur . 200.

U

Ugualde (Franciscus) apud Matagauios votum obtinet fundendi pro Christo sanguinis 100. Vulnerata Sanctæ Maræ Virginis Imago q. ædam celebris , quæ Vallisoleti colitur . 228.

Z

Z Idus (Stephanus) Salmantice , cum aliis occumbit in obsequio militum contagiosorum . 262.

Errata

Pag. 23. lin. ult.	cepit	cepit
196. 8.	celam	cellam
246. 17.	Villagasienses	Villagarsienses
247. 28.	alios	alios
276. pen.	venientibus	venientes
344. 1.	incidebat	incedebat
371. 8. in aliq. exempl.	Vicecmoes	Vicecomes

Corrigere

A L E I H 1961548
C 4-12446



